Solatium huius vitæ est habere, cui pectus aperias, qui in prosperis gratuletur, in tristibus compatia-tur, in persecutionibus adhortetur.

Ambros. 3. Off.



j. m. d. m. a.

Viro nobili et Ornatiss: D. Melchiori Hem cognato suo honorando nec non suauiss. obseruantiæ et memoriæ causa ddt.

Christophorus Andreas Bügel

Myrtilletj. a. a. g. ioor. a. p. o. r.

COMMENTARIORVM DE REGNO AVT QVOVIS Principatu rectè & tranquillè administrando,

LIBRI TRES,

IN QVIBVS ORDINE AGITVR De Consilio, Religione & Politia, quas Princeps quilibet in ditione sua tueri & obseruare debet.

ADVERSVS NICOLAVM Machiauellum Florentinum.



CIↃ IↃ LXXVII.

IN MACHIAVELLVM.

O quantum tibi, si reuixe posses,
Quantum Machiauelle faustitatis!
Quàm festi tibi candidique soles
Fulgerent, tua si dies in istos
Vitæ tempora Fata distulissent!
Quippe hinc lilia Galliámque nostram
Vestris consilijs regi videres:
Hinc alto Furiam throno sedentem,
Dantem iura viris, & Aulicorum
Turmas sanguine Plebis ebriantem:
Quæ pluris faciens tuos furores,
Quàm vesanus amans suos amores,
Mores hic lupa fingit & refingit.
O quot millia basiationum,
Si te, non tua, non libros haberet!
Quàm te plus oculis suis amaret!
Nec mirum. maculæ pares vtrisque
Impressæ resident, nec eluentur.
Immò plurima sunt gemella vobis:
Ambo fœdifragi, profani, & ambo
Infestis fata dira monstra cælis
Terræ in perniciem suíque sæcli:
Et tu pangere scis libros tyrannis,
Isthæc fingere liberos tyrannos.
Quàm vobis bene conuenit duobus!
Ergo illi assiduus comes laborum
Secretis, serijs, iocísque, rerum
Cunctarum arbiter, vnus interesses,
Doctor, consiliator & sodalis,
Alter denique penè Cardinalis.
Immò ex hospite Galliæ tyrannus
(Quantum conijcio) breui futurus,
Quam tu nunc quoque mortuus gubernas.

NON MINVS PIETATE, MODESTIA, CETERISQVE virtutibus, quàm genere, ornatissimis iuuenib. FRANCISCO DE HASTINGS, & EDVVARDO BACON. S. P.

CVM Thespin (generosissimi iuuenes) tragœdiam tunc primùm in publicum edentem & agentem Solon spectasset, eum mox sub ludos conuenit quæsiuitque, Ecquid ipsum puderet in tanta corona tanta mẽdacia proferre. Enimuerò ea per ludum dicere aut facere, nõ esse indignum, respondit Thespis. Hîc Solon terra grauiter baculo percussa: At breui (inquit) qui nunc probamus & amplectimur hunc ludum, reperiemus eum in contractibus & negotiis nostris. Vidit nimirum vir πολιτικώτατος publicam morum disciplinam per iocum semel tentatam atque affectam, mox reipsa labefactari ac dissolui: & corruptionem, à ludicris initio facto, in seria desinere. Ergo Tacitus mores Germanorum sui temporis meritò laudat, apud quos vitia non riderentur. Nam ex publico dedecore risus materiam captantibus, eum mox risum ac ludum flebiles breui clamores excitare necesse est. Huius rei non minus vtile documentum omnibus ætatibus ac gentibus quàm triste spectaculum hodie præbet Gallia. Primùm enim statim ab ipso renascentis Euangelij exortu, Satan vt nugis & ludis occuparet hominum animos, ne ad veram sapientiam attenderent,

Scurras & moriones aulicos excitauit, qui sese obliquis facetiis insinuando, in Regum & Principum aulis & in conuiuiis, sermonibus, mox etiam libris, suauiter iocando omnia Religionis & Politiæ principia conuellerent. Neque defuere quos vel naturæ similitudo, vel ingeniorum vanitas, in eum ludum raperet: & quibus æterna Dei veritas, tamquam fabula, inter suos risui esset. Sed eius cohortis facilè antesignani fuerunt: apud Gallos Rabelaysus, apud Germanos Agrippa: qui non Euangelium tantùm ipsum, sed quidquid vsquam est bonarum artium, scurrilibus dicteriis incesserent. Societatis humanæ fundamenta Sanniones isti nondum apertè subruebant: deridebant tantùm, sed tales Cyclopum risus sequentium malorum præsagia & portenta erant. Nam paulatim quæ primò ioca videbantur, in seria: & verba in mores vertêre. His superuenerunt Poetæ noui γλωσσογάστορες, qui pronos suâ sponte in luxuriem animos blandis impudicarum aurium illecebris delenitos, & acri voluptatum inuitamento, in omnem libidinem ac mollitiem incenderent. Quis hîc vitiis & flagitiis modum faceret, quæ summa fortuna & summa licentia fieri amant: vbi ea non tantùm risu excipi, sed etiam accipi pro egregiis & laudari, cerneret? Manebant tamen adhuc morientis Honestatis & prisci moris vestigia. Etsi enim secreta Aulæ malè audirent, palàm tamen pudor, flagitia & dedecora in occulto: Principibus aliqua fides: leges satis bono in vsu: Magistratibus sua autoritas & reuerentia non deerat. Omnia quidem in ostentationem tantùm & speciem composita, sed vnde tamen extremam perniciem non metueres. Siquidem tum personatus Satan inter Gallos mimum quemdam hilarem, vel Comœdiam agebat:

bat: sed cui mox Tragœdia succederet. His ergo iam pestibus corruptis & affectis nostrorum hominum animis ac vergente in senium disciplina, venere in manus libri Machiauelli spurcissimi scriptoris: qui non obliquè & furtim, vt priora illa, sed apertè & continuo velut impetu non hanc aut illam sed omnes semel virtutes exscinderent: qui Principibus fidem, legibus maiestatem, populo libertatem, omnibus pacem & concordiam (vnica præsentiũ malorum leuamẽta) eriperent. Nam quid de Religione dicam? quam ne vllam Machiauellistæ haberent pridem prouisum est: nobis verò vt extorqueretur hactenus laboratum: quinetiam hodie patria & focis per iniuriã pulsi, de aris tamẽ adhuc certamus. Porro Satan vt inter nos pestiferum hoc inde vsque ab Italia virus spargeret, instrumentum in Galliis peridoneum nactus est, Reginam matrem: quæ Machiauelli ciuis sui scripta in tantum honorem & dignitatem adduxit, vt nemo hodie in aula Gallica isti Medeæ acceptus sit, quin Machiauellum Italicè, Gallicè, legat, terat, ediscat: quin eius præcepta, vt Apollinis oracula, in mores & in negotia transferat. Itaque mirum quantum noxia ista seges paucos intra annos creuerit: quum illa in Aula nemo probitate, nemo bonis artibus, iamdiu certet: atque vnum ferè ad honores & opes iter sit, istius Impostoris placitis & huius Excetræ furiis obsequi. Quoties autem, vt me paulisper à conspectu tot Galliæ calamitatum auertam, ad circumiacentes regiones oculos animúmque conuerto (conuerto autem omnes ferè dies & noctes) toties nostris malis illacrymans, vestræ felicitati gratulor: ídque in primis quòd in tantis rerum procellis re ipsa, vt titulo, Serenissima regina Dei dono vobis obtigit, tanto omnium optima

quanto isthæc nostra omnium deterrima. Ista enim nostra quum Galliam bellis externis vel intactam vel defunctam reperisset, ciuilibus impleuit: Vestra procellosis Angliæ temporibus principatum adepta, ita omnia vultu & consilio serenauit, vt non ciuilis discordia, non externa vis, otium & quietem vobis per tot annos, tot præsertim circumstrepentibus bellis, exemerit. Nostra pro ludicro spectaculo habet, innoxij sanguinis riuis, insepultorum cadauerum aceruis, vrbium captarum flammis ac ruinis, crudeles oculos pascere: Vestra adeo ciuilis & insontis sanguinis parum sitiens est, vt etiam libens à noxio, siquà possit, abstineat. Nostra, quum potentiam perfidia & scelere quæsitam, bonis artibus exercere non posset, quid aliud hactenus egit quàm vt Plebem tributis, Nobilitatem bellis, veram Ecclesiam proscriptionibus attereret? Vestra tam æquabili temperamento tantam inter omnes Ordines pacem & concordiam fouit, vt meritò Plebi iuxtà ac Nobilitati carissima festas inter suorum voces & faustas omnium acclamationes Angliam suam perambulet. Illa igitur Patriæ parens: Nostram contrà, vt facem bellorũ, dedecus temporum, humani generis pestem ac furiam, æqui & iniqui exsecrantur. Denique ita contrariis artibus illa Regnum: hæc Tyrannidem, exercet: vt facilè credas has duas Reginas, studiis ac moribus tantum inter se dispares, fato quodã ad singulare Clemẽtiæ & Sæuitiæ certamen in eamdem ætatem comparatas: alteram omnium vitiorum, alteram omnium virtutum, exemplar. Ceterum res nostras aliquando respiciet Dominus: vos verò ô quàm fortunatos cùm tali Regina, tum quòd pestilens Machiauellicæ doctrinæ afflatus in Angliam non penetrarit! Ac ne eò penetraret sine antidoto &

præsent

præsenti remedio, quo præmunita tam noxij vim veneni repellat, sedulò hîc à me curatum & laboratum puto. Quippe quum hosce Commentarios Gallis primùm ac propriè à doctissimo & prudentissimo viro conscriptos, cum ceteris quoq. gentibus (in tanta præsertim rerum ac temporum ἀταξίᾳ) communicari fas & æquum ducerem, hanc operam haud grauatè in me suscepi, & susceptam qua fide atque industria potui, peregi. Publicæ igitur vtilitati meum hunc qualemcumque laborem, sicuti & memetipsum totum, dono dedico, consecro. Inscripsi autem propriè nomini vestro, tũ vt, quamquam ipse Angliam numquam viderim, gratitudinem tamen meam erga vestrates pignore aliquo testarer, quorum singularis erga fratres meos propter Euangelium exsulantes humanitas me communiter omnibus piis Anglis priuatim vobis, obstrinxit: tum vt vos huius ipsius libri, sed in primis earum artium virtutúmque quæ singulis ferè eius verbis commendantur, studiosissimos, ad easdem toto pectore arripiendas colendásque, id est, id ipsum agendum quod agitis, & ipse hortando accenderem. Neque enim super omnis aui exemplíque documenta quæ hîc habetis, auitæ & domesticæ virtutum imagines, quas multas & eas illustres intueri potestis, transferre animum aliò & studium vos sinunt. Tu igitur mi Francisce inter tot insignia Regni vestri lumina COMITIS HVNTYNGTONIÆ patrui tui, illustrissimi & non minus Pietate ac ceteris virtutibus quàm amplissimæ familiæ Nobilitate ac splendore conspicui viri, vestigia insequere, vt dignum tali patruo, tali loco, te præstes: tu verò mi Edvvarde, D. NICOLAI BACON, patris tui, Magni Angliæ sigilli custodis, viri amplissimi, pruden-

tiam, sanctitatem, integritatem, imitando assequi enitere: vt ad optimam indolem quam ab optimo parente hausisti, paternarum etiam virtutum effigiem summa cura expressam adiungas. Ea si familiaria & vtrique notissima exempla, cuilibet veterum paria, dies noctésque animo versabitis, nulli vobis acriores ad Honestum stimuli, nulla hortamenta vehementiora, esse poterunt. Deum verò ipse precor vt parentum & propinquorum de vobis spei, vestrísque adeò optimis studiis, benedicere etiam atque etiam pergat: vt patriæ, Reipublicæ, Ecclesiæ, quammaturissimè vtiles, quamdiutissimè incolumes, sitis. Kalend. Augusti. Anno Sal. CIↃ IↃ LXXVII.

ELENCHVS THEOREMATVM seu Axiomatum Machiauelli, quæ his Commentariis refelluntur.

Prior numerus Theorema, posterior paginam, designat.

Theoremata I. Commentarij, in quo agitur de Consilio quo Princeps vti debet.

Theoremata II. Commentarij, in quo agitur de Religione quæ Principi obseruanda & colenda est.

Theoremata, quæ tertio Commentario refelluntur, in quo agitur de Politica Reipubl. administratione quæ à Principe instituenda est.

Menda, quæ inter imprimendum erutis aut detortis litteris exciderunt, ſic emendato.

Pag.241.in Annotatione.Sat.7.lege Sat.10. 393.linea 12. autn lege aut in . 401.18.haebre l.habere 408.7.in nonnullis exemplar.Homicidiis l. Homicidis 435.4. in nonnullis exempl: teribilior l. terribilior 487.8. multis l. mutuis 497.12. Clementia l.Clementiæ 543.27.liberalitatsi.l.liberalitatis. 607.in Annot. priatos l. priuatos 667.22. Maximij l.Maximi.

COMMENTARIVS PRIMVS, IN QVO AGITVR DE CONSILIO, QVO Princeps vti debet.

PRÆFATIO.

ARISTOTELES ceteríque philosophi docent, quod & ipsa experientia confirmat, duplici quodammodo via ad rerum cognitionem perueniri. Vna, quum à Caussis & Principiis ad Effecta & species vltimas perducimur. Altera, quum Effectis & consequentibus cognitis ad caussarum & Principiorum notitiam progredimur. Verbi gratia. Simulac terram viridescere & arbores frondescere cernimus, eo statim effecto Solem (earum rerum caussam) ad nos accedere colligimus: mox etiam ex eo Principium hoc extundimus, Solem calore suo vim terræ frugiferam immittere. Ac vicissim, posteaquam ea Caussa nobis reperta est, effecti statim ex ea consequentis notitiam adipiscimur ac concludimus: Sole ad nos accedente, breui terram ex sese fructus ac fruges edituram: recedente, veluti compressa fœcunditate, fundere desituram. Earum porro Methodorum prior, Mathematicorum propriè est, qui propositis primùm quibusdam Principiis & communibus sententiis, quæ communi om-

nium iudicio & suffragio approbantur, ad Theorematum & Problematum suorum demōstrationes veniunt. Posteriore reliquæ ferè artes & facultates vtuntur, Physice, Medicina, Iurisprudentia, Ethice, Politice, & ceteræ, quæ ad rerum scientiam percipiendam & tradendam ordine Analytico ab effectis ad caussas, à singulis ad vniuersa, procedunt: quamquam & istæ ipsæ disciplinæ vtramque ad res inuestigandas docendi viam rationémque adhibent.

Ars Politica Principia minus certa necpetpetua habet.

ITAQVE ars Politica (de qua Plato, Aristoteles, & aliquot alij philosophi, scripserunt) in rebus tractandis vtramq. & ipsa Methodū sequitur. Nam & ab effectis administrationis Politicæ & singularibus rerum euentis negotiísq. ad ipsa Principia & Axiomata perueniri potest: vt cōtrà ab Axiomatis & Principiis ad cognitionem effectorum. Itaq. vbi prauos & perniciosos Politici regiminis exitus euentúsq. cernimus, ad eiusdem generis Principia & Canones deducimur: atq. à bonis effectis ad similia quoq. Axiomata peruchimur. Nec minus vicissim à bonorum Theorematum & Principiorū cognitione antegressa ad similium effectorum notitiam progredimur. Ceterum quamquā artis Politicæ Principia & generales Canones ad publicū statum (seu Principatus, seu liberæ Ciuitatis) rectè administrandū aliquid cōferre posint: multum tamē à Problematū Mathematicorum certitudine absunt. Nisi enim ad casuum quotidie occurrentium varietatem & res ipsas potius accōmodentur Principia Politica quàm res ad Principia, haud dubiè per-

perniciosa sunt. Etenim quum ea quæ rem antecedunt, aut consequuntur, aut circumstant, sæpe diuersa, immò etiam contraria, sint: quamquam duo negotia summam nonnumquam similitudinem inter se habeant, eadem tamen minimè via tractanda, aut pari regula metienda sunt: ídque propter circumstantiarum differentiam. Quippe & ipsa experientia docet, eadem in re quod aliquo tempore salubre est, mox alio esse noxium: quódq. his gentibus conueniens sit, illis esse incommodum. & sic cetera. Itaque qui Rempublicam capessunt, non tantùm Politicæ artis Principia tenere cõuenit, sed etiam sollers ingenium iudiciúmque adhibere ad res accuratè considerandas, & omnes earum circumstantias atque adiuncta expendenda: quo generales eius facultatis Regulas ad singulas res & negotia quæ erunt in manibus prudenter accommodent, immò etiam inflectant, vbicumque res feret. Hæc porro facultas & virtus, quæ proposito negotio, circumstantias omnes & quæcumque rebus annexa sunt, diligenter examinat, iísque Regulas & Axiomata Politica dextrè aptat, singularis quædam ars est: sed eadem rarissima & perpaucis concessa. Eum enim qui eius scientiæ peritiam aliquam consequi, & in rebus tractandis operæprecium facere, cupit, primùm naturali iudicio sano atque incorrupto esse necesse est: mox etiam mente non insipienti, sed placida & perturbationibus prauísq. cupidinibus libera: atque omni adeò studio, præterquàm boni publici, vacua. postremò experientem & longo rerum vsu exercitatum & tritum

esse oportet. Quod quidem consequi non potest, nisi negotia ipse tractauerit, aut tractantibus adfuerit, aut lectissimis quibusque historiis attentè & accuratè perlegendis, iudicium acuerit ac perpoliuerit.

Scopus scriptoris. ITAQVE minimè promiscua est aut vulgaris hæc facultas: neque cuiuis obtigit vt publica negotia dextrè ac prudenter administret: immò ne omnes quidem qui de iis scribere aut dicere instituunt, ea satis commodè aut pro dignitate eloqui possunt. Hîc ergo siquis ex me roget, An mihi vni tantum sumam, vt omnium optimè & accommodatissimè hoc argumentum persequi me posse existimem: Huic ego respondeo, Nihil minus, neque mihi quidquam tale hîc esse propositum. Quippe me id vnum spectare vt doceam Nicolaum Machiauellum, Florentinæ olim Reipublicæ (nunc Ducatus) publicum Scribam, siue Secretarium, vt vocant, Politices prorsus ignarum fuisse: ac falsa quædam Principia & peruersa Theoremata sumsisse, quibus artem non Politicam sed Tyrannicam imponeret. Hic mihi scopus, in quem omnia dirigere institui. Nimirum non vt Politicen enucleatè & ex professo tradere aggrediar (cuius tamen haud vulgaria præcepta, vt opportunè & suis quæque locis occurrerint, attingere non pigebit) sed vt absurda Machiauelli dogmata refutem. Eò me secundo cursu & Deo aspirante peruenturum ita confido, vt in quorum manus hæc mea scripta venerint, perspicuè videant Machiauellum Politices planè rudem id vnum egisse vt Tyrannidis instituendæ

dæ viam rationémq; traderet. Neq. isti profectò Scribæ ea seu naturæ seu industriæ instrumenta adfuerunt, quæ ad eam scientiam consequendam necessaria esse diximus. Nam quem rerum iste vsum assequi potuit, qui nihil fermè sua ætate, nisi fortè aliquas Ciuitatum & minutorum Italiæ Principum rixas, ac Florentinorum quorumdam ciuium consilia & factiones, vidit. Historiarum quidem nullam etiam, aut perexiguam, notitiam habuisse, pluribus argumentis docebimus, & pudendam illius ἀνιςορησίαν vel in paucis illis quas scriptis suis aspersit historiis palàm faciemus. Iudicij verò naturalis firmi & solidi ne vnciam quidem ei fuisse, ineptæ & insipidæ eius rationes quibus Theoremata sua subinde confirmat, perspicuè demonstrant. Nam quascumque fucandis & exornandis flagitiosis istis suis præceptis argutias adhibet, quis phaleratas esse nugas, eásq; non tantùm vanitatis sed extremæ dementiæ nequitiæque plenissimas, qui propius inspexerit, non iudicet? Mirabuntur Aulici & aulicorum non dissimiles homines me Machiauellum summum eorum Pythagoram, tam inurbanè accipere: cuius libros quid prohibet quominus Alcoranum Aulicorum meritò nuncupemus, quando eos nihilo minore in pretio habent quàm Turcæ Alcoranum & somnia Mahumetis? Sed istos omnes oratos velim mihi vt æqui sint, patiantúrque me ita de eo homine loqui, cuius nequitiam, impietatem & ignorantiam, vt mihi comperta est, ita omnibus planam & manifestam faciam: ac tantisper iudicium suum & sententiam suspendant,

Machiauelli libri, Aulicorum Alcoranus.

dum meas hasce Commentationes perlegerint.

De Machiauello eiúsq. scriptis.

IAM verò vt facilius intelligatur quidnam sit illud quod tractandum suscepimus, primùm sciendum est quis fuerit Machiauellus, & quænam sint eius scripta. Machiauellus igitur fuit à tabulis seu Secretarius(vt vocant)Florentinæ ciuitatis,Caroli VIII. & Ludouici XII. Galliæ regum, temporibus (Romanam sedem tenentibus Alexandro VI. & Iulio II.) quo tempore libros suos Italicè conscripsit, & sub initia regni Francisci I.in lucem emisit:sicuti vel ex ipsius scriptis colligi potest. De eius vita atq. obitu nec quidquam certi habeo quod dicam, nec vestigare libuit: quando fœdi hominis memoriam æterna obliuione sepeliri præstat, quàm reuocari vlla mentione vel litteris prodi. Hoc tantùm dico:si vitam doctrinæ similem egit (vti probabile est) vix puto vmquam extitisse hominem omnibus vitiis magis respersum & contaminatum quàm hic fuit. In præfatione libri, cui titulum fecit de Principe, videtur significare se Florentia in exilium pulsum fuisse.Conqueritur enim apud Laurentium Medicem (cuius nomini librum suum inscripsit) de iis quæ immeritò & iniustè, vt ipse dicit,patitur.Aliis locis se modò in Gallia,modò Romæ,modò alibi, esse commemorat, minimè legati vices obeuntem (neque enim reticuisset) sed vt credibile est,profugum & exulem. Vtcumque ea sint, liber ille (quem Laurentio Medici dedicat)Principatus inuadendi rationes exsequitur, nihilque ferè habet præter Tyrannidis instituendæ præcepta : quemadmodum ex progressu susce-

ſuſcepti à me operis liquebit. Ceterum an Medices traditis illo libro præceptis vſi fuerint, equidem affirmare non habeo. illud quidem conſtat, illos ex eo Florentiæ principatũ occupaſſe, & liberæ Ciuitatis Ariſtocraticum ſtatum in Ducatum vertiſſe, immò in apertam tyrannidem: vt iis compertum eſt qui hodiernum Florentiæ ſtatum & regimen non ignorant. Præter hunc librum De Principe, ſiue de Principatu, ſcripſit etiam Machiauellus tres libros Commentationum ſiue Enarrationum in primam T. Liuij Decadem: qui huic alteri de Principe libello illuſtrando, veluti Commentarij loco ſunt. In hiſce Commentariis lacera & minuta quædam fragmenta ex Liuio temerè decerpta ſubinde aſpergit: neq. hiſtoriam integram vnde ea ſumta ſunt exponit: atque ea etiam ipſa præpoſterè, vt libuit, accommodans, ſæpenumero ad abſurda & fœda opinionum figmenta confirmanda detorquet. Iis admiſcet Ciuitatum & minutorum Italiæ Principatuum exempla, ne digna quidem quæ narrentur, nedum vt proponantur ad imitandum. Niſi fortè ei culpæ huius gratiam facere libet, quòd meliora non habuerit: nec ſi habuiſſet, dubitandum ſit quin ea fuerit allaturus, vel ob id vnum, vt ſuis ſcriptis gratiam & autoritatem conciliaret. Porro ex duobus eius libris, De Principe videlicet & Commentationum in Liuium, quæ propriè illius ſunt excerpta, in breues Concluſiones, ſiue Axiomata, collegi, & in tres partes deſcripſi. Id autem facere coactus ſum, vt ſingulis rebus ad certa quædam capita reuocatis, ſuo quamque lo-

có accuratius excuterem. Neque enim Machiauellus singula ordine & vno eodémque loco pertractat, sed pluribus dispersá locis bona & salubria quædam noxiis admiscet: haud multo secus certè ac venefici, qui spissos veneno si pulueris grumos patinis non inspergunt, ne vltro fraus se ipsa prodat: sed quamsollertissimè fieri potest lautioribus quibusque cibis inferciunt & permiscent. Itaque quum mihi institutam ab eo οἰκονομίαν sequenti multa tot & quater iteranda essent, summam eius doctrinæ & præceptorum in Propositiones quasdam, seu Theoremata, redegi: rationibus etiam additis quibus ea confirmat, & notatis eius librorum locis, vnde ea sumta sunt: vt meam in eo fidem & diligentiam omnibus probarem, neu viderer quidquam illi alienum tribuere, aut omittere aliquod seu argumentum, seu testimonium, quod ad illius placita confirmanda conferret. Qua in re tantum abest vt cuiusquam iudicium aut reprehensionem reformidem, vt eius etiam sæpe argumenta multo illustriora quàm ab ipso edita sint protulisse mihi videar. Iniuriam à me illi fieri fortè dixerit aliquis, quòd animaduersis notatísque fœdis ac vitiosis quibusque scriptorum eius sententiis, sinceras & probas sciēs præteriero. Ego verò in eius scriptis quātà quātà sunt, nihil boni aut sinceri essé, quod verè ipsius sit, dico & asseuero. Præclaros equidem T. Liuij & aliorum scriptorum locos iis inspersos esse non negem: sed prætérquam quòd, vt alienos, sibi vendicare non potest, eos etiam truncos & mutilos proferens, ita suis scriptis assuit, vt si de-

si deformi alicui monstro speciosam laruam indueret. Denique, quum iis ferè abutatur, vt venena velut melle illita porrigat: quæ à nobis illi gratia debetur, si quæ vsquam egregia habet, ea veteres scriptores, vt sua repetunt: & quæ apud eum lacera, apud illos integra & incorrupta, legimus. De iis verò Militiæ præceptis, quæ libris etiam suis inseruit, vt noua & ab se primùm inuenta, quid dicam, nisi ea vel ipso vsu refelli, & apud rei militaris peritos pro antiquatis & obsoletis haberi? Quale illud est, quo vetat Principem peregrinis auxiliis & conducto milite vti, & ditionem suam arcibus & præsidiis aduersus externum hostem tutari: sed tantùm aduersus subditos, si fortè ab illis sibi metuat. quippe contrarium quotidie fieri & vsurpari cernimus. Fuit igitur in isto homine super cetera insignis temeritas, quum Scriba vilis, & forensibus iurgiis potius quàm prœliis assuetus, de Re militari scribere ausus est, & eius præcepta tradere. Peripatetico illi Phormioni persimilis: qui, quum Annibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochũ venisset exsul: próque eo quòd eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus esset ab hospitibus suis, vt eum philosophum, si vellet, audiret: qùumque se non nolle dixisset, loquutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de Imperatoris officio & de omni re militari. Tum quum ceteri qui illum audierant, vehementer essent delectati, quærebant ab Annibale quidnam ipse de illo philosopho iudicaret. Hîc Pœnus liberè respondisse fertur, Multos se deliros senes sæpe vi- Cic. de Orator. lib. 2.

diſſe: ſed qui magis quàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Idem planè de Machiauello iudicaturos non dubito Militaris rei peritos homines, ſi eius ſcripta legerint, dicturóſque eum ἐκ βιβλίου κυβερνᾷν, vel (quod Gallico prouerbio fertur) de armis vt Clericum nugari. Sed iis qui res bellicas callent eam curam delego, neque mihi hîc Machiauelli de Arte militari præcepta excutere conſilium eſt.

Quamobrē & ex quo tempore Machiauelli ſcripta in Gallia celebritatem acceptam ſint.

CETERVM ex eo quod antè dixi, Machiauellum Caroli VIII. & Ludouici XII. Galliæ regū ætate vixiſſe, ac perueniſſe ad priora Franciſci I. tempora, iam abhinc quinquaginta aut ſexaginta annos prodiiſſe in lucem eius ſcripta colligere facile eſt. Itaque ex eo ſubire animos admiratio poſsit, quî factum ſit vt Franciſco I. regnante nulla Machiauelli aut eius ſcriptorum mentio famáve in Gallia fuerit: Henrici verò etiam tempore tenuis adhuc & perobſcura. Verùm hunc nodum ſoluere magni operis non eſt, iis præſertim qui non ignorant quónam modo res in Gallia ab exceſſu Henrici II. adminiſtratæ fuerint. Nam & eo regnante & ſuperiorum Principum temporibus Gallia Gallicis moribus ac legibus, id eſt veterum Gallorū veſtigiis & inſtitutis, gubernata: exinde peregrinis arbitriis, id eſt placitis ac præceptis Machiauelli, regi & agitari cœpit. Itaque ex eo tēpore Machiauelli, velut prudentiſsimi & rerum politicarum peritiſsimi viri, nomen celebre & in hominum ore fuit: & libri eius non minore in pretio habiti apud aulicos Italogállos, quàm vel Sibyllina oracula apud Ethnicos, vel Alcoranus apud Turcas.

MIRA-

MIRARI autem nemo debet, si peregrini isti Machiauellitæ (qui præcipua Reipubl. Gallicæ munia & gubernacula tenent) veterum Gallorũ institutis spretis Machiauelli πολιτείαν in Galliã inuexere. Primùm enim omnes instituta ferè & mores patrios alienis & externis anteferre consueuimus. Adhæc Machiauellus, istorum columen & doctor, Galliam & Gallicæ Reipubl. administrationem qualis sua ætate instituta erat, ita falsè deridet & damnat, vt facilè discipulis suis persuaserit Gallicæ politiæ formam in Machiauellicam & peregrinam vertere. Quippe iactare audet, se aliquando apud Nannetes, regnante Ludouico XII. cum Cardinale Ambasiano (singularis sapientiæ viro) de negotiis quibusdã publicis colloquẽtem, illi apertè ac liberè dixisse, Gallos rerũ tractandarũ (quæ vulgò Negotia status appellant) planè rudes atque imperitos esse. Neque vno etiam loco Caroli VIII. & Ludouici XII. Galliæ regum, regimen fastuosè reprehendit. Imò eò impudentiæ progreditur vt egregium illum Principem Ludouicum XII. mendacij & perfidiæ insimulet: quũ dicit eum vocatu Venetorum in Italiam transgressum, Alexandro VI. Pontifici contra eorum consilium ac voluntatem auxilium tulisse. Interdum Reges nostros Heluetiorum & Anglorum stipendiarios nominat. Nam de Gallis ferè quoq. contemtim vt de barbaris hominibus, auaritia & perfidia coopertis, loquitur: ac ne Germanos quidem ipsos aspergere eorumdem vitiorum infamia parcit. Numquid, obsecro, hæc tam ampla & egregia merita

Cap. 3. de Principe. Comm. lib. 2. cap. 30. lib. 3. cap. 43.

Calumniæ Machiaueli in Reges & populum Galliæ.

ſatis dignæ cauſſæ ſunt, cur Machiauellum tanti faciat Gallia, cuius Reges ſuggillat, cuius populo rerum Politicarum imperitiam, auaritiam, barbariem, perfidiam, vt vera probra obiectat? Sed ferri vtcumque poterat, niſi ignauis maledictis atrocia & pernicioſa præcepta coniungeret. Itaq. quum iſtius conſiliis præceptíſque priſcum Gallicæ politiæ ſtatum in peregrinam & deformem tyrannidem verſum videamus (vnde certū totius Regni interitū cõſequi neceſſe eſt, niſi propediē Deus tot malis obuiam eat) nunc nunc tēpus erat, vt excuſſa ſegnitie omnib. neruis niteremur Regnum in antiquum ſplēdorem redigere.

ITAQVE quando hic locus admonet vt non minus neceſſaria quam tēpeſtiua oratione Principes & Nobiles Gallos expergefactos officij ſui commonefaciam: Quid veſtrûm omnium cõmunis parens, ſi vobiſcum loqui poſſet (ô Viri illuſtres, quibus ad libertatem tuendam nihil deeſt
» præter animum) quid diceret? Hæccine præmia
» patriæ perſoluitis (ô filij mei) vt impunè à pere-
» grinis eam terram violari patiamini quæ vos genuit & aluit? & in hoc me patrum veſtrorum cura virtúſque fouit & traxit, vt eorum poſteros partim patriæ hoſtes, partim alienigenis ſeruientes, viderem. Nõ pudet pati vt in quo Regno Ius, Fas ac Pietas floruere, in eo Impietatis atq. Iniuſtitiæ ludum aperiant? Ite iam & Reges veſtros Chriſtianiſsimos vocate: quando in Aula & paſſim profano Dei contemtui, Atheiſmo, abominandæ veneri, perfidiæ ceteríſque id genus peſtibus, & earum autoribus peregrinis, hoſpitium,

iiii quod

quod ne tutum quidem ac liberum debuistis, honorificum præbetis. Eos qui Iurisconsulti vocantur dicere aiunt, eum homicidij reum teneri qui personam cui alimenta & victum debet, famę contabescere & emori sinit. Quanto grauiorum criminum, cædium, bellorum, quibus obruor, vos reos in omnia secula offertis, & vestra obnoxia capita pro tot sceleribus iræ Dei obiicitis, nisi patriæ pereunti opem, quam potestis ac debetis, fertis? Atheismi certè & tyrãnicę violentiæ furiis nemo vos liberat, nisi Machiauellum eiúsque politiam, propaginẽ, & quidquid vsquam Machiauelli est, è Galliis aberuncetis.

Hic sicui libeat quærere, quibúsnã argumentis Galliam Machiauelli doctrina regi hodie deprehendamus: huic respõdere obuium & promtum est: Nam consiliorum euenta perspicua & rerum præsens effectus nos ad caussas & principia deducunt: siquidem & hæc vna est rerum cognoscendarum via & ratio, quum ab effectis & consequentibus ad ipsum caput, id est ad summas caussas & Principia, cõscenditur. Mox si Machiauelli Theoremata cum singulis rerum euentis & politicæ administrationis effectis componemus, cui vel cæco non appareat istius Axiomata apud nos ad vnguem vice legũ obseruari, & eius præceptionibus hodie regi Galliam? Nam qui hodie in Gallia sigillorum publicorũ custodes sunt? Machiauellitæ. Quínam Edicta componunt & cudunt? Machiauellitæ. Quínam litterarum arbitros agunt & præcipua rerum intra extráq. Regnum agitant? quínam amplissima Regni mu-

nia, ſummas præfecturas, & Dominij (vt vocant) regij redemturas exercent? Machiauellitæ Itali vel Italogalli. Qui vſqueadeo à noſtris moribus abhorrent vt ne Gallicum quidẽ idioma, ac præſertim Iuris Regiorúmque edictorum vocabula, ſatis teneant. Egregij ſcilicet legum cuſtodes & qui eas obſeruandas curent, quarum ne ſententiã quidem & terminos (vt vocant) callent. Adhæc quis in Gallia adeo hoſpes eſt vt neſciat Machiauelli libros abhinc quindecim annos haud minus aſsiduè Aulicorum manibus teri, quàm Breuiarium à ſacrificis?

PORRO quantum interſit inter veterem Gallicæ politiæ formam (quæ ad priſca patrum noſtrorum veſtigia, mores & inſtituta, compoſita erat) & hanc nouam nuper ex doctrina & præceptis Machiauelli conflatam & inuectam, ex fructibus & effectis iudiciũ facilè eſt ferre. Quippe antiquo & Gallico more, Regnum diſcidiis inteſtinis vacuum: pace, tranquillitate, & libero commercio florens, ſub priſcarum legum tutela & imperio incolume ſtabat: & ſubditis ſuæ fortunæ, dignitates, iura & priuilegia, integra & innocua præſtabantur. Nunc verò vbi peregrino & nouo more regi cœpimus, antiquis Regni legibus oppreſsis, atrocibus bellorum incendiis materies ignı́ſque ſubditur, fœdera fiunt & ſubinde violantur, populus aſsiduis miſeriis conſumitur: commercia turbantur. Denique in tantam rerum omnium ἀταξίαν venimus, vt nemini quidquam ſuum dicere liceat: bona miſerorum ciuiũ, quaſi hoſtilis præda, impunè diripiantur, ac ſæpè

aliùs

alius colat & ferat, alius metat & colligat. Quæ quamquam ipſa per ſe ſatis veterem Regni politiam præ hac noua deſiderabilem faciunt: ſingulis tamen deinceps in Theorematis perſpicuis exemplis docere conſtitui, Maiores noſtros ſummo in Gallica Republ. conſtituenda & gubernanda iudicio & ſingulari ſapientia eſſe vſos: ídque diuerſa prorſus à Machiauelli præceptis via.

NEQVE vt orationi meæ fidem atque autoritatem conciliem, exempla mutuari libet à minutis Principibus ac tyrannis repentè velut è terra natis & obſcuris (vti Machiauello mos eſt) ſed illuſtribus monumentis documentíſque Galliæ Regum, Cæſarum, veterum ducum & Principum Romanorum, & ipſius adeò Senatus. Quippe duo hæc Imperia, Romanum & Gallicum, velut eximia & præſtantiſsima, legi, vnde exempla ſumerē inſignia & digna quæ Principi ad imitandum proponantur: pauca ex vetuſtioribus Monarchiis, Perſica, Aſſyria, Græca, decerpens, quòd eæ tantum à moribus & inſtitutis noſtris quantum à temporibus remotæ, etiam quod ad rerum adminiſtrationē attinet, nobis minus notæ ſunt. Ex Hiſtoricis verò principes & quaſi patricios delegi: eos præſertim qui ſui temporis res ſcripſere, & quarum maximam partem ſpectatores ipſi & actores fuere. Eius ordinis inter Gallicæ hiſtoriæ ſcriptores Froſſardus, Mōſtreletus, Cominæus, Bellaius: inter Romanos Salluſtius, Tacitus, Suetonius, Diō, Herodianus, Lāpridius, Capitolinus, Ioſephus, numerantur. Non pauca

etiam hausi è nostris Annalibus, Paulo Æmilio, T. Liuio, Thucydide, Xenophonte & aliis, qui perpetuo superiorum ætatum consensu grauium scriptorum famam & autoritatem consequuti, rerum gestarum locupletes testes & fide digni sunt. In primis autem spero fore vt quod impudenter Machiauellus dixit & scripsit, Gallos videl. rerum Politicarum planè esse rudes, nō tantùm proposita Politiæ à maioribus nostris institutæ forma & rebus ipsis reuincam, sed vel exemplis solis refutē, quę ex Philippo Cominæo proferam, Equestris ordinis viro & cubiculario Ludouici xi. qui Machiauelli ætate fuit, & rerum amplissimi Regni tractandarū rationem melius calluit quàm iste Scriba tenuissimi municipij aut pagi. Quamquam ceteroqui Machiauellum Tyrannidis instituendæ & tuendæ peritissimū omnium quos legerim fuisse haud negē: adeò ne minimū quidē ad eā rem idoneū præceptū omisisse aut ignorasse videt. vt ex ipsius Theorematis parebit.

CETERVM siquibus fortè locis de Italis durius loquor, egregios eius gentis & bonos viros oratos velim, ne mea scripta aliorsum quàm à me intelligūtur interpretari velint. Equidem in Gallos probris & contumeliis minimè abstinuit Machiauellus, & multam maledicendi caussam materiémque præbuit, si dicta dictis vlcisci vellem. Sed præterquam quòd mihi cum vniuersa gente nulla lis publicè suscepta est; etiam pudoris non obliuiscar, & siqua alia re, modestia certè ac temperamento linguæ stylíq. Gallus Italum vicero. Præclaros verò & singulari virtute Italos, à Machiauelli doctrina & secta prorsus

ſus alienos (quos & in Italia & extra Italiã haud pænitendo numero exiſtere certũ habeo) laudare magis quàm lædere ſeu verbo ſeu ſcripto paratus ſum. Itaq; ſi vno fortè aut altero loco Italos (vt Gallos etiam ſæpe) aſperius nomino: non omnes, non honeſtos & probos, Italos: ſed impios perfidos, Machiauelli diſcipulos, & ipſius etiam Italiæ ac terræ dedecora (à quibus quidquid Gallia malorum hodie videt, ortum eſt) deſignari à me maturè atque apertè ſignifico ac teſtor.

SED qua fronte Machiauellus Gallos Perfidiæ & vanitatis inſimulare auſus eſt? quãdo & hoc ex ipſius præceptis vnum eſt, A Principe fidẽ ſeruari non debere niſi quantum ipſi commodum eſt: & ſanctam fidem habere ſæpenumero eſſe perniciosum. Equidem cum Machiauello impudentia numquã certauero, neq; negauero multos hodie Gallos parum veraces, parũ fidei memores, eſſe: ſed vbi hæc vitia hauſerunt, niſi in ludo Machiauelli? At Caroli VIII. Ludou. XII. Franciſci I. & ipſius Machiauelli, temporib. & ſuperiorib. etiam ſeculis, Gallicam gẽtem Perfidiæ vitio laboraſſe nego. Neque exſtincti ſunt hodie omnes veri & germani Galli (Dei beneficio) qui Perfidiam toto animo exſecrantur, qui ſcelerum contra publicam & priuatam fidem à Machiauellitis perpetratorum & conſiliorum participes non ſunt: qui quòd Gallicam gentem hoc tam fœdo vitio pollutam & infamẽ vident, in ſinu taciti gemunt; & tamdem ſpero illos auitæ virtutis memores aliquando anniſuros vt veram & antiquam Gallis exiſtimationem famámq; reſtituant. Sed quæ intemperiæ agitarunt iſtum, quum Gallis Auaritiæ

etiam notam inureret? Nam ad hanc diem Galli liberales, comes, benigni, etiam in peregrinos & ignotos, vulgò habiti sunt. Atque vtinam, in eo ingenij & moris sui obliti, non tanta animi alacritate peregrinis, nisi longo vsu spectatis atq. exploratis, prodesse studuissent: neque ἐκ τῆς φιλοξενίας in ξενομανίαν incidissent. Non peregrinos in Gallia rerum omnium arbitros: Non ardentem ciuilibus incendiis patriam (quæ isti studiosè alunt, quum in turbido minus perspicuum fore putent quidquid moliuntur) Non exhaustam tributis plebem, ærarium pecuniis, ad explẽdam profundam istorum auaritiam & libidinem, videremus. Ecquæ verò tandem in orbe terrarum natio est, quæ de Gallorum auaritia meritò conqueri possit? quæ non illorum potius munificentiam quàm cupidinem sit experta? Quin potius ille Italorum sui similium auaritiam accusat, quę nos pecuniis & fortunis omnibus exuit? Quippe ex peregrinis istis Machiauellitis alij Publicani portoria, ex vectura, ex scriptura, & salaria annona vectigalia, Dominij regij reditus, & cetera publicorum fructuum exigenda quamminimo pretio volunt, conducunt. Denique redemturis & exactionibus agitandis pecunias ita callidè in se trahunt interuertúntque, vt nulla earum vel minima portione in Reipubl. vsus conuersa, summa publicè rei nummariæ inopia, regias sibi priuatim opes publico peculatu cumulent. Alij dignitatibus, officiis & sacerdotiis, in prædam correptis, ea via ingentem vim pecuniarum in suos loculos auertunt. Nõnulli etiã quos à Reip. muneri
bus

bus ſordes deterrent, celeberrimas per Galliæ vrbeis menſis publicè poſitis immenſo fenore plebem obruunt, & quidquid reliquum eſt ſanguinis & fortunarum exſugunt. Ætate Machiauelli nondum in tantas calamitates demerſa erat Gallia: iam tum tamen iſtorum auaritiam experiebamur in bellis quæ Reges noſtri in Italia, Inſubria & Pedemontio, gerebant. Quippe quum non tam ad militare ſtipendium & bellum alendum, quàm ad inſatiabilem iſtorum auri ſitim reſtinguendam, immenſę pecuniæ trans Alpes mittendæ eſſent, ſæpe neceſſe erat grauiora tributa populo indicere: quæ paulatim in tantam molem excreuere, vt miſeræ plebis fructuũ ſemiſſem exſuperent. Sed peregrina illa auaritia, qua tum Machiauellitæ in Italiam Gallicas opes per cuniculos eliciebant, merum mel erat, præut iſta eſt qua nunc Alpes tranſgreſſi, in medio Galliæ ſinu, Officiis, beneficiis, vectigalium redemturis & verſuris exercẽdis, graſſantur. Hinc omnes iudicent quo pudore Machiauellus cum ſuis Gallos auaritiæ inſimulet: quaſi parum eſſet ſpoliaſſe, niſi ad iniuriam ludibrium adiungerent. Niſi fortè id egit iſte, vt Gallos Auaritiæ paſſiuæ accuſaret: id eſt, eius quam à peregrinis exerceri in ſe patiuntur, qui Auaritia actiua non tantùm reipſa lanas & fortunas noſtras attondent, ſed nos quoque pecorum ritu iugulant, laniant & deglubunt. Hoc ſi ſic interpretemur (vti æquum eſt) certè vel ipſe Machiauellus docet, nos verè eſſe ignaua pecora, qui tam proiecta & ſeruili patientia nos peregrinis lacerandos & arrodẽdos permittamus,

Stolidè tamen etiã isti, si in aliena vel ignauia vel patientia nimiũ spei aut fiduciæ ponunt. Posse enim olim accidere vt rapinas auidius haustas euomere cogantur, neq. rarò illicitas exactiones vertere in perniciem, cogitare debuerant. Nam, vt ait Soph. *Non omni ex re lucrũ oportet cupere.*

Plures enim turpibus ex lucris
Damno affectos videas quàm seruatos.

QVOD ad Germanos attinet, quos Auaritiæ & Perfidię etiã iste notat, ánnon in eo Cynicã mordẽdi libidinẽ perspicuè prodit? Nam neq. in Germania, neque in iis Galliæ vrbibus, vbi Germani negotiandi caussa versantur, immanes illas & fœdas vsuras exercent, quales agitari solent ab istis: sed ciuili & legitimo super sortem pecuniæ fructu, id est, quincunciario, semunciario, aut vt plurimùm bessali fenore, contenti sunt. Italis verò ferè centeni nummi quinquagenos annuos, aut etiam centenos, pariunt. In Mercatura porrò nullos nec candidius nec sincerius Germanis agẽre vulgò notum est. Neque enim merces interpolant aut adulterant: neque callidè alias pro aliis subdunt: neque pluris indicant quàm quanti æstimari debeant: neque lucrum sordidum captant ex eorum simplicitate qui mercium pretia ignorant. Perfidiam autem etiam adeo exsecrantur, vt nullum grauius eo vitium existiment: atque vbi quis fidem & promissum semel fefellit vel minima in re, eũ deinceps pro honesto & probo viro nõ habeant. Sed quis miretur Machiauellum tam impudẽter Germanis ea vitia affinxisse, qui multo etiã absurdiora effutiuerit, vt ex ipsius verbis liquebit? Itaq. rem ipsam aggrediamur.

I. THE

I. THEOREMA.

Bonum Principis consilium ex ipsius prudentia nasci debet: si secus fiat, bono consilio vti non potest.

CERTVM est axioma & perpetuus canon (inquit Machiauellus) bonum consilium ex ipsius Principis mente ac prudentia nasci debere: non contrà, prudentiã Principis ex consilio bono. Quippe Principem, nisi ipse per sese sapiat, salubri consilio vti non posse. Nam si ad regimen rerum vnum duntaxat adhibeat, vix copia illi futura est eius viri, cui & magnis negotiis pari & virtute spectato secreta Principis inniti possint. Atque vt talis fortè reperiri queat, periculum est ne is Principem loco pellat. regni enim cupído nulla virtute coerceri potest. Sin verò Princeps minimè prudens plures in consilium vocauerit, haud dubiè discordibus ipsorum studiis contrariísque sentẽtiis perpetuò distrahetur, quas

conciliare nequeat. Interea ipsius consiliarij, rei magis priuatæ quàm publicæ memores, suis commodis seruient: neque ea mala Princeps vel nosse vel arcere poterit.

Princeps sua sponte sapiens.

Hoc Theorema de Principe primò speciem aliquam veri videtur præ se ferre: sed vbi attentè aduerteris, nō modò falsum est, verùm etiam perniciosum. Nihil equidem vtilius, nihil optabilius populo reipublicæve accidere potest, quàm vt Principem habeat qui suopte ingenio sapiat. Ac præclarè Plato, quum diceret eas demum felices ciuitates fore, in quibus vel philosophi regnent, vel qui regnent, sint philosophi, id est eiusmodi Principes qui non aliena sed sua prudentia vtantur. Quippe philosophi quondam nomen non ludibrio, vt vulgò hodie, sed in pretio erat: & M. Antonino, principi certè sapienti ac bono, impositum Philosophi cognomen, summi decoris monumentū fuit. Neque in re tam perspicua pluribus argumentis vtar non necessariis. Nihil enim clarius est, quàm incolumitatem publici status in eo sitam esse si extiterint tum qui bene imperent, tum qui bene pareant: ex quorū consensu concentus adeo cōcors & congruens efficitur, vt ex eo summam vtilitatem voluptatémque vtrique capiant. Sed is demum rectè paret, cui rectè & scienter imperatur: rectè autem imperandi ratio & via, imperantis prudentia constituenda est. Scitè igitur Seuerus Imperator: qui quum æger pedibus bellū moraretur, idq. milites anxiè ferrent, atq. eius filium

Spartianus in Seuero.

Basſianum

Baſsianum qui vnà erat Auguſtum feciſſent, tolli ſe atque in tribunal ferri iuſsit: adeſſe deinde omnes tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus autoribus id acciderat: mox ſiſti filium qui Auguſti nomen acceperat. Qúmque animaduerti in omnes autores facti, præter filium; iuberet, rogaretúrque, omnibus ante tribunal proſtratis, caput manu contingens, ait, Tandem ſentitis caput imperare, non pedes. Itaque rectum imperium ab imperantis prudentia proficiſci debet: quæ in pedibus lacertíſve ſita non eſt, ſed in bene compoſita mente, quam bona indoles, maturitas ætatis atque vſus adiuuant. Prudenter autẽ imperanti obſequium negari non poteſt. Etenim quum Princeps prudens imperia æquitate ac ratione, non libidine, definiat, eáque ad communem vtilitatem referat, neceſſe eſt ſubditos cùm vi æquitatis cogi, tũ dulcedine vtilitatis allici ad parendum. Ac ſiqui fortè his ad obſequium flecti non poterunt, mouebuntur tamen vel aliorum exemplo, vel pœnarum metu, quæ ſunt in manu Principis. Principum autem ſapientum autoritati libentiſsimè paruiſſe ſemper homines, ac ſub tali imperio floruiſſe opibus & omni rerum copia regna & ciuitates, pluribus exemplis docere longum eſſet: vnum aut alterũ decerpere de multis ſat erit.

Rex fuit ſapientiſsimus, idémque inſignis philoſophus Salomon: quippe cui nulla earum artiũ quæ ad res bene adminiſtrandas pertinent ignota eſſet, ſed plantarum etiam animantiúmque naturas ceteráque philoſophiæ arcana, ita exactè te- 1.Reg.4. 2.Chr.9.

neret,vt admiratione ſcientiæ & fama omnia cõpleret. Regibus quoque finitimis hæc illius ſapientia adeo venerabilis fuit, vt ipſius amicitiam vltro appeterent. Porro per omne regni tempus tanta pax & tam alta quies cum omnium bonorum vbertate manſit, vt apud Iſraelitas argentum quoque ipſum inſtar lapidum vileſceret. Ipſe for tunæ Principalis inſignibus ceteróque habitu & apparatu regio adeo conſpicuus fuit, vt nulli ſuperiorum ſequentiúmve Regum aut Imperatorum magnificentia ceſſerit.

Froſſard. li. 1. cap. 132. CAROLVS Sapiens regnum Galliæ initurus, multis malis & cladibus attritum reperit: quum Aquitania tota, pars Normaniæ & Picardiæ ab Anglis occuparentur. Res illi erat cum rege longè omnium,quicumque in Anglia regnarunt,feliciſsimo & fortiſsimo,Edvvardo III, quíq. paucis antè annis Gallos magnis prœliis duobus fregerat. Priore enim ad Creciacum conflictu aduerſus Philippum Valeſium Galliæ regem ceciderant vndecim Galliæ principes, mille ducenti equites, & militum triginta millia: Altero per principem Cambriæ filium & legatum ſuum in Pictonum agro Ioannem Gallorum regem vicerat & ceperat vnà cum Philippo filio (pòſt Burgundiæ duce) multíſque principibus, qui in Angliam traducti ſunt.His tot exercituum ſtragibus regni opes adeo attritæ erant, vt iam ſuis viribus niti non poſſet. Accedebant ad hæc mala ingentes ſeditionum procellæ commotæ tum Lutetiæ, tum aliis in Galliæ locis. Sed Carolus ita pruden ter dextréq. munia regni tractauit, & quum Delphinus

phinus patris in Anglia captiui vicē obiret, mox etiam Rex designatus, vt primùm sopitis intestinis dissidiis, paulatim Anglis eriperet quæ ditionis suæ fecerant. Neque tamen aut patri Ioañi aut auo Philippo, militię artibus par erat: sed quũ vtrumque prudentia anteiret, plura cõsilio quàm vi gerens, nihil temerè, nihil improuidè (vt illi, dum timidi videri nolunt) nihil nisi consultum & cogitatum agebat. Rarò arma induebat, sed vbi opus esset, & belli artium rudis non erat, & viros idoneos ac strenuos legere norat. Ergo rex Edvvardus, quum eius sollertia videret armorum suorum aciem retundi, & labefactari victorias suas: En (aiebat) eccui rex alius visus est, vel magis armorum insolens, vel qui mihi maiorem rerum laborúmque molem strueret? Totos dies domi sedens epistolas dictat: at me grauius inermis armatum litteris fatigat, quàm patris & aui ipsius arma copiæque fecerint. Adeò pollebat prudentia Carolus, vt illi hanc laudem hostis tribuere nõ dubitaret. Quippe non modò ille populum, egestate prius ac miseria perditum, primùm pace, deinde larga opulentia, recreauit: verùm tam ingentes quoque cumulauit diuitias, quas reliquit filio, vt inde non tantùm Sapientis cognomen, sed etiam Diuitis, ferret.

Prudentia magis necessaria in cõsiliariis Principis, quàm in ipso.

ITAQVE minimè ambiguum illud est, præclarè agi cum populo, cui Princeps obtigerit ita genitus, ita educatus, vt alieni ingenij non egens sponte sua sapiat. Sed Machiauelli conclusio, Nõ posse igitur Principem, nisi ab se vno, consilium vtile capere, ea demũ falsa est & perniciosi exem-

pli. Etenim Principem non vsqueadeo cæcare debet propriæ sapientiæ opinio, vt alienam aspernetur. Ipse Salomon & Carolus Sapiens sapientes viros in consilium adhibere consueuerant. Neq. illi tantùm aliena consilia spernenda non sunt: verùm danda etiam opera vt omni deposita pertinacia, proprio iudicio diffisus, aliorum sententię, vbi opus erit, libenter accedat. Ad hunc modum M. Antoninus Philosophus, sapientissimus Imperator, semper cum optimatibus non solùm bellicis de rebus, verumetiam ciuilibus, priusquam aliquid ageret, consultabat. Ac si fortè inter deliberandum (vt fit) diuersum aliquid ab illis sentiret (illi autem erant, Scæuola, Volusius Metianus, Vlpius Marcellus, aliíque graues & consulti viri) tum, Æquius est, inquiebat, vt ego tot & talium amicorum consilium sequar, quàm vt tot & tales amici meam vnius voluntatem sequantur. Huic præclaro Antonini dicto suffragatur vulgatum prouerbium, Plures oculos clarius videre quàm vnum: tum experientia docet prudentiora & tutiora ea esse consilia quæ tractantur à pluribus, quàm quæ vnius mente agitantur. Atque is fuit mos Romanæ Reipublicæ, hodiéque, vt quondam, idem institutum vsurpatur in ciuitatibus bene constitutis, vti plures de summa rerum communi consilio deliberent, ac demum perrogatis percensitísque sententiis id ratum sit quod maiori parti placuerit. Equidem quo maiore sapientia pollebit Princeps, eo modestius de sese sentiet, libentiúsque patietur se ac res suas (id est, publicas) sui senatus consilio prudentiáque

Capitol. in M. Anton.

Dionys. Hal. lic. lib. 2.

tiáque

tiáque regi. Sin verò (vt nullis ferè stolida sapientiæ opinio maiores spiritus subdit, quàm iis qui nihil sapiunt) hoc axioma Machiauelli Principi, suo iudicio prudenti, subieceris, Non posse videlicet ipsum à quoquam vtilius consilium capere quàm à seipso: Rempub. tutius administrari domesticis consiliis, quàm alienis: age, spectare libet quorsum hæc stolida prudentia euasura sit. Vbi enim hoc in animum induxerit, suo vnius consilio posse stare res suas, non se à quoquam moneri, non à temerè incepto reuocari, patietur: denique superbæ aures, cótemtus omnium hominum, aditus difficiles etiam prudentibus amicis, omnia in exitium præcipitia, ipsum & reipubl. statum pessumdabunt. En præclaros Machiauellæ philosophiæ fructus. Itaque potius animum inducat Princeps, in repub. administranda, aliena sapientia vti, suam suspectam habere. Etenim si in consultando sententiam reip. salutarem dixerit Princeps, facillimè illi accedent Consiliarij, qui Principis opinionibus minus rectis cupidius quoq. assentiuntur: sin ab eo dissentiāt, cogitare is debebit aliquid aut iniusti aut absurdi inesse suæ sententiæ quam repudiare cogantur. Quòd si adeo imprudēs sit Princeps (nam Imprudentem & Principē esse insociabilia nō sunt) vt cōsulere ipse quid in rē sit nō posit, obtēperare tamen in animū induxerit bene cōsulentib. ita melius haud dubiè principē locū & rēp. tuebitur, q̃ si suo tantū ingenio vtatur. In primis autē oportet viros esse idoneos, probos, & spectatæ virtutis quos in consilio habeat: idq. destinatū habere aio,

vt Principis commodis, id est publicis, seruiant. Illi enim si vitiosi sunt, res Principis, siue ille sapiens siue insipiens sit, saluæ esse non possunt. Quippe sapientem quoque multa fugiũt, & ea tantùm scire cogitur, quæ Consiliarij, rerum omniũ arbitri atque interpretes, referunt: qui si prauo ingenio fuerint, dabunt enixè operam nequid eorum quæ geruntur intelligat, nisi quidquid ipsis visum fuerit, vt minore negotio incautum in suam sententiam flectãt. Insipientem verò multo etiam facilius mali Consiliarij ad arbitrium versabunt, secordiáque illius pro libidine abutentur.

QVAMOBREM hoc Axioma pro certo veteres tenuere (multũ ab isto Machiauelli placito dissidens) longè præstare ad reipubl. salutem, mali Principis bonos Consiliarios, quàm boni malos, existere. Sed quoniã ea de re insignis extat Lampridij locus, eum propter singularem elegantiam adscribere visum est. Hæc enim sunt ipsius verba ad Constantinum Magnum in Alex. Seueri vita: (Lamprid. in Alex. Seuero.)

» Soles (inquit) quærere Constãtine Maxime, quid
» sit quòd hominem Syrum & alienigenam talem
» principem fecerit, quum tot Romani generis, tot
» aliarum prouinciarum, reperiantur improbi, im-
» puri, crudeles, abiecti, iniusti, libidinosi. Iam pri-
» mùm possum de bonorum virorũ respondere sen
» tentia, potuisse natura, quæ vbique vna mater est,
» bonum principem nasci: deinde timore, quòd pes
» simus esset occisus, hunc optimũ factum: sed quia
» verum est suggerendum, clementiæ ac pietati tuæ
» lecta reserabo. Notum est illud pietati tuæ quod
» in Mario Maximo legisti, meliorem esse remp. &

propè

propè tutiorem, in qua Princeps malus est, ea in " qua sunt amici Principis mali. siquidem vnus ma " lus potest à plurimis bonis corrigi: multi autem " mali non possunt ab vno, quamuis bono, vlla ra- " tione superari. Et id quidem ab Homulo ipsi Tra " iano dictum est, quum ille diceret Domitianum " pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse: " *atque adeò illum magis odio fuisse qui rempub. " peioris vitæ hominib. cõmendauerat, quia melius " est vnum malum pati quàm multos. Et, vt ad rem " redeam, Alexander quidem & ipse optimus fuit " (nam hoc nemo vult nisi bonus) & optimæ ma- " tris consiliis vsus est: attamen amicos sanctos & " venerabiles habuit, non malitiosos, non furaces, " non factiosos, nõ callidos, non ad malum consen- " tientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, " non crudeles, non circumuentores sui, nõ irriso- " res, non qui illum quasi fatuum circumducerent: " sed sanctos, venerabiles, continentes, religiosos, " amantes Principis sui, & qui de illo nec ipsi ride- " rent, nec risui esse vellent: qui nihil venderent, ni- " hil mentirentur, nihil fingerent, numquam deci- " perent existimationem Principis sui, sed amarēt. " Huc accedit quòd Eunuchos nec in consiliis nec " in ministeriis habuit, qui soli principes perdunt, " dum eos more gentium aut regum Persarum vo- " lunt viuere: qui à populo etiã amicissimum Prin- " cipem semouent: qui internuntij sunt, aliud quàm " respondetur sæpe referentes, " claudentes princi- " F. eludentes. pem suum & agentes ante omnia nequid sciat. " Qui quum emti sint, & praui fuerint, quid tan " dem possunt boni sapere? Erat denique eius i- "

„ psius sententia, Ego de præfectorum & consu-
„ lum & senatorum capitibus mancipia ære emta
„ iudicare non patiar. Scio, Imperator Constantine
„ quo periculo ista dicatur apud Imperatorem qui
„ talibus seruit: sed salua repub. postea quam intel-
„ lexisti quid mali clades istæ habeant, & quem-
„ admodum principes circumueniant, & tu eos eo
„ loci habes vt nec chlamyde vti iusseris, sed neces-
„ sitatibus domesticis delegaris. Iam illud insigne.
„ quòd solum intra palatium præter præfectum, &
„ Vlpianum quidem, neminem vidit: nec dedit ali-
„ cui facultatem vel fumorum vendendorum de se,
„ vel sibi de aliis malè loquendi, maximè occiso
„ Thurino, qui illum quasi fatuum & vecordem sæ-
„ pe vendiderat. His accessit, quòd amicos & paren
„ tes Alexander si malos reperit, aut puniuit, aut si
„ vetus amicitia vel necessitudo non siuit puniri,
„ dimisit à se, dicens, His carior est mihi tota resp.
„ Et vt scias qui viri in eius consilio fuerint, Fabius
„ Sabinus Sabini insignis viri filius, Cato temporis
„ sui: Domitius Vlpianus iuris peritissimus: Ælius
„ Gordianus, Gordiani Imperatoris pater, & ipse
„ reuera vir insignis: Iulius Paulus iuris peritissi-
„ mus, Claudius Venatus, orator amplissimus: Pom
„ ponius, legum peritissimus, Alphenus, Africanus,
„ Floretinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes
„ Venuleius, Triphonius, Metianus, Celsus, Pro-
„ culus, Modestinus, (hi omnes iuris professores
„ discipuli fuere splendidissimi Papiniani, & Ale-
„ xandri Imperatoris familiares & socij) Catilius
„ Seuerus cognatus eius, vir omnium doctissimus:
„ Ælius Serenianus, omnium vir sanctissimus:
Quinti-

Quintilius Marcellus, quo meliorem ne histo-"
riæ quidem continent. His tot atque aliis talibus "
viris quid mali potuit cogitari vel fieri, quum ad "
bonum consentirent? Et eos quidem malorum "
cohors depulerat, qui circumuenerant Alexan- "
drum primis diebus: sed prudentia iuuenis his "
malis occisis atque depulsis, amicitia ista sancta "
conualuit. Hi sunt qui bonum principem suum "
fecerunt; & item amici mali, qui Romanos * pes- *. deest vox
simos, etiam posteris, tradiderunt suis vitiis la- Principes.
borantes. His Lampridij verbis nouum istud "
Machiauelli dogma conuelli quis non videt? ac
perspicuè doceri, bonos Principis familiares
posse ipsius amentiæ obuiam ire, ac regere effre-
nes eius appetitus: sed à bono Principe malos
Consiliarios vix ac ne vix quidem corrigi posse,
quibus sollemne est Principem mendaciis fumis-
que pascere, premendo quidquid ipsum scire rei-
publ. intererat?

ID planius etiam fieri potest eorum princi-
pum exemplo, qui virtutis ingeniique modici,
prudentium tamen virorum consilio vsi, rem-
publ. egregiè administrarunt. Quum Gordia-
nius iunior, vndecim annos natus, Cæsar ap-
pellatus esset, plerique puerile imperium, vt imbe-
cille, aspernabantur: sed quum Misithei, sapientissi-
mi viri, filiam duxisset vxorem, socerique consiliis
adiuuaretur, multa præclara domi, multa militiæ
gessit. Apud eum certè aliquando conquestus est,
Miserum esse Imperatorem apud quem vera reti-
ceantur: qui quum ipse publicè ambulare non

Principes modicæ prudentiæ, bono tamen consilio vtéces, remp. bene administrant. Capitol. in Gord. iun.

poſsit, neceſſe eſt vt audiat, & vel audita vel à plu rimis relata cõfirmet. Res quidem Romana tamdiu ſub Gordiano incolumis & valida ſtetit, dum vixit Miſitheus.

1. Reg. 11, & 12. & 2. Chron. 23.

IOAS regnum Iehuda ſeptem annos tantùm natus iniit: ſed ipſius pueritiæ rector educatórque auunculus Iehoiada, vir ſapientiſsimus, erat. Ergò quamdiu is vixit, tantiſper regnum prçclarè adminiſtratum eſt.

CAROLVS VI, tredecim annorum puer, inſuper imbecillæ mentis, regni Galliæ hereditatem adiit: Reipub. tamen procuratio à tribus ipſius auunculis, Andium, Biturigum, & Burgundiæ ducibus, ad puberem regis ætatem bene & ſapienter eſt geſta: neque, hoc vno excepto quòd pecuniam auidius de publico ſumerent, quidquã in eis deſideratum eſt. At equidem paullo pòſt, qùum idem rex iam regni potens repentinò errore mentis affectus eſſet, & ad eoſdem delata eſſet Regni adminiſtratio, non ſimili modeſtia egere: ſed æmulatione, ambitu, auaritia, vlciſcendi libidine, vecordes, interregnum illud ſuum infeſtum fecerunt: ſed, vti dixi, dùm regis impuberis regniq. tutelam gererent, neminem temporis illius pænituit.

Annales Galliæ, in annum 716, & ſeq.

CLOTARIVS IIII, & Chilpericus II, Galliæ reges, animo ingenióque ſecordes, per imprudentiam inertiámque Regni muneribus per ſe obeundis impares erant: ſed regimen rerum penes Carolum Martellum, fortiſsimum virum, erat: qui regnum illud nõ modò incolume præſtitit, ſed etiam ornauit inſignibus victoriis.

MEMO-

MEMORIA nostra Carolus V, puer admodũ à patre Philippo & auo, non magis regnorum quàm summarum difficultatũ heres, relictus est: neque spes erat à puero tantam & tam confusam rerum molem posse sustineri. Ergo prospiciens animo pater Curatoris sapientis & fidi egere filium, illius educationem ac curam Ludouici XII Galliarum regis fidei commisit, cuius integritatem pridem expertus erat. Ille, etsi hæc procuratio proferendæ ditionis materiam non difficilem præbebat, quum tamen ei tanta vtilitate fides antiquior esset, eam sincerè administrauit. Caroli enim pueritiæ rectorem apposuit Caprensem, virum nobilem, egregium virtute ac fide: cuius consiliis præceptisque institutus Carolus, tantam de se hominũ opinionem & exspectationem commouit, vt ei vigesimum agenti annum Imperij dignitas deferretur. Bellaius lib. 1. Comment.

DOMITIANVS Imper. non modò demens verùm etiam crudelis fuit. Sed fortè contigit vt eo imperante magistratus & prouinciarum præsides integrè & abstinenter sese gererent. Ergo tum Rom. Imperium non infeliciter administratum est: priuati tantùm aliquot sæuitiam & cetera vitia eius sensere. Suet. in Domit. cap. 3. 4. 8. 10.

CAROLVM VIII pater, tredecim annos natum, Galliæ regem reliquit: cetera egregiũ principem, sed neque viuido ingenio neque prudẽtia insignem. Regni tamen ordinibus Turones conuocatis Reip. procuratio certis viris in eo Concilio lectis & probatis mandata est: eáque sapienter ab iis administrata ad iustam Regis ætatem; etsi Annal. Gal. in ann. 1484.

tum quoque vexabatur Gallia dissidiis intestinis, per eos concitatis quos publici Status rerum cura demouerant.

ALEXANDRI Seueri exemplum iterare non libet qui (vt antè dictum) prudentium amicorum fideli opera & consilio vsus, bene acti principatus decus perpetuum tulit. Possem plura Galliæ regum exempla, possem Rom. Imperatorum proferre: quorum alij quum bonarum artium planè rudes essent, nonnulli in luxum & delicias resoluti, aliqui sæuitia tantùm aut bello insignes (cuiusmodi fuere, Philippus, Licinius, Diocletianus, Maximinus, Carus, Carinus, Gallus, Constantius, Aurelianus, Galienus, Leo, Macrinus, Zeno, Iustinianus, &c.) leges tamen ipsi quoque & iuri ciuili condendo, & Imperio componendo, saluberrimas scripserunt. quod ex Codice Iustinianeo cuiuis colligere promtum est. Earum porro legum autores fuisse non dubitauerim sapientes & doctos viros quos illi in consilio habebant. nam eorum quidem quorum nomina edidi, quotusquisque literas norat (excepto Macrino) vt præclaras leges tam accuratè conderet? Quamobrem aduersus Machiauelli dogma concludo, Remp. à Principe minus per se sapiẽte, ceterũ obtemperante fideliũ & non insipientiũ amicorũ consiliis, commodè ac salubriter administrari posse.

De bonis Consiliariis ac magistratibus legendis.

SVPEREST tamen hoc loco minimè spernenda quæstio: Qua ratione videlicet Princeps, cui in sua prudentia parum præsidij est, fideles Consiliarios nancisci possit: quod vel prudentissimis principibus arduum est. Hìc ego ingenuè fatebor,

bor, vix quidquam difficilius esse Principi, aut curæ magis ancipitis, quàm internosse quos legere, quos arcessere in partem curarum & consiliorum debeat. Quippe mortalium plerique falsi, occulti, callidi, turpeis animos subdola modestia tegũt, & quos integros multi crediderant, alios esse magistratus prodit, vbi quæstus aut quælibet alia spes, excutiendæ virtutis ingenio materiam præbuit. Tam verum quàm vulgatum prouerbium est, Honorib. mutari mores. multos enim videas in priuata fortuna faciles & comes erga humillimum quemque, mox vbi ad honores ascendêre, eò superbiæ venire, vt vix etiam familiari vsu notos agnoscant. Digni profectò quos è gradu arrogantia deturbet, in quem simulata modestia euexit. Neque hoc vitium in Principis tantùm amicis odiosum est, sed in ipso quoque Principe, qui non vt diadema & purpuram, ita fastum induere debet. Meritò quidem ea de re obiurgatur Agamemnon à Menelao fratre in quadam tragœdia Euripidis: Eurip. in Iphig. in Aulide.

Scis quando cupiebas præfici Græcis ad Ilium,
In speciem non petens, sed animo volens,
Quàm humilis eras omnem dextram attingens,
Et ianuas habens non clausas volenti ex populo,
Et dans alloquium ordine omnibus etiamsi quis non volebat:
Moribus quærens mercari honorem è vulgo.
Deinde postquam potitus es imperio, mutans mores,
Amicis non amplius fuisti prioribus sicut antè amicus,
Difficilis aditu & intra claustra rarus.

Atqui virum non conuenit præstantem
Auctum rebus magnis mores mutare.

Ista igitur morum inconstantia, quæ multorum ingeniis insita est, rem' per se difficilem difficillimam Principi facit, laboranti ne aberret in deligendis viris quos in consilium adhibeat. Verùm, etsi facile non est docere quibus illos notis discernat, quibus quasi vestigiis sequatur ac reperiat, operæpretium tamen est dispicere isto loco, quid in Principis amicis probandis legédisve sollers antiquitas obseruauerit. pòst ad institutum reuertemur.

PRIMVM tres veluti leges ad eam rem opportunas à veteribus Gallis vsurpatas fuisse comperio. Vna erat, vt Principes regiæ stirpis consilio regio semper interessent. Etsi enim pleriq. illorum neq. animo intrepido, neq. artibus ad remp. gubernandam necessariis instructi sunt, eos tamen, quum regem ipsum sanguine contingant, excludi fas non est, nisi ob insigne flagitium aut scelus. Quippe ex eo (sicuti sæpius vsuuenit) graues offensiones, iræ, dissidia, factiones, nasci solent, quæ mox in publicas calamitates & bella ciuilia erumpunt. Altera, vt nouus rex veteres amicos demortui regis, qui bene remp. administrasset, in ministerio retineret, eos præsertim qui probitatis & fidei existimationem consequuti essent. Tertia lex erat, vt Regni Ordines lectos regi moderatores & consiliarios attribuerent, vel quum is per ætatem suæ tutelæ non esset, vel mente fortè esset captus: cuius vtriusque rei exemplum in Carolo VI Galliarum rege, editum est. Has leges,

ges, ſicuti nemo iure, vt leuis aut temerè à maioribus inſtitutas, repudiauerit: ita facilè quiuis animaduerterit non vſquequaque eſſe idoneas ad bene conſtituendum Conſilium Principis. Fieri enim poteſt vt iuſtæ ætatis Princeps paucos aut nullos ſuæ ſtirpi annexos proceres habeat, qui longo rerum vſu prouidere reip. didicerint: tum, vt conſiliarij veteris aulæ, vel fato conceſſerint, vel improbi exiſtant, vel negotiis impares. Hæc ſi caſu contigerint, quid ſupereſt niſi vt nouos legat, & quidem alia via quàm quæ his legibus præſcribitur?

QVAMOBREM mihi luculentum ac imitandum videtur exemplum Alexandri principis, atque inſtitutum quo in Conſiliariis & magiſtratibus legendis vti conſueuerat. Primùm enim præſides, proconſules, & legatos numquam ad beneficium faciebat, ſed ad iudicium vel ſuum, vel ſenatus. Atque adeò non niſi honeſtos & bonæ famæ homines, & ſi aliis in muneribus ſui ſpecimen dediſſent, ad honores admittebat. Itaque vbi voluiſſet aliquos vel rectores prouinciis dare, vel præpoſitos facere, vel procuratores, id eſt rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum vt ſiquis quid haberet criminis, manifeſtis rebus probaret: dicebátque graue eſſe, quum id Chriſtiani & Iudæi facerent in prædicandis ſacerdotibus qui ordinandi ſunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus fortunæ hominũ committeretur, & capita. Honores præterea iuris gladij vendi numquam paſſus eſt, dicens. Neceſſe eſt « vt qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores «

Lamprid. in Alex.

„ poteſtatum: quos ſi patiar, damnare non poſſum. „ Erubeſco enim punire illum hominem qui e- „ mit & vendit. Idem ſuſpectos habebat eos qui vltro honores ambirent, nec tantùm inutiles ſed etiam pernicioſos reip. exiſtimabat: contrà probos ac prudentes viros, ceterum quietos & à publicis muneribus abhorrentes, vt ſuſciperent cogebat. Sic quum aliquando quendam præfectum præt. deſignaſſet, íſq; ne fieret, fugiſſet, illum retractum à fuga Imperator eâ dignitate, quamuis reluctantem, ornauit, dicens, Inuitos, non ambientes, in rempubl. collocandos. At Ouinium Camillum ſenatorem tyrannidem affectantem non illepidè corripuit. Ei enim in palatium accito gratias egit, quòd curam reip. quæ recuſantibus bonis imponeretur, ſponte reciperet. Idem numquam ſenatorem ſine omnium ſenatorum qui aderant conſilio fecit, ita vt per ſententias omnium crearetur, & teſtimonia dicerent ſummi viri: ac ſi fefelliſſent, vel teſtes, vel ij qui ſententias dicebant, poſtea in vltimum reiicerentur locum, ciuium condemnatione adhibita, quaſi falſi rei approbati, ſine vllius indulgētię propoſito. Scilicet hæc illis inurebatur culpæ cōgruēs nota. nam qui indignum hominē illicito more prouehere nititur, dignus eſt ipſe qui ordine & loco moueatur.

GALLIAE noſtræ Annales hunc Alexandri Imper. morem à Regibus quoque noſtris vſurpatum quondam fuiſſe, in legendis ſenatoribus & magiſtratibus, memorant. Nam veteribus Senatuſconſultis (quæ in publico Statuū concilio, quod Aureliæ habitum eſt anno 1562, de integro ſancita

ſunt,

ſunt,ſed poſtea malè obſeruata) cauebatur ne Officia publica aliis deferrentur, quàm iis quorum nomina cæteri magiſtratus, Conſules ciuitatum, aut Præſides prouinciarum,apud Regem profeſsi eſſent: qui verè teſtari poterant quàm ſanctè integréque egiſſent,& quàm idonei eſſent ad munus publicum, ij quorum nomina edebant. Magiſtratus autem venales iampridem in Gallia eſſe, iiſdem ex Annalibus facilè liquet. Philippus quidem Cominæus narrat quo tempore bellum, Boni publici vulgò dictum, gereretur aduerſus Ludouicum XI. Galliæ regem (circiter annum 1464) iam tum Pariſienſes publicam auctionem & mercaturam Officiorũ inſtituiſſe: quam etiam præ ceteris Gallis cupidiſsimè exerceāt. Videre eſt (inquit) qui Magiſtratum, cui nullum ſtipendium de publico attributum eſt, octingentis coronatis licitetur: videas etiam qui Officium publicum tanti redimat,vt eius precium quindecim annorum ſtipendia ſuperet. Mihi tamen Cominæus,dum cauſam exſequitur quæ Pariſienſes vltro magiſtratuum adeo appetentes efficiat, ſcopum non videtur attingere. Ea enim germana videtur eſſe cauſa, quòd Pariſienſium moribus & inſtitutis non liceat patrifamiliâs plus relinquere ex hereditate vni liberorum quàm ceteris, neque vlla re illum auctiorem facere,præterquàm Officiis:ac proinde Pariſienſes,qui liberorum quempiam præ ceteris eximium habeant,illíq. amplius conſultum velint, ad Officiorum mercatum cogi. Verùm vtinam potius liberum fuiſſet Pariſienſibus legare quantum vellent ex bonis,& cuicun-

Comin. lib. 1. cap. 6.

que vellent, quàm ab his fœda ista Reip. munerum nundinatio in nostros mores esset inuecta. Mirum quidem certè est quod adiicit Cominæus, iam Ludouici XI. temporibus Senatum ipsum Parisiensem autoritate sua istud commercium, vt licitum, probasse: etsi non apertè significet quætum Officia venum exponi liceret. Neque enim verisimile est à Senatu toleratam fuisse Iuridicialium officiorum emtionem: sed fortè Accensorum, Castellanorum, Lictorum, Notariorum, munera, Quæsturæ, Ædilitates, Aquarum & siluarum procuratio (vt vocant) & similia, emebantur: non Præsidum, Consiliariorum; Prætorum, Iudicum, Seneschallorum, munia. Nam ex Annalibus colligere licet regẽ Ludouicum XII (qui Pater populi cognominatus est) vt populo parceret, grande æs alienum à Carolo VIII. contractum dissolueret, & Ducatum Mediolanensem recuperaret, primùm Regia (quæ vocant) Officia instituisse vendere: Iuridica tantùm non attigisse. Seilicet memorabilis hic Princeps; quum cogitaret ita posse populum oneribus ac tributis leuari, non minus sibi licere existimauit hæc Officia pro suo iure vendere, quàm iis quibus ea collata essent: qui (vt dixi) ea palam, tolerante & permittente Senatu, pretio addicebant. Sed mox sequenti tempore licentiæ huius exemplum vsúsq. adeo valuit, vt, ne Iuridicialibus quidem officiis exceptis, omnes dignitates non aliter quàm voci præconis hastæq. subiectæ promiscuè venales essent. Neque id populi subleuandi gratia fieri hodie, vt quondam, prætexi potest. Nam à quibus auidius

Annal. in annum 1499

uidius

uidius plebs arroditur, quàm ab istis Officiorum mangonibus, qui quum rem familiarem iis emendis exhauserint, alicunde lacunas suas explere volunt? Idque non sine aliquo colore: si quidem verè ab Alexandro Imper. dictum est, Quidquid emi potest, id etiam posse vendi. Ceterum quemadmodum Alexander Imp. (vti diximus) in legendis magistratibus eos qui Reip. munia detrectarent vltro ambientibus præponere consueuerat, ita id ab regibus nostris factum non semel accepimus. Sic Carolus Sapiens Conestabilis dignitatem generoso equiti Bertrando Guesclino detulisse fertur: multùm recusante Guesclino, ac testante, sibi satis superque esse si Equitis locum impleret: Conestabilis fastigium munúsque adeo in excelso esse, vt qui eo dignè defungi velit, non infimis magis quàm proceribus ipsis imperare debeat: id verò fortunam ac modestiam suam ferre non posse, vt fratribus ipsis & consobrinis Regis imperet. Tum Rex: Caue putes, inquit, Bertrande, valituram apud me excusationem tuam. quippe mihi nec frater, nec cognatus, Coméśve aut Baro, in hoc regno est, quin tibi libens pareat: ac qui secus egerit, autoritatem meam tuámque periculo suo sanciet. His ergo victus Guesclinus, munus illud suscepit. Tempore Caroli VI (hic filius Caroli Sap. fuit) in Galliis erat prudentia factis & stirpis nobilitate longè clarissimus eques Cucius, qui sæpe domi militiæque Regno ac Regi egregiam operam nauauerat. Huic tali & tanto viro idem illud munus iniungere quum vellet Carolus, is verecunda præfatione vsus, se

Frosf. lib. 1. cap. 260. lib. 2. cap. 49.

Annal. in ann. 1402.

„ tantæ moli parem non esse: Oliuarium Clissonem
„ (inquit)Rex habes, quem mihi ego vltro antepo-
„ no, virum fortem, strenuum, sapientem, &, quod
„ caput est, militibus gratum. Sed quemadm. Oliuarium Cucius sibi pręponebat, velut digniorem, ita Oliuarius Cucium. Tandem, quum diutius inuicem modestia certaretur inter pares, finiuit rex certamen, & Oliuarium coegit subire illud munus: quo summa cum laude defunctus est. Ludouicus quoq. Sancerranus, Conestabilis locum quum morte sua vacuũ fecisset, & à Rege in illius locum subrogaretur Carolus Albretius comes Druydensis, non prius tamen eò se perduci passus est, donec eum Rex autoritate atque imperio compulit. Vbinam extant hac ætate similis modestiæ exempla? Vbi reperias qui ad Reip. munia fungenda alios quàm se aptiores putent? Vbi prisca illa secula, quibus non alij honores in pretio erant, quàm qui virtute essent parti? Vbi sapientissimi illi principes, qui neminem dignitate ornarent nisi dignum & virtute meritum? dignos autem & idoneos ipsimet legere norant? Incidimus planè vel in Aureliani Imper. tempora, quibus (iam tum videlicet labente Imperio) dignitates non virorum; sed diuitiarum, erant: vel in Cęsaris & Pompeij ætatem, qua Romana Resp. interiit, & versus est ciuitatis status: qua leges, magistratus, & suffragia populi, ambitu, gratia, pecunia, postremò vi, turbabantur: qua honores & præmia virtutum solis potentum clientibus, & quibus vellent, patebant. Hæc à me commemorata exempla, etsi nihil nisi exempla sunt, possent tamen

Vopiscus in Aurel.

Plut. in Cæs.

men vim autoritatémq. legum habere apud nos, nisi pigeret Alexandrum Seuerum imitari, qui odiosis illis & ambitiosis honorum petitoribus honores non mandabat, sed modestis & qui non appeterent: quales, Guesclinos, Cucios, Clissones, Albretios, Gallia quondam tulit. Nam qui magistratus anxiè & dubitanter adeunt, eos ferè maiori fide ac prudentia, quàm qui cupidè suscipiunt, gerere solent.

IAM, postquam strictim docui quæ in componendo Principis Consilio & legendis magistratibus seruanda, quæ contrà vitanda, sint: paucis item exsequi statui quàm boni ac prudentes Consiliarij Principi vtiles & necessarij existant. Scitè enim Plato cceterique philosophi summam Principis potestatem contulisse videntur diurno Solis curriculo, quo dies naturales conficit: amicorum verò ipsius prudentiam, annuo eiusdẽ cursui, quo plenum annum absoluit. Vt enim solem Mathematici non eodem motu volui ac cælum prædicant, neque prorsus aduerso tamen & opposito, sed obliquam atque leuiter inflexam cursus formam tenendo, lentum, flexibilem & sequacem efficere amfractum, quo vniuersitas constat, atq. optimam accipit temperaturam: ita si summum Principis imperium, per se violentum & formidabile, æquitate & prudentia fidelium ipsius amicorum temperetur, inde existet salubris illa & delectabilis in Republ. moderatio, qua mundum quoque ab ipso Deo regi perhibent, non violentia, sed lepôre & ratione inducendo, qua seueras necessitatis leges leniat. Hoc igitur imperij &

Bonum consilium Principis opes tuetur.

Plut. in Phocione.

prudentiæ temperamentum ita vtile est, vt sine eo Reip. status diuturnus esse nō posſit. Cuius rei nimium multa documenta extant in principibus imprudentibus & inconsultis. quippe continuò licentia principatus corrupti, simulatque potestatem in libidinem, legitimum imperium in tyrannidem verterunt, in omnia simul dedecora ac scelera velut frenis exsoluti prorumpunt. quæ vbi antecessere, exiguo mox interuallo grauis ipsorum & principatus ruina sequitur. Verū enim illud est, Vim ac metum, malum custodem diuturnitatis esse.

Bonum cōsilium Principi decus conciliat.

AT contrà Prudentia temperata autoritas fundamenta Principatus stabilit, beneuolentiam & obsequium subditorum Principi conciliat, vicissimq. Principem subditis, vt sub eius fide beatè ac tranquillè viuant. Atque hic non mediocris est boni Consilij fructus: sed & iste quoque præclarus, quòd Principi bonam famam laudémq. cōparet. Etsi enim fortè Princeps ipse prudens non sit, vulgò tamen habebitur, si prudentibus vtetur Consiliariis. Quippe solent plerumque præclari rerum exitus Principi tribui: vt victoriæ laus in bello, quod, quamquam ipsius auspiciis, legatorū tamen & ducum præcipuè industria gestum est: in pace, edictorum legúmque & ceterorum quæ ad Reip. incolumitatem spectant. Ita Reip. bene administrandæ labor & cura, prudentium virorū est, qui Principi adsunt: bene administratæ fama & gloria, Principis. Præterea fieri non potest vt Princeps (si modò planè hebes & plumbeus non erit) assiduo sapientum vsu se ipse non acuat atq. perpo-

perpoliat ad res cognoſcendas & gerẽdas. Vtcumque enim rerum peritos amicos nactus ſit, non debet tamen eouſque omnes curas in eos reiicere, vt ipſe nullam earum partem attingat. Neque abſurdè à Cominæo dictum eſt, ius munúſque honorificum Principatus non idcirco à Deo inſtitutum eſſe, vt ei beſtiæ illudant. Facetè quoque ille & meritò deridet Principes, qui de re ſeria compellantibus reſpondere ſolent, Se neſcire literas: ſe eius generis negotia eorum fidei ac curæ commiſiſſe quos in conſilio habeant. Vbi hæc dixere, properant ad ludicra. Nam ſi à pueritia (inquit) bene educati eſſent, honeſtioribus cauſſis velarent ignorantiæ dedecus, & præ ſe ferrent ſe non eſſe à ſapientia & virtute alienos. Comin. lib. 1. cap. 6.

Bonum consilium Principem admirabilem & formidabilem efficit.

PRAETEREA haud dubiè Princeps, quem fama tulerit ſanis conſiliis morem gerere, apud exteros admirationẽ ſui, apud hoſtes formidinem, mouebit: neque inimicis ex ſe creſcendi poteſtatem vmquam faciet. Sic Annibal Romanos duces cautos & prudentes multò vehementius metuebat quàm feroces atque feruidos. Itaque quum Sempronium & Flaminium, promti & rapidi ingenij imperatores, Romani aduerſum ſe miſiſſent, gaudebat Annibal: ac quum ferocius quàm conſultiùs rem ſciret geſturos, eorum temeritati inęſcandæ leuibus aliquot pręliis ſinebat ſe vinci, atque id damnum haud ægrè patiebatur, vt cauſſam iuſti certaminis cum illis contraheret. Deinde quo proniores eſſent in vitia ſua, eos ſociorũ cædibus atque incendiis irritabat Pœnus. Illi ſuum dedecus rati per mediam Italiam Pœnum Liu. lib. 22.

impunè vagari, pugnandi consilium cepere. Ita dum præproperè vniuerso periculo summam rerum committunt, insignibus præliis duobus ab Annibale victi sunt. Sed dictator Fabius longè alia ratione bellum id gessit. Nam consilio magis quàm fortunæ confidens, itineribus summa cum cura exploratis, ad hostem ducebat: neque quoties Pœnus in aciem educeret, faciebat pugnandi copiam. Ea sollers cunctatio Fabij Annibalem non mediocri cura solicitum habebat, quòd cum duce haudquaquam Sempronio Flaminióque simili futura sibi res esset: cernerétque eum tandem militiæ magistrum delegisse Romanos, qui bellum ratione, non fortuna, gereret. Ac prudentiam quidem ille non vim Dictatoris metuit, cōstantiámq. eius hauddum expertus, agitare ac tentare animum, mouendo crebrò castra, populandóque in oculis eius agros sociorum, cœpit: & modò citato agmine è conspectu abibat, modò repentè in aliquo flexu viæ, si excipere degressum in æquum posset, subsistebat. Fabius per loca alta agmen ducens, modico ab hoste interuallo, vt neque omitteret eum, neque congrederetur, carpens agmen palantésque excipiens, in casum vniuersæ dimicationis, quam omnibus artibus petebat hostis, non veniebat. Quúmq. aliquando Fabius victoriam ex Minutio hosti extorsisset, Annibalem ex acie redeuntem palam dixisse ferunt, Tandem eam nubem, quæ sederet in iugis montium, solicitatam procella imbrem dedisse: &, A se Minutium, se à Fabio, victum. His igitur artibus Fabius sedendo & cunctando magis Annibalem,

lem, quàm vllis viribus, fregit.

Non abſimile huic ſuprà exemplum Edvvardi Angli protuli: qui dicebat ſe longè magis Caroli Sapientis epiſtolis terreri, quàm ingentibus aui patríſq. ipſius copiis vmquam territus eſſet: ſuáq. deſtinata frequentius ſedendo iſtum & dictandis litteris fruſtrantem eludere, quàm illi armis fregiſſent. Hæc regij conſilij prudentiæque elogia eo plus fidei merentur, quòd duorum celeberrimi nominis imperatorum teſtimoniis comprobata ſunt, qui multo vſu didicerant, quantum vis & arma poſſent. Perſpicuè certè conſtat ex hiſtoriis Romanis, plura conſilio quàm vi gerentes, etſi vtroque pollerent, ſubegiſſe orbem Romanos. Neque illo celebri Varronis dicto, Romanos ſedendo vincere, aliud ſignificatum puto, quàm venerabilem illum Patrum cœtum, conſidentem in ſenatu, ea cura, ea prudentia, de rebus conſueſſe deliberare, vt nullius vmquam incepti eos pæniteret. Eadem hac arte Veneti hodie non tantùm Rempubl. ſuam tuentur, verùm etiam amplificant, etſi rei militaris rudes propemodũ ſint atque imperiti. Itaque ſiquod fortè bellum incidit, peregrino & conducto milite gerunt: ceterum tantum illis ſollertiæ ineſt, vt quantum humanis ingeniis prouideri poteſt, bella declinent: ſiquæ ſuſcipi neceſſe ſit, ea quauis alia ratione potius quàm prœliis, vrbium obſidione, ceteríſque belli incommodis, reſtinguant. Reapſe igitur illi multo maturius aſtu & conſilio bella finiunt, ſæpe ne viſo quidem hoſte, quàm Principũ potentiſsimi ingentibus copiis & armis.

Senatus & Concilij ordinum similitudo.

HACTENVS de aſsiduo & intimo Principis Conſilio egimus, quod in Romano imperio conſiſtorium Principis dicebatur: Galli noſtri Regis Conſilium priuatum appellāt. Nunc ſupereſt vt & aliquid dicamus de auguſtiore illo conſilio, quod ſollenne erat Romanis Imper. & regibus Galliæ conſulere, quoties maiora negotia inciderant: veluti quum leges, conſtitutiones, edicta aut ſenatuſconſulta, condenda & ſcribenda erant. Id conſilium Romanis Senatus, Gallis Parlamentum numcupabatur: ſed vetuſta lingua, ſollenne & publicum concilium trium Statuum, Parlamentum quoque dictum eſt, quemadm. ex Cominæo & veteribus Galliæ Chronicis colligi poteſt. Porro conſueuerant quoque Reges nonnumquam cum ſenatu ſuo aſsiduo & ordinario certū Prælatorum & Procerum numerum conuocare, quibuſcum de rebus communibus deliberarent: atque eum conuentum, Magnum conſilium vocabant. Sed Parlamenti nomen poſterioribus ſeculis in eum ſenatum & Iudicum ordinem tranſlatum eſt, qui cauſsis audiendis & ſine prouocatione finiendis præſunt. At quod nonnulli iſtum ſummorum Iudicum conſeſſum, ſeu Parlamentū, ſenatui Romano non abſimile eſſe iudicant, in eo magnopere fallūtur. Romanus enim ſenatus neq. cauſſas diſceptabat, neque litigatoribus operā dabat: ſed de iis conſultabat, quæ ad ſtatum Imperij, quietem Vrbis, & ſummam Reip. pertineret. Itaque Trium ſtatuum ſeu ordinū Galliæ concilium ad ſimilitudinē Romani ſenatus propius accedit, quàm noſtra Parlamenta: quæ Iudiciis centumui-

Comin. lib. 5. cap. 18.

ralibus

ralibus aut Præfecturis Præt. rectius conferri possent. Parlamenti ergo vocabulum lōgè aliter hodie vsurpatur quàm olim: sicut & Magni consilij nomen. Verùm, vt ad rem redeam, boni Imperatores, siqua res maior incideret, ad senatum referre consueuerant. Nam etsi à C. Cæsare Reip. statu euerso, senatus autoritas non mediocriter labefactata esset: nullus tamen sequentium principum senatum funditus euertere molitus est: quinetiā ad firmādas Imperij opes sapientes Imperatores eius autoritate vtebantur. Porro non abolendi senatus ea caussa Principibus Rom. fuisse videtur, quòd Regia lege (qua Monarchiæ status Romæ constitutus est) translata erat in Principem maiestas populi, non autoritas senatus. Quippe vigente Republ. propè æqualis erat Senatus populíq. potestas: nec minus Senatusconsulta quàm Plebiscita valebant. Itaque Principes, qui in Populi ius & potestatem tantùm successerant, Senatum exuere omni autoritate non ausi sunt: etsi id nonnullis in animo fuit, vt Neroni, Caligulæ, & similibus. Nam boni Imperat. illum ordinem studiosè tutabantur, & consiliis eius morē gerendo, populo vtebantur obsequentiore. quippe & vsus hoc docet, libentius parere homines legi multorū sententiis in senatu agitatæ, quàm edicto ad vnius vel paucorum libidinē conflato. Huiusmodi extitit Alexāder Seuerus qui nullam legē constitutionémve sanxit sine viginti Iurisperitis, alijsq. doctissimis ac sapiētiss. viris nō minus quinquaginta, vt nō minus in cōsilio essēt sententiæ, quàm senatusconsultū cōficerēt: & id quidē ita vt iretur Lampr. in Alex.

per ſingulorum ſententias, ac ſcriberetur quid quiſque dixiſſet: dato tamen ſpatio ad diſquirendum cogitandúmque priuſquam dicerent, ne incogitati cogerentur dicere de rebus ingentibus.

L.humanũ. C.de leg.

Eiuſmodi fuit Theodoſius Imper. qui ſanxit, ne vlla noua lex promulgaretur, niſi quæ ab omnib. antea tam proceribus Cæſarei palatij, quàm à Patribus conſcriptis tractata eſſet, & tum vniuerſorum conſenſu, tum Imperatoria autoritate confirmata. Bene etenim (inquit) cognoſcimus, quod cum veſtro conſilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri Imperij & gloriam redundare.

Dion in Aug. & Tiber.

Eiuſdemmodi fuit Auguſtus Cæſar, quem quum Senatus legum vinculis decreto liberaſſet, ſiquas tamen leges conderet, non ſuo vnius conſilio ſed populi conſenſu ſcribebat, atq. omnibus qui poſſent emendandi faciebat poteſtatem. Præterea conſultabat de multis rebus cum conſulibus & optimatibus: & quum ſibi ſemeſtria conſilia ſortiri inſtituiſſet, cum iis de negotiis ad frequentem ſenatum referendis antè tractabat. Habebat in eo conſilio quindecim ſenatores, mox etiam viginti ſorte ductos: ſed inter ceteros eminebant doctrina vel vſu rerum inſignes, Trebatius iuriſc. Agrippa ipſius gener, & doctorum præſidium, Mæcenas. Ita regnum Auguſtus ſalubri temperamento cum Republ. miſcebat. Tiberius, etſi ipſius virtutes ingentibus vitiis ſuperabantur, pauca tamen primò per ſeſe vel potius nihil faciebat: ſed de publicis negotiis & minimis quibuſque rebus referebat ad ſenatum, & cùm eo cõmunicabat omnia, & conſiliarios, vt Auguſtus conſueuerat, capiebat.

Hoc

Hoc exemplo ſequentes laudati Principes(quales fuere, Veſpaſ. Titus Traianus, Adrianus, Antonini duo,& ſimiles) ſenatui ac magiſtratibus maieſtatem priſtinam conſeruarunt: vt neque tam magnum quidquam neq. tam paruum publici priuatíque negotij eſſet, de quo non ad Patres conſer. referretur: ipsíq. Imperatores non ſe dominos ſenatus, ſed tantùm præſides ferrent. Scelerati contrà principes(cuiuſmodi extitere Caligula, Nero, Cõmodus, Baſſianus, Maximinus, Heliogab.&c.) tanto odio in ſenatũ exarſere, vt præſtantiſsimum quemque Patrum interimerent: rati ſe, ſublatis illis, veluti ſuarum actionum arbitris & obtrectatoribus, licentius acturos. Sed & illorum propè perpetua felicitas,& horum triſtes exitus, ſatis documento ſunt, ab ipſo Deo cumulari omni bonorum generè principes qui ſanis conſiliis aures animúmq. commodant, qui ſenatoria prudentia Remp. adminiſtrant: iſtos vero, bonas artes & quicquid vſquàm eſt prudentiæ ſalubris aſpernantes, in medió ætatis flore violenter exſcindi, nihilquè de ſe poſteris præter infamem memoriam relinquere. Quis enim dubitet proſperos ſucceſſus bonis principibus, calamitates malis, cælitus mitti? Bonum enim conſilium (vt inquit Regum ſapientiſsimus) quum à Deo proficiſcatur: qui Dei ſingularè donum reſpuit, numquam ſatiatur ira cæleſtis, donec multiplices in eum pœnas expetiuerit. Prou. cap. 18. Eccleſ. 37.

CETERVM Galliæ quondam reges, Rom. principum exemplo, Trium ſtatuum Concilium ſæpe indicebant, vt in ſollenni conuentu de rebus gra-

Concilij Ordinum indicendi tres caussæ.

uibus communi consilio deliberarent. Tribus autem potissimum de caussis (quantum ex nostris historiis colligere possumus) publicum istud concilium cogi solebat. Primùm, quum Interrex, vel Regni moderator, designandus erat. Designabatur autem Ordinum suffragiis, quoties Rex ipse, vel suæ tutelæ nondum cópos, vel in amentiam lapsus, vel ab hostibus captus, esset. Deinde, quum Regni status corrigendus erat, coercenda magistratuum vitia, & res ad pristinum splendorem reuocandæ. Quippe tum Reges Ordinum comitia indicebant, vt Legatis singularum ciuitatum ex omnibus Regni partibus coactis, Reip. vulnera & morbos ex propinquo inspicerent: tum morbis & morborum caussis cognitis, ad quærenda remedia incumberent. Tertiò, coire solebant Ordines, quoties populo certa pecunia tributi nomine imperanda erat. Ibi Legati, seu Deputati, vt vocant (qui totius populi personam sustinebant) quid Regis Regniq́. rationes atq. vsus postularent, edocebantur: ac rogabatur populus, vt suis opibus Regis inopię subuentũ vellet. Ideo quidquid Rex à Statibus impetrabat, blandis tum vocabulis, Subsidij, Subuentionis, Auxiliorum, Muneris, non durioribus illis, Tributi, Vectigalium, Impositionum, nominabatur. Harum omnium rerum testimonia proferemus. Prima caussa Concilij huius indicendi erat, vt Regni ac Reip. administrationi prospiceretur. Huius exemplum extitit, cum Comitia Lutetiæ habita sunt post mortem Caroli V. in quibus Galliæ Narbonensis procuratio Biturigum duci: Picardiæ & Normaniæ, duci Burgun-

Annal. in ann. 1380. & Froiss. lib. 2. c. 58. & 60.

Burgundiæ: reliqui Regni administratio, duci Andico mandata est: Regis autem pueri tutela & educatio ducibus Biturigum & Burgundiæ commissa. Ita decretum est in sollenni Ordinum concilio, tametsi aliter Carolus Sapiens testamento cauisset.

MORTVO Rege Ludouico XI. Concilium quoque Turonib. habitum est: atque in eo Regni procuratio duodecim viris, communi omnium consensu probatis & lectis, commissa est: qui Regis nomine Regni negotia tractarent. Caroli autem VIII, quem puerum Ludouicus moriens reliquerat, educatio & cura Annæ ipsius sorori tradita est. Annal. in ann. 1484. & Com. lib. 5. cap. 18.

QVVM Carolus VI. cognomento Dilectus, ad iustam administrandi ætatem peruenisset, ex regij Senatus sententia abdicarunt sese magistratu & Regni gubernatione Regis patrui. Sed quum casu, seu morbo, imminuta illi mens esset, Ordinum autoritate decretum est, vt donec Rex conualuisset, Biturigum & Burgundiæ ducibus Regni procuratio deferretur. Froiss. lib. 3. c. 134. & lib. 4. c. 44.

ANNO M.CCC.LVI, quo Rex Ioannes insigni ab Anglis prope Pictauium prælio victus, atque in Angliam cum filio Philippo (pòst Burgundiæ duce) abductus est, in Gallia erant tres Regis filij, Carolus Delphinus & Normaniæ dux, Ludouicus Andium, & Ioannes Biturigum duces. Rege capto, Regnum Interrege seu Moderatore egebat: nemo tamen illorum Regni gubernaculum pro suo iure sponte arripere ausus est. Itaque comitiis indictis, delecti sunt triginta sex proba- An. in ann. 1356. & Froiss. lib. 1. c. 170.

ti viri(siue,vt nonnulli,quinquaginta)ex quorum sententia Delphinus Regni administrationem gereret. Qui primò se Proregem,seu legatum patris pòst Moderatorem,seu (vt nostri vocant) Regentem,numcupauit.

Monstrel. lib.1.c 59. ANNO M.CCCC. IX. Carolo VI.Galliarum rege, Lutetiæ conuentus Ordinum habitus est,ad castiganda Regni vitia & instaurandam disciplinam. ibíque sancitum vt omnes Quæstores, qui ærarij publici & fisci regij curam habuerant, administratæ pecuniæ rationem redderent. Et hac quidem diligentia,omnibus residuis pecuniis exactis,magna vis argenti in ærarium inlata est. In aliis quoque Statuum conuentibus, monetæ abusus correctus fuit, eáq.ad probam materiam iustúmque pondus redacta est. Memoria nostra in Concilio Ordinum Aureliæ habito multa pessimi exempli correcta sunt, præclaræ constitutiones latæ de subleuandis populi oneribus, de reformandis Iudiciis, de corrigendo beneficiorum & ludorum abusu,luxúq.vestium. Sed nescio quo fato fit vt salutaria instituta & bonæ leges plerumq. irritæ aut sine fructu vanescant: praua exempla etiam serpant in sequentis æui perniciem.

POSTREMA cogendorum Statuum caussa erat, vt ad sustinendam publici ærarij inopiam, & ad extraordinarios Reip.vsus, pecuniæ à priuatis conferrentur. Huius rei exemplum suppeditat annus 1354. quo tempore consensu Ordinum, Regi Ioanni pecuniæ vis ingens erogata est, in sumtus belli quod aduersum Anglos susceptum erat, maiorem tum Regni partem occupantes. Paulo pòst

Annal anni 1354.58.59. Frossl.lib.1. cap.155.

quum

quum in prœlio captus Rex & in Angliam abductus esset, ab Ordinum quoque concilio Carolus Delphinus Galliæ magnam pecuniæ summam impetrauit, vnde pretium persolueret, quo Rex Ioannes & Philippus vnus ex filiis eius redemti dimitterentur. Ceterũ hoc quoque memorabile, quod in historiis nostris legimus, vniuersum populum, præsertim Narbonensis Galliæ, adeo ægrè Regis captiuitatem tulisse, vt eius prouinciæ Status communi consilio decreuerint, vt, nisi Rex hoc ipso anno liberatus esset, omnes viri pariter ac feminæ, vestes versicolores, dissectas, auro argentóve prætextas, ceterúmque lætioris fortunæ cultum, ponerent: histriones, mimi, tibicines, ludis agendis & spectaculis edendis abstinerent: vt nemo in tanta Regni Regísq. calamitate mæroris expers esset. Denique, vt hoc absoluamus, certum est ante Carolum VII. cognomento Victorem, nulla tributa aut subsidia (vt vocant) imposita fuisse populo, nisi ex Ordinum sententia. Quod ideo ab regibus fiebat, vt populum in obsequio liberali, non extorto, continerent, néve ea res materiam turbis ac seditionibus præberet. quod non semel contigit. Ac tantum abest vt Status ob eas causas coacti, quidquam quod aliquam modò honesti & æqui speciem haberet, denegarent Regibus, vt longè plus illis cõmodarent ac conferrent, quàm vel petere vel sperare ausi essent. adeò Galli vltro in Regum suorum obsequium & venerationem proni sunt.

IAM verò quia subsidiariæ illæ pecuniæ erogabantur ferè in sumtus bellorum, par erat, vt inquit Comin. lib 5 c. 18.

Cominæus, vt de Bellis in Ordinum concilio ageretur, quorum arbitrij esset, iustáne an iniusta essent, considerare. Neque enim Principi bellum vllum absq. illorum consensu esse suscipiendum. Æquum enim esse vt quorum pecuniis & sumtibus bellum sustinetur, eorum consensus & con-
„ silium quæratur. Immo (inquit) ecquis in orbe
„ terrarum Rex aut Princeps est, cui ius sit tribu-
„ tum vnius teruncij subditis suis sine ipsorum con-
„ sensu & voluntate imponere, nisi violentia & ty-
„ rannide vti velit? Sed quia fortassis hunc locum legentibus videri posset Cominæus Regiā potestatem nimium in ordinem cogere atque angustioribus circumscribere terminis, non alienum erit huic loco, velut interpretando quæstionem hanc illustrare.

Principis potestas duplex, Soluta & Ciuilis.

PRINCIPIO igitur summi Principis duplicē esse potestatem vel ex ipsis Iurisconsultis constat. Vnam Absolutam, siue Solutam, alteram Ciuilem appellant. Soluta, seu libera, ea est quæ nullis legibus circumscripta est, sed omnia sine discrimine complectitur: exceptis tamen Dei Naturǽque legibus, atq. iis quibus tamquam fundamentis Principatus fastigium & status innititur. Quippe Deo superior non magis est Princeps, quàm vel patrono cliens, vel seniore suo vasallus: immò ipsius imperio & potestati subiectus est, nedum vt illi diuinas leges abrogare liceat.

PRINCIPI quoque fundamentales principatus sui leges antiquare minimè licet. Nam abolere ea iura, quibus status Reip. atque ipsius salus continetur, quid aliud esset quàm seipsum vltro pessum

pessumdare? Sic Galliarum Regi, nec legem Salicam, nec trium Statuum conuentum, nec legem de non alienandis Regni partibus & prouinciis quæ in ipsius Reip. dominio positę sunt, tollere licet. Quippe tribus his capitibus, veluti columnis, Regis Regnique incolumitas sustinetur. Iura quoq. naturalia, omnium gentium consensu recepta, & confirmata sensu communi, refigere Principi licitum non est. Sed his duntaxat exceptis, ad cetera omnia pertinet & sese porrigit libera ac soluta potestas Principis: qui omnibus legibus superior eas pro arbitrio ratas vel irritas reddere potest: atque in corpora & fortunas subditorum ius habet, nullis legum vinculis aut exceptionib. constrictum. Potestatis quidem istius solutæ temperandum esse vsum æquitate posterioris, id est ciuilis, postea dicemus: sed si infinitam illam licentiam ciuilis & moderatæ vsu definire recuset, illi nihilominus ex Dei mandato parendum est. Verùm priusquam de Ciuili potestate agamus, quæ paulo antè breuiter attigimus, accuratius explicanda sunt.

QVOD ad primum attinet, Indefinitæ Principis potestati Deum non subiici, apertius est quàm vt multis verbis egeat. Neque vlli principes (aut sanè perpauci) adeo vecordes extiterunt, vt iura diuina suæ libidini subiicere vellent. Caligulæ certè & Domitiani amentiæ qui id moliti sunt, à scriptoribus ethnicis perpetuæ ignominiæ nota inusta est. Hæc enim etiam inuiolabilis lex est apud Theologos, Deo potius obtemperādum esse quàm hominibus: quæ adeò sancta omnibus secu-

lis fuit, vt ab ea viri boni (qui Dei quoque ipsius ore in Scripturis laudantur) numquam discesserint. Cuiusmodi extitere, Daniel & eius socij, Apostoli, veteris Ecclesiæ Christiani: multíque hac tempestate.

Principi fundamentales principatus sui leges abrogare non licet.

ALTERVM erat, Non posse à Principe antiquari leges illas, quibus sublatis Principatum & statum Reip. ruere necesse sit. quod & ipsum perspicuum est. Quippe si liceret Principi potestatis suæ fundamenta subruere, non posset Reip. status esse diuturnus, amentium Principum libidini semper obnoxius. Quemadmodum si in Gallia Rex aliquis potuisset legem Salicam abrogare, & mulieres ad regni hereditatem admittere, iamdudum haud dubiè corruisset Reip. Gallicæ status. Reges enim, qui filias tantùm superstites reliquerunt (vt Philippus Longus, Carolus Pulcher, Ludouicus XII) legem Salicam violaturi fuisse videntur filiarum gratia, si modò eam violari fas esset, iísque testamento Regnum, velut dotale, relicturi. Ita contrahendis affinitatibus, Regnum paulatim ad exteros, mox in ruinam, lapsum esset. Externi enim principis Gallica gens præter omnes intolerantissima est: neque olim, quamquam Romanis armis oppressa, peregrinum dominatum diu tulit: sed iam imperante Tiberio rebellionē molita, paulo pòst à Nerone desciuit, donec penitus obsequium exueret, & prima prouinciarum ab Imperio Romano deficiens communi consilio arma libertatis recuperandæ causa caperet. Quāobrem nemo repertus est qui eam legem violare auderet, præter Carolum VI. Is, hortante Philippo

Burgundiæ duce, Catharinæ filiæ, quam Regi Angliæ in matrimonium collocauerat, Galliæ regnum in dotem dedit, præterito Delphino filio: quem, propterea quòd Ioannis Burgundiæ ducis interimendi autor extitisset, succeſsioni minimè idoneum & Regno indignum pronuntiauit. Sed hæc donatio quum legi Salicæ aduerſaretur, irrita fuit: atque ipſe adeò Philippus dux (qui eam Delphini odio procurarat) poſt Caroli VI. mortem, Delphinum Carolum VII. pro Rege & legitimo Regni herede ſe habere profeſſus eſt. Nam is ſe Regno indignũ, ſeu incapacem, non eſſe facilè omnibus probauit: quippe ſuo iuſſu quidem, ſed iure, cæſum fuiſſe Ioannem ducem, illúmque interemti ducis Aurelianenſis magis ſeras quàm immeritas pœnas luiſſe. Quia tamen ratione non legitima pœnas à Ioanne expetiuerat, peccatum in eo ſuum agnouit, & ſatisfecit Philippo. ſicuti fuſius exſequemur ſuo loco. Stetit itaque lex Salica hactenus immota, vna ex tribus columnis & munimentis Gallici Principatus: quum maiores noſtri dominatum muliebrem pati nulla ratione vellent.

STATVVM quoq. cogendorum mos, eorúmq. autoritas (quod erat firmamentum Principatus de tribus alterum) ad hæc tempora ab ipſa Regni origine vſque viguit: vt ſine his Reſp. incolumis eſſe non poſſe videatur. Nam ſi fortè Rex vel propter ætatis imbecillitatem, vel mentis errorem, vel captiuitatem, Regni adminiſtrandi potens nõ ſit, vel Regnum vniuerſali cenſura & reformatione opus habeat, cogi Statuum concilium neceſ-

se est, vt Reip. prospiciat: quam, his vel oppressis vel sublatis, interire necesse est. Nisi fortasse quis dixerit, regiæ stirpis Principes, aut Senatum regium, rebus consulere posse absque Populi concilio: sed is nihil dixerit. Fieri enim potest vt ipsi quoque Principes impuberes sint, aut captiui, aut amentes, aut suspecti, aut alia quacumque ratione administrandæ Reip. minimè idonei. Consiliarios verò item & ipsos tum mori, tum abdicari, tum ob suspicionem aliásve causas ineptos iudicari, nonnumquam contingit. Quid faciet hîc Resp. quum tam infirmis & caducis fundamentis tutò nequeat incumbere? Omnino concilium Ordinum longè firmius est præsidium ac propugnaculum Reipubl. quàm Principum duntaxat ac Consiliariorum aliquot cœtus. Quippe illi (vti diximus) capi, corrumpi, de statu mentis deturbari, queunt: Publici vero concilij corpus, ex prudentissimis & lectissimis totius regni viris conflatum, nec imbecilli ætati, nec impotentiæ animi, nec captiuitati, obnoxium est. Illos, vt priuatos, partim temporum, partim sui quemque casus absumunt: Regni ac Reip. vniuersitas, immortalis est. Quocirca dubiis Reip. temporibus & casibus repentinis, ad eam tuendam Statuum consiliũ atque autoritas omnino adhibenda est, quorum periculo res geritur & quorum maximè interest: præsertim si Rex ipse, propter causas paulo antè commemoratas, ad eam administrandam non suffecerit. Quo detestabilior est peregrinorum impudentia, qui hodie Galliam pro libidine versant, & palam dicere audent, reos esse læsæ ma-

iesta tis

ieſtatis,qui de conuocando Statuum concilio verba faciunt. Sed quanto iuſtius huius criminis illi culpam ſuſtinent,qui contra ius gentium & morem maiorum præclarum illud communis Concilij habendi inſtitutum, præcipuum Regni robur & firmamentum, ſumma vi conuellere moliuntur? veriti ſcilicet ne in ſe aliquando vibretur hoc telum, quo nullum præſentius remedium eſt tot corruptelis, tot calamitatibus, ſanandis, quas peregrini homines,publicæ libertatis hoſtes & nouiſsima exempla meriti, in Remp. noſtram inuexere.

IDEM de ea lege ſentiendum eſt, qua cautum eſt,ne prouincias aut agros,qui in Reip. dominio ſunt, alienare liceat. Eam ſiquidem legem, propterea quòd ex tribus illis quibus tamquam columnis Regni ſtatus atque incolumitas ſuſtinetur,eſt vna, abrogari à Rege nefas eſt. Duobus exemplis id probaſſe ſufficiet, quibus facilè intelligi poterit non ſolùm in hac lege firmiſsimum Reip. præſidium eſſe collocatum, ſed etiam legitimo Statuum conuentu Regni ſtabilitatem ſalutémq. contineri. Froiſſ.lib.1. cap.201. 211. 212. 214. 246. 247.310.

IOANNES Galliæ Rex,quum ab Anglis prœlio victus, captus, & in Angliam trauectus eſſet, pacem certis legibus cum Anglo pepigit.Eas conditiones,quòd minus æquæ & Reip. detrimentoſæ eſſent, Ordinum concilium ratas non habuit. Id renuntiatum,Edvvardi regis animum adeo ira & dolore incendit, vt deierauerit ſe nullum prius finem facturum,quàm quidquid in Gallia prioribus bellis ſuperfuerat, id totum ferro incendiiſq.

vastaret. Neque segnius exsecutus est: & infesto exercitu Galliæ fineis ingressus, perpauca quidem oppida cepit, sed latè agris villísq. stragem intulit. Monebat dux Lanclastriæ, frater eius, pacem cum Gallis tum maximè faciendam esse. Ecquid ita arma bellúmque circumferens, per plana camporum, latrocinij verius quàm militiæ more, prædabundo agmine incederet? quid frustra ingenti sumtu, nullo digno præmio, se ac militem tereret? Ad ea præ impotenti iracundia clausæ regis aures erant: & nihilo secius propositum peragens vltrà odiis & ira tendebat, ni Deus Galliæ misertus furenti obuiam isset. Quippe imber insolitus grandine & fulmine mistus, tam ingentibus procellis effudit se in castra Anglorum, vt tentoriis disiectis equos virósque obrueret. In religionem ac miraculum ea res apud Anglos vertit: & sollenni voto seipsum obstrinxit Edvvardus, si tam fœdam tempestatem tranquilla serenitas exciperet, non vltrà cædibus atque incendiis sæuiturum in Christianum Galliæ populum, quũ crederet hæc à Deo infesto atq. irato immitti. Quinetiam post hæc de pace secum agi passus est: quam tamen ita commodis sibi conditionibus & è re sua fecit, vt, præter tricies centena francorum millia, quæ pro Regis redemtione pensa sunt, Aquitaniæ, Armeniaci, Albreti, Commingiarum, Marchiæ, Xantonum, Rupellæ, & propè totius Galliæ Narbonensis, seu Linguæ Occitanę, summum ius & liberam possesionem obtineret: quum eæ prouinciæ numquam antea in ditione ac potestate Anglorum fuissent. Hanc pacem (quæ Bretiniaci non procul à

Carnutum

Carnutum oppido facta eſt) quum earum regionum incolæ Galli comprobare nollent, neque in Anglorum nomen ditionémve concedere, his argumentis pugnabant: Non magis ſe auelli ab Regno, quàm à corpore membra, fas eſſe, neque id licere Regi: ſibi vetera iura, ſibi priuilegia eſſe à Carolo Magno conceſſa, quibus diſertè caueretur, ne vllo tempore à Reip. Francicæ trunco, ne à nomine Gallico, poſſent abſcindi. Sed rex Ioannes (per eos dies, datis obſidibus, in Galliam reuerſus) miſſo ad eos Ioanne Borbonio, regiæ ſtirpis principe, ſubegit eos ius noménque Gallicæ ciuitatis exuere, & veterem ſtatum mutare dominatu Anglico.

Rupellani Gallici nominis ſtudioſi.

PRAETER ceteros conſtantia Rupellanorum memorabilis fuit: qui integrum annum durauere, priuſquam Anglos in vrbem admitterent. Demum rati ſe excuſationibus & querelis aliquid conſecuturos, oratores ad Regem miſerunt. Illi quum Lutetiam perueniſſent, & in regiam eſſent introducti, cum precibus & lacrymis ad Regis pedes acciderunt, & in hanc fermè ſententiam locuti ſunt: Huc ad te (ô Rex) à Rupellæ vrbis tuæ « ciuibus miſsi ſumus, oratum vt eorũ te miſereat. « Quid enim iis miſerius eſſe poteſt, qui quum iam « inde à patribus atque auis imperio tuo & maio- « rum tuorum aſſueuerint, nunc exteris hominibus, « quibus non lingua, non mores, non inſtituta ea- « dem ſint, parére cogantur? Si Deum vſqueadeo « peccatis noſtris infeſtum habemus, vt nos à patriæ « imperio, tanquam à matris vberibus ac cõplexu, « abſtrahi neceſſe ſit, & peregrino principi ſubiici, «

„ eam equidem duram,ſed tamen tolerabilem,con
„ ditionem non deprecamur.Sed in quo de te,quæ-
„ ſo, tam malè meriti ſumus, vt nos populares ac
„ ſubditos tuos vltro hoſti tuo noſtróque dedas, &
„ huic quidem genti quæ tot per annos tantum no-
„ ſtri ſanguinis hauſit : vt quorum conſpectum æ-
„ quo animo pati non poſſumus, ſuperbum impe-
„ rium feramus? Te quidem cum Anglo,quibus vo
„ luit legibus,paciſci coactum fuiſſe non ignora-
„ mus, & noſtram ciuitatem in earum vrbium eſſe
„ numero,quæ illi ex fœdere tradi debēt. Sed ſiqua
„ ſpes eſt,poſſe nos è tam iniqua lege excipi, nullis
„ neque laboribus neque pecuniis parcemus. Ita-
„ que ad eam rem conficiendam, omne argentum
„ præſens, quidquid publici, quidquid priuati eſt,
„ Maieſtati tuæ offerimus : & deinceps in ſtipen-
„ dium dimidiam partem fructuum qui ex fortunis
„ noſtris prouenient daturos ſpondemus. Quam-
„ obrem, te, Rex, per venerabile Dei nomen, per
„ ea omnia quæ hominum generi cara & ſancta
„ ſunt, obſecramus, vt te vrbis ac fortunæ noſtræ,
„ paulo antè florentis, nunc afflictæ, miſericordia
„ capiat: néve ciueis noſtros, liberos ac ſubditos
„ tuos, qui ad hunc vſque diem Maieſtatem tuam
„ ſumma obſeruantia coluerunt, qui nunc in fidem
„ & clientelam tuam ſemetipſos tradunt, qui ex te
„ vno pendent, crudeliſsimi hoſtis arbitrio obno-
„ xiam animam trahere ſinas: anxiam certè ac tri-
„ ſtem perpetuo in ſqualore vitam acturos,niſi ſub
„ te principe vixerint. Sub hæc rurſum flentes ad
Regis pedes procubuere, & apparebat Regem
miſericordia flecti. Itaque reſpondit, ſe non ali-
ter

ter quàm viſcera ſua ſecantem Regni parte ſemetipſum multaſſe: vt pacem neceſſariam magis quàm æquam, vel honeſtam, redimeret: ſed aliter tamen fieri non poſſe, neque iſtud iam ſibi eſſe integrum, quando pactis ſtandum eſſet. Hæc poſtquam renuntiata Rupellanis legatio eſt, tantus repentè mæror ciuitatem cepit, adeo publicè ac priuatim omnia luctus oppleuit, vt vrbem non Anglis ex fœdere traditam, ſed vi captam, diceres. Paucis poſt diebus quum à legatis regiis cogerentur portas aperire Anglis, audita vox fertur eorum qui autoritate inter ſuos facilè principes erant, Se quando temporum neceſsitate & Regis imperio cogerentur Anglis parere, verbo & ſpecie parituros: ſed facta, conſilia, animos, ſemper ſibi fore Gallorum. Ceterùm quum ſecurè Rupella ceteríſq. prouinciis quas memorauimus, potiretur Angli ex fœdere, rex Edvvardus iis filium natu maximum Cambriæ principem cum imperio præfecit. Is ſtrenuus quidē princeps, ſed quemadmodum erga ſuperiores ſummiſsè, ſic aduerſum minores ſuperbè ſe gerens, Burdegalæ regiæ ſuæ ſedem quum collocaſſet, ſingulis familiis tributum annuum indicere aggreſſus eſt, & eo non paruo initio ius libertatis minuere. Huic tam nouæ ſeruituti omnes ferè illarum prouinciarum Barones, Primores, nobiles & cordati viri, obnixè interceſſere: in his Comites, Armeniacus, Petragorius, Albretius, Commingius, & complures alij: qui vnà Lutetiam profecti ſunt, vt in Curia, ſeu concilio, Parium Franciæ, quos appellarant, prouocatione certarent aduerſum Principem.

Ibi, quum de eo negotio Carolum regem adiſſent (Ioannes enim vita exceſſerat) is ſubfrigidè & molliter reſpondit, Pacem Bretiniaci iis legibus factam eſſe, quam ipſe quoque iureiurando ſanxiſſet: & Ioannem patrem ſuum, ſuo ac regum ſequentium nomine eiuraſſe & transtuliſſe in Anglum quidquid iuris ac poteſtatis in eas prouincias haberet: ſe verò tum his conditionibus, tum ſacramenti religione impediri quo minus pacem cum Anglo factam violet. Comites & Barones illi contrà multis argumentis docebant, Regi nō licere ſemetipſum abdicare ſummo iure ac poteſtate quam obtineat in ſubditos, abſque conſilio & conſenſu Prælatorum, Baronum, Ciuitatum, denique eorum quorum de libertate ac fortunis agitur: ídq. tunc primùm apud Gallos nouo more, nullo exemplo, fieri: ſe, ſi illi diſceptationi pacis interfuiſſent, numquam ſuffragiis ſuis rem tam abſurdam fuiſſe comprobaturos, vt Rex ſummo in ſuos imperio cederet. Itaque ſe vehementer Maieſtatem ipſius orare, vt prouocationem ſuam admittat, & miſſo accenſo (Huyſſerium vocant) Principi Cambriæ diem dici iubeat, qua is ſe ſiſtat Lutetiæ, atque eo præſente ſenatus autoritate abrogetur noua illa tributi collatio. Regibus vera audire inſuetis liberior ea oratio viſa eſſet, quàm quæ apud regem eſſet habenda. Sed rex noſter (non tā delicatus quàm iſti ſunt qui de Statuum concilio conuocando verba facientes Maieſtatis crimine teneri vociferantur, vt Machiauelli diſcipulos facilè agnoſcas) neq. poteſtatem Principis ita circumſcribi (quod fās non eſſet) neque

acta

acta parentis sui rescindi, conquestus, rem totam consultandam ac disceptandam doctis viris commisit. Quorum sentẽtiis vt ea vera esse comperit, extemplo, procerum illorũ rogatu, Principi Cambriæ diem dixit, qua sese Parium Franciæ iudicio sisteret. Secundùm hæc, Comites illi & Barones domum reuersi, facilè populares suos ad rebellandum concitauerunt: ita prouinciæ illæ externo imperio solutæ, regno Galliæ restitutæ sunt. Rupellani, eiectis ex vrbe Anglis, & arce per deditionem recepta, sibimetipsi libertatis autores fuere. Sed quum dux Biturigum, regis frater, cum modico præsidio ingredi vrbẽ vellet, portas ei aperire sibi non expedire causati, priusquã legatis ad Regem missis, priuilegia quædam consequuti essent: publicæ fidei pignus, vt eò sibi tutò ire liceret, ab eo petiere, & impetrarũt. Itaque duodecim communi consilio delecti ciues quum ad Regem peruenissent, ei significarunt, se iugum Anglicum quod inuiti accepissent, sua sponte excussisse: ceterum sibi esse in animo, quem ipsi legitimum ac naturalem suum Principem agnoscerent, sub eius imperio viuere: postulare tantùm vt suæ ciuitati priuilegia quædam & iura concedat. Quænam illa essent quum Rex peteret: Primùm abs te (inquiunt) impetrare cupimus, vt Rupella finésque eius tam arcto vinculo Reip. ac Regno Galliæ consocientur, vt nullis vmquam, aut pacis, aut externi connubij, aut fœderum, conditionibus, aut vllis Galliæ casibus, à nomine Gallico auelli queat. Deinde arcem solo æquari petimus, sine qua vrbem fideli custodia tutam & in obsequio

Iura & priuilegia Rupellanorum.

manſuram præſtamus. His poſtulatis, vt æquis & animum verè Gallicum teſtantibus, Rex haud grauatè aſſenſus eſt, & quæcumque peterent properſo animo conceſsit. Ita tum lex illa de non alienando Reip. patrimonio, magno Regis Regníq. commodo, peropportunè vſurpata eſt. Verùm fortè hoc loco quæſierit aliquis, Cur hodie Rupellani regno Galliæ tam infeſti ſint, quod patres eorum tam ſtudiosè coluerunt. Nihil ad ſoluendum facilius: Nulla in parte videlicet Rupellanos degeneraſſe à maioribus ſuis: neque minus germanos eſſe Gallos, eos qui hodie Rupellæ viuunt quàm qui tum vixerint: immò in eo maximè patrum ſuorum fidem ac conſtantiam imitari, quòd quemadmodum illi nullum laborem recuſarunt, ne Anglis parêrent: ita hi hodie peregrinũ, id eſt Italicum, imperium ferre non poſſunt. Iam ad alterum exemplum pergamus.

Bellaius lib. 3. Comm. FRANCISCVS I, Galliæ rex, quum eum bello captum Carolus V. in poteſtate haberet, fœdus cum eo in Hiſpania pepigit: cuius cùm aliæ leges erant, tum hæc maximi momenti: Ducatus videlicet Burgundiæ poſſeſsione & iure ceſſurum, ídque traditurum Cæſari: deinde vt eam ceſsionem ſua autoritate confirmarent eius prouinciæ Status omni ope annixurum. In eas leges icto fœdere Cæſar Regem Baionam vſque deduci iubet, ibíq. eum per legatos rogat vt Madritiani fœderis conditiones de integro ſanciat & confirmet, quo validiores ſint, néve captiuo per vim aut metum extortæ, ſed liberè ab ipſo vel oblatæ vel acceptæ videantur. Rex ad ea reſpondit, Illud potiſsimum fœderis

fœderis caput, in quo de Ducatu Burgundiæ ageretur, non posse ab se pro certo & explorato confirmari, incōsultis subditis, quorum res ageretur. Neque enim absque consensu & autoritate populi alienari ius illud fas esse: sed vt de voluntate eius certior fieret, se primo quoque tempore Ordinum eius prouinciæ concilium indicturum. Neque fefellit: sed quum Status Burgundiæ coegisset, alienationem illam, vt iniquam, non probauere. Id quum Cæsari Rex significasset, satis ille habuit, si promitteret Franciscus se primæ virilis stirpis soboli, quam ex Leonora coniuge, sorore Cæsaris, tolleret, Ducatum illum Burgundiæ hereditatis iure daturum. Itaque lex illa de non alienando Regni dominio tum quoq. non mediocriter profuit. Huic verò etiam suffragantur Iurisconsulti, quorum ea est opinio, Nihil rerum Imperij alienari posse à Cæsare: immò augeri & amplificari ab eo debere, quoad eius fieri potest. Atque ex eo fonte (sed ineptè: quamquam ad rem parum intersit) nomen Augusti ducunt: Inde scilicet Imperatores dici Augustos, quòd Imperium augere & propagare, non minuere, debeant. Idem porro de aliis principibus ac regibus sentiendum esse: quippe ratione prorsus simili.

QVAMOBREM nemo est (opinor) nisi fortè communis sensus expers, & moris omnis ignarus, qui mecum non agnoscat tres istas seu leges, seu instituta & mores Gallicæ gentis, Legem videl. Salicam, Legem de sollennibus ordinum comitiis, Legem de non alienandis ipsius Regni ac Reip. ditionibus, tres esse velut Monarchiæ Gal-

licæ columnas, quas labefactare nefas sit. Neque ego, dum hoc dico, vim ac ius Regiæ potestatis vlla ex parte minuo, aut nimiùm angustis terminis circumscribo. Etenim si valentis ac potentis est, vt est, se ac principatum suum prohibere à lapsu, & stabilem tueri: summæ contrà imbecillitatis atque impotentiæ argumentum, in præceps dare se ac res suas: an non validus ille demum est ac diuturnus Reip. status, cuius fundamenta prorui non possunt? imbecillus verò & caducus, in quo licet Principi iura, quibus salus ipsius continetur, pro libidine soluere? Si ædes improuisa ruina prociderint, si quis se à lapsu sustinere non potuerit, ista infirmitatem produnt: sin gressu firmo atque constanti rectus incesserit, ea integræ valitudinis & boni habitus non obscura indicia sunt. Ita satis validæ erunt Principis opes, vt virium meritò pænitere non posit, si consilio magis quàm vi, beneuolentia potius quàm metu, perpetuis nixum legibus imperium, sustentet.

Lex naturalis, neque à Principe, neque à quoquam, antiquari potest

NATVRAE quoque iura & leges nobiscum natæ antiquari à Principe nequeunt. Exiſtat Princeps aliquis qui stupra, incestus, furta, cædes, & similia à quibus natura abhorremus, ex illicitis licita faciat: Reclamabunt omnes, neque tanti facient profani Principis autoritatem quàm iudicia naturæ. Quum inter Claudium Cæsarem & Agrippinam matrimonium pactum esset, celebrare sollennia nuptiarum non audebant, nullo exemplo in patrui domum deducta fratris filia. Sed ille in Senatum ingressus decretum postulauit, quo iustæ inter patruos fratrúmque filias nuptiæ

Tacit. Annal. lib. 12.

etiam

etiam in posterum statuerentur, quæ ad id tempus incestæ habebantur. Neque tamen reperti sunt, qui exemplum sequerentur, excepto liberto quodam, & altero primipilari, quos plerique Agrippinæ gratia impulsos ferebant. Adeò omnes vulgò à talibus coniugiis abhorrebant, quæ ratio cōmunis & natura repudiant. Ac ne Claudio quidem istud prosperè cessit. quippe se ac domum incestis istis nuptiis & adoptione exitiosa peruertit. Nam ab Agrippina veneno sublatus est, vt Nero rerum potiretur: mox à Nerone Britannicus naturalis Claudij filius, ne patris aliquando imperium pro suo iure repeteret. Ij scilicet euentus fuere illiciti & naturæ repugnantis coniugij. Incestis quoque nuptiis animum adiecisse Basßianum Caracallam legimus. Quum enim nouerca ipsius Iulia quasi per negligentiam se fortè maxima corporis parte nudasset, dixissétque Antoninus, Vellem, si liceret: respondisse illa fertur, Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse & leges dare, non accipere? Quo ille audito, in incestam libidinem exarsit, nuptiásq. eas celebrauit, quas, si leges dare sciret, verè solus prohibere debuerat. Etenim Principem equidem dare iura subditis decet, sed ea quæ nec naturæ, nec communi sensui repugnent. Itaque Papinianus, vir insigni inter Iurisconsultos fama, quum Basßianus occiso fratre Geta mandaret illi, vt & in senatu & apud populum facinus illud excusaret: maluit mortem oppetere, quàm vt tam immane facinus verbis & iuris specie velaret: memorabili tamen prius responso edito, Non tam facilè paricidium excusa-

Suet. in Claud. c. 26.

Spart. in Carac.

ri posse quàm fieri. Næ Papinianus, ethnicus homo, suo exemplo multorum hac ætate magistratuum ac iurisconsultorum improbitatem coarguit. Is enim quũ cognosceret hoc scelere violari omneis naturæ leges, illo, vel ipsius Cæsaris iussu, numquam sese obstrinxisset, cui commisso patrocinari noluit: isti verò non modò consilium, patrocinium, linguam, excusandis cædibus cõtra omne ius & fas perpetratis, sed operam quoq. perpetrandis facinoribus, accommodant. Sed quum de Soluta Principis potestate satis multa à nobis dicta sint, nunc de altera agamus.

Ciuilis potestas Solutã temperat.

ALTERA Potestas (quàm Ciuilem appellant) ratione temperata, iuris & æqui finibus circumscribitur. Ea velle vti Principem perpetuò, existimandum est, nisi disertè edixerit se hoc vel illud velle, iubere, summo imperio: cuius ratio nemini præterquàm ipsi constet. Ea consilio & prudentia regitur, & priori illi, id est infinitæ Principis potestati, violentæ ac rapidæ, sese adiungens, eam nõn secus ac annuus solis cursus diurnum, salubri quadam comitate temperat, & quodammodo mansuetiorem reddit. Neque vlla adeò res Regnis & Imperiis magis salutaris est quàm inter duplicem illam potestatem sociabilis ista consortio: ea qui caruere, se stirpémq. suam, domos, regna, funditus euerterunt. Itaque imperium illud liberum ac solutum rarò exercuere boni Principes, nec nisi quum fortè Maiestatem suã conspicuam & venerabilem facere vellent: ciuili verò in omnib. ferè actionibus ita vsi sunt, vt autoritatem suam legibus & rationi subiicerent. Ac tantum abest

vt nimis fastigium suum summittere, & aliquid sua dignitate inferius agere, se arbitrarentur, vt contra principatum diuturniorem augustiorémque esse existimarent eius qui summam potestatem non licentia, sed æquitate & iure, metitur, quàm eius qui legibus solutus potestatem infinitam & effrenem exercet. Sic imperasse bonos Principes Romanos historiæ testantur: ac de ea ipsa re legem nominatim scripsit Theodosius, quã hîc ipsius verbis inseram: Digna vox (inquit) maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri: adeò de autoritate iuris nostra pendet autoritas: & reuera maius imperio est summittere legibus principatum. Et oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus. Datum III. Idus Iunias. Rauennæ, Florentio & Dionysio coss. L. digna vox C. de legib.

QVAMOBREM, vt ad id vnde deuertimus, redeamus, Cominæi locus quem superius protulimus, non de libera & soluta Principis potestate sed de ciuili debet intelligi. Quippe summi illius imperij iure bella suscipere, tributum imperare subditis, absq. illorum consensu Princeps potest. siquidem lege Regia populus Rom. idem ius imperiúmq. in Principem transtulit, quod antea penes se erat, vt solutus legibus quæcumque vellet faceret, & ab iis quæ nollet abstineret. Ergo (vt inquit Vlpianus) quod Principi placuit, legis habet vigorem: vtpote quum lege Regia, quæ de imperio eius lata est, Populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem conferat. Hoc idem Imperium solutum lege diuina Regibus & Dion in Augusto. L. 1. D. de cõstit. princ. 1. Sam. 8.

ſummis magiſtratib. attribui videtur. Nam diſertè edicit Deus reges Iſraelitici populi in bona & perſonas ſubditorum omne ius habituros. Verùm Deus Principes, velut legatos & miniſtros ſuos, ea lege cum libero imperio ceteris mortalibus præfecit, vt illud Ciuili & moderata poteſtate definiri & temperari velit. Tantum enim abeſt vt Principem velut pro ſuo iure ſubditorum fortunis abuti iubeat, vt ne clientem quidem velit à Principe cogi, vt illi fundum aut prædium ſuum vendat. quod Nabothi exemplo perſpicuum eſt. Minimè vero omnium, ſummo illi regum & principum principi Deo, cordi eſt vt ſummo illo imperio, quod ipſi acceptum referre Principes debent, ad iniuriam, vim, ſæuitiam, & ſimilia ſcelera, abutantur: ſed quemadmodum iuſtitiæ ſuæ vim in puniendis malis, clementiam in bonis tuendis, exercet: ita vult hoc ſuum exemplum Principibus pro lege eſſe, & in eo maximè laborare vt ad illud quamproximè accedant.

1. Sam. 8.

1. Reg. 21.

QVARE, vt aliquando hanc noſtram in teſtimonium illud Cominæi commentationem finiamus, quum minimè ambiguum ſit, Principem liberæ poteſtatis iure, ſine ſubditorum conſenſu, & bella ſuſcipere, & ſtipendia imperare poſſe, longè tamen melius ſibi & ſuis opibus conſuluerit, ſi legitima & ciuili poteſtate Remp. adminiſtret. Iam quod ad tributum attinet in repentinos & extraordinarios Reip. vſus quæſitum (vulgò Subſidia & Auxilia vocant) de quo ibi agit Cominæus, non deſunt qui dicant id hodie non pro arbitrio Principis indici, ſed eam voluntariam collatio-

nem

nem eſſe,nec ſine conſenſu populi fieri.Huic opinioni materiam præbuit, quòd Carolus VII. longis & grauibus aduerſum Anglos bellis implicitus,quum Ordinum concilio indicaſſet publicas neceſsitates, neque ſtare poſſe Remp. niſi tributo nouo ſumtus ſuppeditarentur, ab illis impetrauit vt priuati ex cenſu annuum ſtipendium extraordinarium penderent: neque propterea neceſſe eſſet quotannis concilium cogere,tum ne Reſp.grauaretur impenſa,tũ quia tamdiu manſurum erat tributum,quamdiu cauſſa tributi iniungendi manſiſſet. Sed hoc decretum communi conſenſu Ordinum ad tempus propter bella Anglica factum, finitis illis abrogandum erat. Diutius tamen durauit publici iſtius conſenſus & tributi exemplum, quàm cauſſa. Regnante Carolo VIII. Statuum conuentus Turonibus habitus eſt, tum vt Regni adminiſtrationi ob pueritiam Regis proſpiceretur,tum vtReip.neceſsitates priuatorum pecuniis ſuſtentarentur.Eam nouam pecuniç collationem haud grauatè Status decreuerunt,quanquam tum populus continuis bellis & tributis exhauſtus eſſet.Quo loco Cominæus docet nihil Regi vtilius eſſe quàm vt Ordinum comitia conuocet: quorum conſenſu ſi omnia egerit, facilius ceteros obedientes habiturum. Sed queritur extitiſſe ſua ætate homines,indignos honoribus quos obtinerent (quales hodie multi ſunt) qui omni ope impedirent quominus populi Concilium haberetur: quippe magnos hominum conuentus reformidare, ne quales ſunt tales agnoſcantur.Scilicet illi,Caligulæ,Maximini,Commodi,&c. non diſ-

ſimiles erant, qui Rom. ſenatum non ob aliud oderant, niſi propterea quòd ſapientes viros, velut magiſtros & caſtigatores morum ſuorum, tolerare non poſſent.

Conſilium ex multis cõflatũ vnius conſilio præſtat.

NVNC ad Machiauellum reuertamur. Is axioma ſuum (quod argumentis & exemplis ſatis multis confutauimus) duplici ratione confirmare nititur. Vna eſt, Periculoſum eſſe, ſi Princeps cum vno duntaxat rerum curam & conſilia communicet, ne is principe deiecto principatum inuadat. Reſpondeo, hoc timeri meritò poſſe, ſi, quemadmodum olim ſæpe Imperium Rom. ſic hodie militaribus ſuffragiis principatus venales velut in auctione licitantibus addicerentur. Sed hac ætate Imperia vel hereditario iure poſteris cedere: vel grauium ſapientiúmque hominum iudicio ac ſuffragiis deferri. Ego tamen Principem non laudo, qui vnius tantùm amici conſilio vtetur: & qui hoc fecere olim, malè ſibi & rebus ſuis conſuluerunt, ſicuti pòſt docebimus. Neque verò fieri poteſt vt vnus tam accuratè Reip. cauſas vel negotia inſpiciat atque expediat, neque difficultatibus ac periculis ita maturè obuiam eat, quàm plures conſociatis conſiliis & curis. Itaque non immeritò ſapientiſsimus rex Salomon cõſilium ex pluribus conflatum comprobat.

Prou. 11.

Diſſenſio ſententiarũ in eumdem ſcopum ſpectantium, periculoſa nõ eſt.

POSTERIVS argumentum, quod ad confirmandum ſuum dogma Mach. adhibet, hoc eſt: Scilicet in conſilio ex pluribus conflato plerumque certari ſententiis, & dum ad ſua quique ſtudia diuerſi tendunt, ſenatum in partes diduci. Sed quàm hoc firmum eſt? Certatur in conſilio ſententiis; ergo

ergo prudentium consiliũ spernendum est. Quàm multis experimentis quotidie probatur, bonos ac prudentes viros in senatu alios ab aliis dissidere verbis & argumentis, rebus verò ipsis & sententiis consentire? Neque verò hæc, si fortè inciderit, opinionum dissensio Reip. noxia est, modò omnes rectà in eumdem scopum, Reip. videlicet dignitatem & salutem, colliment. Eiusmodi fortè fuit nobilis illa C. Cæsaris & M. Catonis in senatu dissensio. Nam patefacta coniuratione Catilinæ, quum senatus propè vniuersus in facinoris socios vltimam statueret pœnam, Cæsar per municipia in custodiis habendos, publicatis pecuniis, censuit. Quin & tantum metum iniecit asperiora suadentibus, vt D. Syllanum non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire: obtinuissétq. adeò, traductis iã ad se pluribus, nisi labantẽ ordinẽ cõfirmasset M. Catonis oratio. Longè (inquit ille) mihi alia mens est, " Patres cõscripti, &c. Igitur Cato Cæsari reluctãs, Sall. in Catil. forti & vehementi oratione habita, magna cum laude senatum in suã sententiã traxit: ac de cõiuratis supplicium sumtum est, sicut ille censuerat. Itaq. permagni interest existere in senatu Catones, Appios Claudios, & illorum similes viros, qui prisca seueritate molles aliorum sententias castigent. Neque enim desunt vlli Reip. Poplicolæ, Menenij Agrippæ, Seruilij, Pompeij, vel Cæsaris, similes, qui nimium dissolutè ac leniter in senatu sententiam dicant: sed pauci Catones, Appij, Cincinnati, sunt, qui liberè ac fortiter censeant. Etsi enim graues illæ seueræque

ſententiæ vincere ſemper non debeant: interiectæ tamen aliis, iucundum in Senatu ex diſsimilibus iudiciis, velut ex diſtinctis ſonis, concentum efficiunt, neque parum ad conſilium capiendum proſunt. Cuius rei plurima exempla T. Liuius ſuppeditat. Itaque in Principis conſilio iudiciorum illa ſententiarúmque diſsimilitudo non admodum metuenda eſt.

QVARE Machiauelli dogmati dogma verius oppono, Principem videl. qui conſilio virorum probitate, vſu rerum & prudentia, inſignium morem geſſerit, feliciter remp. adminiſtraturum: eũ verò qui ſuis vnius conſiliis fretus, temerè rerum fluctibus ſe commiſerit, merſurum ſe ac ſpes ſuas. quemadmodum ab Horatio elegantiſsimè ſcriptum eſt:

Carm. lib. 3. Od 4.

Vis conſili expers mole ruit ſua:
Vim temperatam di quoque prouehunt
In maius: iidem odêre vires
Omne nefus animo mouentes.

II. THEOREMA.

Princeps, ne ab aſſentatoribus circumueniatur, edicere debet amicis & cõſiliariis ſuis, ne quidquam ipſi ſuadeant, néve vlla de re cum ipſo colloquantur, niſi de qua vltro ab ipſo ſermo inſtitutus fuerit.

ASSENTATORIBVS, qui principum aures obſident, & gratiora dictu magis quàm vera ingerunt, vt ſemel ſeſe liberet Princeps (inquit Mach.) maturè ſignificet ſe abhorrere à mendaciis: veritate, & ea liberè dicta, delectari. Verùm quum in ordinem nimiùm videatur cogi, ſi cuilibet vera dicturo conueniendi ſui copiam fecerit, tertia illi & media quædam via ſequenda eſt. Itaque vtile erit Principi vt familiares habeat prudentia & virtute inſignes, qui verè liberéque de rebus ſententiam dicere audeant, quas cum ipſis communicarit: ceterum prohibeat ne de vlla re verba apud ipſum faciant, niſi de qua ſermo ab ipſo ortus inſtitutúſque fuerit. Demum, vbi ſententias ipſorum audierit, ſolus ſecum ipſe conſilia volutet, quæque ſibi potiora viſa fuerint, ea deligat. Cap. 23. de Principe.

SIMVLAT verbo Machiauellus se vtile consilium velle dare Principi, ne videlicet assentatoribus aurem commodet: ceterum reipsa nihil aliud agit nisi vt Principē doceat qua ratione se regendū illis permittat. Quippe non alius adulator exitiosior est, quàm is qui, quamquam res Principis sui in deterius labi videat, tamen sciens prudénsque dissimulat. Prudentis enim fidelísque consiliarij precipuum munus est, aperire Principi, quoties opus fuerit, quæcumq. vel à magistratibus in Rep. vel à priuatis peccantur, vt admonitus iis maturè prospiciat. Certè expectare donec ipse Princeps sermonem seriis de rebus & ad Remp. pertinentibus lacessat, vanum est: neque is de negotiis agere potest, quæ nescit: neque vel domi inclusus, vel magno comitatu cinctus, ea scire aut curare quæ ad ipsum non perueniunt, nisi quantum iis videtur, quorum in potestate sunt Principis aditus. Itaque meritò de aulicis assentatoribus querebatur Diocletianus, qui veritate rerum suppressa Principem fumis pascerent. Sed ipsius verba, quia memoratu digna sunt, hîc adscribere libet. Quæritur (inquit Vopiscus) quæ res malos principes faciat. Iam primùm nimia licentia, deinde rerum copia, amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi auarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, & (quod negari non potest) rerum publicarum ignorantia. Sed ego à patre meo audiui Diocletianum principem, iam priuatum, dixisse, nihil esse difficilius quàm bene imperare. Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum consilium

Princeps nihil eorum quæ geruntur intelligit, nisi quā tum ex ministris suis audit.

Vopisc. in Aureliano.

consilium ad decipiẽdum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit : cogitur hoc tantùm scire quod illi loquuntur : facit iudices quos fieri non oportet, amouet à republ. quos retinere debebat. Quid multa? Vt Diocletianus ipse dicebat, Bonus, cautus, optimus, venditur Imperator. Hæc Diocletiani verba sunt : quibus apparet ipsum, quòd doleret se turpiter ab aulicis sciẽtem ac videntem decipi, tædio Imperij secessisse in priuatam vitam, vt Salonis, hoc est in patria sua, oluscula sereret. Plerique hodie, quos aulici assentatores, pessima principatus instrumenta, dementant, Diocletianum vt stolidum & insanũ rideant, digniorémque iudicent olitoris quàm Principis fortuna. Verùm siquis Galbæ, Commodi, Bassiani & aliorum principum, quos adulatores & seruorum deterrimi in exitium traxerunt, tristes exitus reputet, Diocletianum amẽtem fuisse non temerè iudicauerit, quòd, abiectis Imperij curis, rei rusticæ indulgere & sibi aliquando viuere, quàm in principatu vitam ferro amittere, maluerit. Fortasse quidem melius Reip. consuluisset, si potius abegisset à se examen illud adulatorum, quàm si se abdicasset Imperio. Nam si periculum erat tantam mutationem vno impetu & apertè molienti, poterat paulatim tales fucos à sua consuetudine depellere, ascitis ad subsidium dominationis in eorum locum bonis & prudentibus viris.

ATTAMEN vel hoc vnum Diocletiani exemplũ satis declarat istud Machiau. dogma germanũ

assentatoriæ artis præceptum esse:neq.vllum perniciosius adulatorum esse genus, quàm qui Principi eorum quæ gerũtur & quæ scire ipsius interest, verè nihil aperiunt. At si Princeps, veri & recti amans, fideles amicos sibi adiũxerit, qui Reip. causas & negotia, siquæ fortè ipsius curam & autoritatem desiderant, ad eum verè synceréq.referant: vel certè non audebunt simiæ istæ aulicæ nugas & putidas suas fabulas impudenter obtrudere Principi, ne suo indicio semetipsos prodant, præsertim quum illi impunè illudere non liceat: vel si quæ fortè intermista veris falsa sese obtulerint, ea, sicuti nebulæ splendorem solis, ita veritatis lucem non ferent.

L. quisquis C. Ad leg. Iul. Mai.

ENIMVERO is qui coniurationis aduersum Principem initæ consilia senserit, ea occulta habere non debet. Nam ea nisi patefecerit, legibus reus Maiestatis tenetur. Ergo quos in familiaris amicitiæ iura Princeps extulit, quos arcanis sermonibus & consiliis adhibet, qui Principis sui ministerio præter ceteros subditos fidem obstrictam habẽt, nõnne hostes & proditores iudicandi sunt, si ea reticent & premunt, quæ ad ipsius propriè curam & prouidentiam pertinent? Siquis enim obiecerit, ea quæ à Principe curari oportet, etiãsi omittantur, non continuò in exitium vertere. næ haud ille mecum sentit. Quippe etiamsi hunc errorem non extemplo subita ruina consequitur, ferè tamen euenit vt, dum rerum opportunitates ignauia corrumpuntur, & negligentia (vt fit) magis magísque indulgendo, in consuetudinem vertit, Reip. simúlque ipsius Principis status nec

opinato

opinato lapsu corruat. Atque vt ab extremo discrimine minimè periculum sit, si tamen Princeps ipse Reip. gubernaculis assidens, rerum curam ca pessat, felix ipse & subditi: inertia, præterquam quod fœda est, etiam ipsi ac Reipubl. detrimento est.

Hoc loco quæstio occurrit minimè prætermittenda, Quî fiat vt quum fideles amici tam necessarij sint Principi, assentatores tam pestiferi, Principes tamen magnam assentatorum vim circa se habeant: bonos consiliarios, paucos. Eius rei causam Cominæus satis sollerter exsequitur: quippe Principes ferè eos sibi solere adiungere, qui suo animo maximè adlubescant: ceteros, quamuis egregios atque vtiles, aspernari. Itaque (inquit) qui « cum Principe à pueritia educati sunt, quibus diu « assueuit, qui societate vitiorum illum sibi obstrin- « gere, qui voluptatibus eius obsequi, norunt, pri- « mum ferè locum ac vim in ipsius amicitia obti- « nent, eos præcipuè extollit, honoribus ornat. Ne- « que scit Princeps viros probitate & prudētia spe- « ctatos legere, donec vix tandem serò didicerit, « quantum illis egeat. Ita fit vt illis sæpe vti coga- « tur, quos antea spernebat: quemadmodum comi- « ti Carrolensi, & regi Angliæ Edvvardo accidisse « memini.

Adulatores cur Principibus grati.

Comin. lib. 1. cap. 11.

VERVM ne sic quidem expedita est hæc quæstio. Quæri enim hîc rursum potest, Quibus artibus assentatores ad gratiam amicitiámque Principum validiores sint quàm prudentes viri. Plutarchus mihi videtur hunc nodum dextrè soluere: quum dicit id ex eo oriri, quòd natura homines,

Plut. de discr. adul. & amic.

ac potiſsimũ principes, ſeipſos immodicè amant. Quippe cæcus noſtri amor facilem aditum aperit aſſentatori, efficítq. vt eorum quæ appetimus & amamus iudices æqui & incorrupti eſſe nequeamus. Itaque ſi adulator Principem laudibus, quamquam falſis, aſpergat, facilè is dulcedine laudum capitur, quum multa in ſe commendatione digna eſſe ſibi perſuaſerit. Etenim callidè aulicus Gnatho, vicina virtutibus vitia pro veris animi bonis prædicans, Principi ſæuo magnanimi, prodigo liberalis, libidinoſo hilaris & humani, nomen affingit. Sic vitia virtutum vocabulis incruſtans, detracto peccatis pudore, Principem in omne dedecus & flagitium corrumpit. Idémque cuiuſlibet rei ſimulator & diſsimulator, vitia ſua vicinarum virtutũ adumbrata ſimilitudine, quantum poteſt, velat: atque affectus ſuos in altum recondens, ne ambitionem nudet, ſimulat ſe ſtudio Reip. duci: auri cupido immenſa obtentum habet quaſi Principis famæ conſulat. quippe id minimè honorificum Principi, habere ſeruos inopes. Odio atque vltionis cupidine incenſus, fingit ſe ſui anxium non eſſe, ſed quo animo graues pro Principe inimicitias ſuſceperit, eodem exercere. Ad hunc modum cetera. Quæ adeò apud potentes valent, vt ſi ſe adulator per omne obſequiũ in quammaximè familiarem vſum Principis inſinuauerit, fallacibus eiuſcemodi blanditiis tantum caliginis menti eius offundat, vt quibus maximè laborat vitiis ea diligat pro virtutibus. At ſi vir grauis & ſapiens Principem errantem admonitione libera in viam reduxerit, non perinde illi iucundus erit

Dion. Haly. lib. 9.

Salluſt. in Catil.

vt qui

vt qui omnia ad gratiam loquitur. Quare vulgatum illud, quia verum erat, in prouerbium venit, Obsequium amicos, veritatem odium parere.

ATTAMEN boni viri gliscente adulatione deterreri non debent, quominus & Principibus & ceteris, quoties expedit, vera eloquantur. Quippe (vt inquit Plato) ea species, ea pulchritudo, veri est, vt non gratiæ tantùm aut amicitię cuilibet, sed rebus omnibus humanis, anteponi debeat. Politicus igitur homo, veri rectiq. amans, Q. Capitolinum imitabitur: qui quum ob perpetua patrum ac plebis certamina, populum ad concionem vocasset, eum graui oratione increpuit, quòd lasciuiret otio, & propter nimiam libertatem Patrum imperium spernendo, perpetua ordinum discordia ex vna ciuitate duas faceret: tum ad extremum addidit, His ego gratiora dictu alia esse scio: « sed me vera pro gratis loqui, etsi meum ingenium « non moneret, necessitas cogit. Vellem equidem « vobis placere, Quirites: sed multò malo vos sal- « uos esse, qualicumque erga me animo futuri estis. « Rarò aliàs tribuni popularis oratio acceptior plebi, quàm tunc seuerissimi consulis, fuit. adeò fuit efficax illa nudè oculis subiecta veritas ad flectendas hominum mentes, & conciliandam ordinum concordiam. Iam verò ne Principum quidem etiam auribus parcendum, quominus vera dicantur: ac ne nimiùm pronis animis laudum suarum præcones audiant, maturè monendi sunt, eum qui quemquam coram & in os laudauerit, adulatorem esse. Memorabile est Alex. Seueri institutum, & dignum quod imitentur. Oratores enim ille &

Officium boni fidelisq. amici & ministri in Principem.

T. Liu. lib. 4.

Lampr. in Alexandro.

poetas qui sibi panegyricos & præconia laudum suarum recitarent non libenter audiebat: sed qui aut orationes, aut clarorũ principum & virorum facta narrarent. Pescenij Nigri exemplo id faciebat: cui quum Imperatori facto quidam panegyricum recitare vellet, ei dixisse fertur, Scribe laudes Marij vel Annibalis, vel alicuius ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit, vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare, ludibrium est: maximè Imperatores, à quibus speratur, qui timentur, qui possunt necare, qui proscribere. se autem viuum placere velle, mortuum etiam laudari. Hoc dictum & exemplum Pescennij ita meminerat & sequebatur Alexander, vt præsens à quoquã se laudari non ferret. Salutantes quoque iubebat abstinere ab inanibus titulis (verbi gratia, Dii tuam augustam & sacrosanctam Maiestatem, tuam Clementiam, seruent) qui postea inoleuerunt. Salutabatur autem nomine tantùm, hoc est, Aue Alexander. Siquis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, vel vt adulator abiiciebatur, si personæ eius ratio pateretur: vel ingenti risu excipiebatur, si propter dignitatem grauiori contumeliæ subiici non posset. Immò edicto monuit nequis se salutaret vita probrosus & opertus infamia. Præterea verò monendi sunt Principes, nihil in vita magis homini parandũ, quàm vt semetipsum norit. quippe hæc sui notitia, præterquam quòd animos ad Dei notitiam deducit, nostræ quoque nos imbecillitatis admonet: efficitq. ne Principes nimia fortuna elati homines se esse obliuiscantur. Qui autem probè se hominem esse meminerit, id est,

Spart. in Pescen.

eſt,eum qui labi,peccare, deterrima quæque potius quàm recta & profutura amplecti,ſoleat,is omni ſuperbia vacuus, vanas & immodicas aſſentatorum laudes,domeſtico animi iudicio facillimè compeſcet.

Sed quemadmodum Principis familiares ei liberè ac ingenuè proloqui decet, quæ ad ipſius & Reipubl. vtilitatem ſpectant: ſic verecundia quadam lenienda eſt admonitionis vel reprehenſionis aſperitas: neque probanda intempeſtiua illa & impudens Cynicorum libertas, qui neminem docere aut obiurgare norunt, niſi ſimul conuicientur ac mordeāt. Eiuſmodi fuit Diogenes, qui perinde impudenter cum Alexandro Magno nugabatur ac cum Athenienſium viliſsimo. Calliſthenes quoque philoſophus, quem Alexander inter amicos aſciuerat, odioſam ei ceteríſq. ſuam conſuetudinem propter nimiam auſteritatem reddidit: & pridem inuiſus regi quum eum ab adoratione deterrere vellet, ſemet ipſe perdidit, quòd vi extundere id magis Alexandro quàm ratione perſuadere niteretur. Quapropter modeſtia & quadam comitate verborum condienda erit libertas, præſertim ſi cum Principe res erit, quem amica & lenis admonitio plerumq. flectit, triſtis & acerba obiurgatio exaſperat. Neque tamen propterea grauitas aut libertas ſcurrilitate mutanda eſt, ſed aſsiduè inculcandum Principi ſcitum illud Phocionis quòd Antipatro dixit: Nam quum is fortè aliquid à Phocione minus honeſtum contenderet, Non potes, inquit, me ſimul amico & adulatore " vti. Etſi enim Amicus & Adulator multarum re- "

Plut. in Alexandro.

Adulatoris & Amici diſcrimen.

Plut. in Phocione.

rum similitudine connexi sint, plurimum tamē inter se differunt. Amicus Principem diligit: Adulator, seipsum. Amicus, Principis præsentis & audientis vitia comiter & verecunde castigat, virtutes absentis prædicat: Assentator in os plenis buccis Principis virtutes in cælum tollit, & quidem vitia pro virtutibus: auersum, ludibrio habet vt fatuum & seruorum imperiis obnoxium. Amicitia in vtraq. fortuna præsto est: Adulatio, vbi res verterunt, mutata veste auolat. Amici, Principis dignitatem, opera, consilio, omni ope, ad extremum tuentur: Assentatores non familias tantum nobiles, sed regna quoq. ac imperia subuertunt.

MINIME tamen ideo quicumque Principi gratum facere student, assentandi gratia id agunt. Sunt enim ingenuæ & concessæ voluptates, ac libero homine dignæ, quibus Princeps cum amicis sese oblectare potest. Equitare, iaculari, venari, pila, cursu, cum æqualibus certare, longè Principi honestius est, quàm si se luxui aut inertiæ corrumpendum det: vel solus & nullis voluptatibus auocatus mœstum otium & malas curas exerceat. Huc pertinet quod in Alexandri vita legimus.

Plut. in Alexandro. Eius auspicia, quum in Asiam transiret, sequuti erant Hephæstion & Craterus, amicorum eius facilè principes. His cetera propè æqualia, sed diuersi mores inerant. Nam Cratero ingenium durum, attentum, asperum, cura & consilio vigebat: Hephæstioni decora indoles, ingenium haud absurdum, sed omnis curæ, preterquam vnius, expers erat, vt regis animum lusu & iocis laxaret. Quum igitur Alexander subacta Perside barbaricam vestem

ſtem induiſſet, vt incolarum animos ſibi conciliaret, Hephæſtion ad ipſius inſtitutum ſeſe accommodabat, Craterus patriis inſiſtebat moribus: vt hunc maximo in honore haberet Alex. illum vnicè diligeret, exiſtimans & dicens Hephæſtionē Alexandri amantem, Craterum regis, eſſe. Quapropter exiſtebant inter eos, vt æmulos, crebræ offenſiones. Semel in India etiam ad manus venêre diſtrictis enſibus. Subuenientibus vtriq. amicis accurrens Alex. probris increpauit Hephæſtionem, propalam ſtolidum eum & amentem vocans. Priuatim quoque Craterum corripuit amarè, reſtitutáq. inter eos gratia, per Ammonē iurauit, quamquam ſibi ſupra omnes mortales cari eſſent, ſe ambos necaturum, ſi iterum concertarent, aut eum à quo initium ortum eſſet. Vnde ne per iocum quidem deinceps alter alterum vllo dicto vel facto laceſsiuit. Princeps igitur, Alexandri exemplo, non tantùm ſibi adiunget Crateros, qui conſilij copiam præbeant: ſed etiam Hephæſtiones, quibuſcum per honeſtas voluptates & luſus animum exhilaret.

IAM verò quia non vnum genus Adulantium eſt, quo facilius à veris amicis internoſci poſsint, eorum quaſi familias vel ordines percenſere hîc libet. Omnibus certè hoc commune eſt, vt ſtudioſè dogma iſtud Mach. obſeruent, rerúmq. veritatem, ne innoteſcat Principi, perfido ſilētio clauſam & occultam habeant. Sed vt ſuis ac propriis generibus diſtingui poſsint, eos iiſdem illis vocabulis ſignabo, quæ à maioribus noſtris acceperunt. Primi generis Aſſentatores, veteres Galli

festiuo vocabulo, Ianglerios, id est, scurras, nugatores, & blaterones, vocabant. Eiuscemodi sunt, qui nugis suis gratiam potentum venantur: qui fucata Principum vitia pro virtutibus extollũt: qui bene & composite dicendo vanos homines inebriant, & ex stultis insanos faciunt. Eius generis assentatores, regnante Philippo Augusto in Galliis, extra aulam pulsi sunt, quòd mores corrumperent, quòd à principibus immensa dona caperent, quæ honestius in egenos erogarentur. Rex ipse, vt ceteros exemplo suo moueret, sollenni voto semet obstrinxit, se quidquid ipse ac superiores Reges in scurras effuderant, id omne in posterum pauperibus daturum.

Annal. in ann. 1104.

NIHIL isto genere hominum pestilentius est. Nam dum Principem immodicis encomiis cælo æquare nituntur, eò superbiæ prouehunt vt grauiore lapsu procidat. Quod Iulio Cæsari contigit. Quippe L. Cotta, Cornelius Balbus, & similes scurræ, suadere cœperunt vt Quintilem mensem, Iulium ex suo nomine appellaret: præterea templum, sacrificia, cælestes honores, & cetera humano fastigio ampliora, pateretur sibi decerni: Regium nomen & diadema vsurparet. Quum adeuntibus se Patribus conscriptis fortè adsurgere vellet, ab assentatoribus retinebatur. Quid? (aiebant) non meministi te Cæsarem, & Reip. principem esse? numquámne patieris te pro tua maiestate coli? Hæc & similia, quamquam repugnante Cæsare fieri viderentur, inexpiabile illi odium Senatus atque inuidiam mouerunt.

Dion & Plut. in Cæs. & Suet. in Cæs. cap. 78. 79.

CAIVS Caligula aliquamdiu boni Principis speciem

Suet. in Calig. c. 22. 51.

speciem habuit: sed ab huiuscemodi assentatorib. corruptus è Principe in monstrum versus est. Quippe & Pij, & Castrorum filij, & Patris exercituum, & Optim. Max. Cæsaris, & ceteris honorum cognominibus certatim in illum congestis, ex tolerabili Principe crudelissimum tyrannum fecere. Quum diadema sumere, & speciem principatus in regni formam vertere vellet, ab aulicis admonitus & principum & regum se excessisse fastigium, diuinam ex eo maiestatem asserere sibi cœpit. Templum etiam numini suo propriũ, & sacerdotes, & lectissimas hostias, instituit: In templo simulacrum ipsius aureum stabat: amiciebatúrque veste quali ipse vteretur. Interdiu cum Capitolino Ioue secretò fabulabatur, modò insusurrans ac prębens inuicem aures, modò clarius nec sine iurgiis: donec exoratus (vt referebat) & in contubernium vltro inuitatus esset. En quò insaniæ adulando perductus sit. Ioseph. Antiq. lib. 18. cap. 15.

Sed ne assentatoribus quidem ipsis ludificatio Principis impunè erat: quin facilè à stultis ad infesta & sæua transgrediens, & ludibria seriis permiscere solitus, sua exempla in consultores vertebat. Memorabile est inter ceteros exemplum Macronis; qui oppresso Seiano præpotens, vt gratiam Caij Cæsaris foueret, Enniam vxorem suam immittendo, iuuenem amore inlexerat. Sed postquam Macronis & Enniæ beneficio principatum adeptus est, Macroni leui de caussa infensus, illum nimia iam fortuna secordem & nihil minus exspectantem, vltro mortem oppetere coegit: quum eum præter cetera lenocinij accusasset. Dion in Calig.

Nihilo mitior fuit duorum exitus, quibus pro intempestiua assentatione cruenta mors persoluta est. Nam quum Publius Afranius Potitus, homo plebeius, stulta quadam adulatione, non modò volens sed etiam adhibito iureiurãdo promisisset, si Caius conualesceret, se libenter moriturum: quúmque Afranius Secundus, eques, dixisset se ob eamdem causam velle in singulare certamen descendere, ambos pro pecunia quam se sperarant accepturos, quòd pro Caio vitam profundere parati fuissent, coegit promissa facere, ne peierarent. Vix quidquam dignum laude, hoc vno excepto, fecit insanus ille Princeps. nã quod ad pœnam trium istorum attinet, iustissima fuit hæc deformis obsequij merces: & digni erant, quando illum ad insaniam redegerãt, qui tales ex ipsius insania fructus referrent.

Dion in Nerone. Porro quemadmodũ Colaces isti erga Principem præsentem minimè laudum & honorum parci sunt: sic absentem rident & probris lacerant. Teridates frater Vologesi Parthorum regis, quum Romam magno comitatu venisset, summittens se ad pedes Neronis, ac manus ad cœlũ tendens, veneratus Dominum appellauit: Ego (inquit) domine, Arsaci nepos, Vologesi & Pacori regum frater, tuus seruus sum; veniq. vt te deum meum, non secus ac Mithram, id est solem, colerem. Equidem is ero quem tu me fato quodam efficies. Tu enim fatum meum es & fortuna. Huic Nero ita respondit, Tu quidem quòd huc veneris rectè fecisti, vt præsens præsente me frueceris. Nam quæ neque pater tuus tibi reliquit, neque

fratres quæ dederant seruauerunt, ea ipse tibi núc" do, téque regem Armeniæ facio, vt tu atque illi" simul intelligatis in mea potestate esse regna da-" re & adimere. Tum Teridates se ad Neronis pe-" des abiecit, eíque Nero diadema imposuit. Sed eam diem omni lætitiæ genere vt celebraret Nero, cithara publicè cecinit, currúsque viridi veste indutus agitauit. Hîc Teridates in hospitium reuersus Neronem vilem habere ac detestari, aurigam & citharœdum vocando: quem paulo antè Dominum ac deum salutauerat. Scilicet pro tali opera merebatur is adulator, vt ab Nerone regnum acciperet.

NEC minor adulator Teridate Prusias Bithyniæ rex, post Persea à Paulo Æmilio debellatum, Romam venit. Is magno comitatu vrbem ingressus, ad forum à porta tribunálq. Q. Cassij prætoris perrexit, & deos qui vrbem Romam incolerent, Senatum populúmq. R. salutatum se dixit venisse. Qúumq. in curiam venisset, summisit se, osculo limen curiæ contigit, & deos seruatores suos Senatum appellauit, aliámq. orationem non tam honorificam audientibus quàm sibi deformem habuit. Quin priusquam etiam Romam veniret pileatus capite raso legatis obuiam ibat, libertum populi Romani ita palam se ferens, vt insignia ordinis eius gereret. Itaque quum tanti nominis maiestatem seruilibus blanditiis fœdaret, à Nicomede filio simul regno & vita priuatus est.

Liu. lib. 45. Florus li. 50. Polybius.

EIVSCEMODI scurra fuit L. Vitellius, Vitellij Imperat. pater, miri in adulando ingenij. Is primus C. Cæsarem adorari vt deum instituit:

Suet. in Vitellio cap. 2.

quum reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset quàm capite velato, circumuerténsque, deinde procumbens. Claudium vxoribus libertísque addictum, nequa non arte demereretur, pro maximo munere à Messalina petiit, vt sibi pedes præberet excalceandos: detractúmque socculum dextrum, inter togam tunicásque gestauit assiduè, nonnumquam osculabundus. Quid facias tam fœdis mancipiis?

TAM deformis seruitij exempla in ipso quoq. Senatu extiterunt: & tempora illa adeo infecta & adulatione sordida fuere, vt non modò primores ciuitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed consulares quoque ipsi & senatores, certatim in Principes fœda & nimia censerent. Memoriæ proditur Tiberium, quoties curia egrederetur, hunc in modum eloqui solitum, O HOMINES AD SERVITVTEM PARATOS! scilicet etiam illum qui libertatem publicam nollet, tá proiectæ seruientium patientiæ tædebat. Ergo quum ipso imperante lex Maiestatis acriter exerceretur (cuius nomine non facta tantùm, vt apud veteres, sed dicta quoq. & ea persæpe leuia, in iudicium veniebant) L. Ennio equiti Romano crimini datum est quòd effigiem Principis promiscuum ad vsum argenti vertisset. Eo facto quum Maiestatem suam nulla ex parte violari Tiberius videret, recipi inter reos vetuit: palam aspernante Atteio Capitone, vno ex togatis illis mancipiis, quasi per libertatem: non enim debere Patribus eripi vim statuẽdi, neq. tantum maleficium impunè habendum: sanè lentus

Tac Annal. lib. 3.

in

in suo dolore esset, Reip. iniurias ne largiretur. Intellexit hæc Tiberius vt erant magis quàm vt di cebãtur, perstititq. intercedere. Capito insignior infamia fuit: quòd humani diuiniq. iuris sciens, egregium publicum,& bonas domi artes dehonestauisset. Hîc attendere operæpretium est quod annotat Cominæus, Literatos viros, si probitatem cum doctrina iunxerint, Principi ad res consultandas peropportunos: sin mali sunt, pestilentissimos esse. quippe tanto splendore verborum orationem suam vestire, tot legum atque exemplorum, quæ perpaucis nota sunt, argumentis munire, vt multa ex ipsorum sententia temerè ac perperam decernantur. Sed ad rem redeo. Comin.lib.2 cap.24.

HVIC Assentatorum generi meritò plerosque Poetarum nouorum accenseam, qui minimè gratuita mendacium laudum vanitate Abbatiam, aut præpingue aliud sacerdotium, venantur. Poetis equidem in exornando aliquo plus aliquid licere quàm vel oratoribus vel historicis, facilè patior: sed si immodica illa encomia non tam honori eius qui laudatur quàm dedecori vertũt, ecquis super mendacium tantam impudentiam toleret? Neque procul documenta quæsiuero. Epitaphia multa in Carolum IX. Galliæ regem nuper scripta sunt & Lutetiæ excusa. In eis Rhapsodi isti canunt Carolum tanta ciuium & subditorum cæde perpetrata, plura monstra exscidisse quàm Herculem. Quemadmodum Samson columnas quas amplexus erat, ædémque illis impositam, moriens subuertit: ita Iustitiam ac Pietatem, duas Regni columnas, Caroli morte concidisse: Galliam illi

nouercam extitisse. In se omnium artium, etiam mechanicarum, officinam habuisse. Ei Henricum III. successisse, vt Polluci Castorem, & Diuum Diuo. Pro Christo martyrium perpessum esse, atque inuocandum esse pro Sancto. Vtrum hæ generoso & verè poetico spiritu afflatorum hominum voces, ac non potius scurrarum assentandi studio amentium clamores habendi sunt? Certè si reuiuisceret Carolus, putaret se ludibrio haberi: neque egregius vllus princeps ineptas & indecoras laudes admittit: quemadmodum de Augusto scripsit Horatius,

— nisi dextro tempore, Flacci

Hor. lib. 2. Serm. Sat. 1. *Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem,*

Cui malè si palpére recalcitrat vndique tutus.

Nam & optimi quique viri, etsi laudari se non ægrè ferunt, vanas tamen & immodicas laudes, non tantùm vt prægraueis spernunt, sed etiam exsecrantur: quod confirmant hi Euripidis versus,

Euripid. Iphig. in Aulide. *Quum laudantur boni, aliquo modo*

Oderunt eos qui laudant, si ij prædicent immodicé.

Vtinam noui isti Poetæ, priusquam Epitaphia sua ederent, Vergilium ac Horatium euoluissent. (Æn. 5. Hor. lib. 4. Carm. Od. 5. 15.) Celebrant illi multis versibus Augusti laudes, sed quas aut quo modo? Laudant illum quòd cuncta discordiis ciuilibus fessa composuerit, quòd pacem vbique restituerit, quòd ius integerrimè administrarit, & aureum seculum reduxerit. Laudât quoque quòd Cantabris & aliis populis subactis auxerit imperium: sed quòd arma in Antonium accepta, in Remp. vertisset, quòd Brutum & Cassium oppresisset, vt sine vituperio ita sine laude, silentio

ſilentio tramittunt. Nam triumphus (vt inquit Plutarchus) ex patriæ calamitatibus & ciuili ſanguine partus, fœdus & acerbus eſt. Ab illis igitur noſtri Pſeudopoetæ laudandi exempla ſumere debuerāt, ne tam putidè & inuerecundè ſcriberent. Scilicet Carolus, inſtar Samſonis, Iuſtitiam & Pietatem, ſtatus ſui columnas, morte ſua peſſumdedit: atque ita haud dubiè Henrici hodie dominantis regnum Impietatis & Iniuſtitiæ damnatur. Quod contrà eſt. nam ius fáſq. ac religio perinde vigent in Gallia hodie vt Carolo regnante, & in eo ſtatu ſunt, vt peiore eſſe & in deterius mutari non poſsint. Iam verò nónne grauis iniuria eſt, Galliam nouercam in regem dicere, quæ regum imperiis indulgere adeo inſueuit, vt tyrannos quoque toleret? Obſequium exuêre & rebellauere nonnulli in regem, inquiunt iſti. Sed illi negant ſe rebellaſſe, neque vllos ſe obedientiores fuiſſe, dum fœderibus atque edictis fides non defuit. Egregiam porro laudem, aſsignare regi officinam artium omnium, etiam infimarum: quaſi compingere arculam, aut cucurbitas pingere (quod in Adrianum iactum eſt) inter regias artes & præcipuas Principis virtutes numeranda ſint. At Virgilius multo aliter de principibus Romanis agens, Plut.in Cæſ.

Excudent alij ſpirantia mollius æra: Æn.6.
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas meliùs, cœliq. meatus
Deſcribent radio & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) paciſq. imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Principes scilicet non vult eas artes scire quæ manu tractātur, sed vincere, imperare, parcere, gentibus à se domitis iura & leges dare. Illud verò profanum de Castore & Polluce & Diuis quorum alter alteri successerit, quàm alienum est ab auribus Christianis? Si hodie tam fatui essent principes, vt isti profani & impij sunt, iuberent se in templis effigie numinum sacrari & coli: quemadmodū Caligula inter statuas Castoris & Pollucis simulacrū suūm collocauit. Sed de hoc genere Assentatorum satis egimus.

Delatores, secundum genus adulantium.

IAM ad Delatores veniamus, qui veteri Gallorum lingua Marmoseti dicti sunt, fortasse à murmurando, quasi Susurrones: qui fortuitos aliorum sermones, & plerumque tacendos, in aurem Principis leni murmure insusurrant. Longè illi Scurris periculosiores sunt. nam obsequium simulantes in Principem, fingunt se egregiam illi operam nauare, odorando & speculando abditos sensus & voluntates inimicorum eius, ne ab illis fortè incautus opprimatur. Principes vicissim, quia (vt ait Cominæus) suspicaces eorum animos ira, metus, ceteríq. tales affectus ex rumoribus & delationibus orti, facillimè penetrant, criminatoribus credere amant: immò etiam promittunt, se quidquid ex ipsis intellexerint, id tectum & occultum habituros. Quod summum in Principe vitium est. Nam præterquam quòd communiter omnibus Ἐπιχαρμεῖον illud tenendum est, NERVOS ATQVE ARTVS ESSE SAPIENTIAE NON TEMERE CREDERE, hoc Principi proprium esse debet, vt au-

Com. lib. 1. cap. 9. 26.

reg

res aduersum accusationes claudat: nisi delator palam nosci velit, ac, si falsum eius indicium esse appareat, nullam pœnam recuset. Sed potissimum in caussis magni momenti Principi cauēdum est ne credat, aut præproperè ad vltionem festinet, nisi prius eo audito cuius nomē ad se delatum est. Sin leuis caussa est, & verba tantùm arguuntur, vel per ludibrium, vel per irā, vel inter pocula (vt fit) temerè iacta in Principem, ea spernat: & si spreuerit sponte exolescent. Nemo linguam adeo in potestate habet, vt non illi aliquid perperam dictum excidat. Eum morbum homines in hominibus tolerare vtique debent, sed maximè Principes, idque duabus de caussis. Primùm quòd non ad alium quemquam plures criminationes deferuntur quàm ad Principem: quibus si patienter aut libenter aurem commodet, perpetuas inter curas & formidines anxius aget. Deinde cogitare debent Principes, se omnium oculis & iudiciis expositos esse, & de ipsis plus homines quàm de priuatis loqui. Quis hîc linguas hominum frenauerit? nam si interdicto alligaueris, eo intemperantius loquentur. Itaque verba in se temerè & inconsultè iacta Principem elato animo despicere, & omnibus vtile & ipsi honorificum est. Neque aliter Augustus Cæsar consueuerat. Quum enim quadam cognitione Æmylio Eliano Cordubensi inter cetera crimina vel maximè obiiceretur, quòd malè opinari de Cæsare soleret, conuersus ad accusatorem, commotóque similis, Velim (inquit) hoc mihi probes: faciam sciat Elianus & me linguam habere: plura enim de eo loquar. Nec

Suet. in Aug. cap. 51.

quidquam vltra aut ſtatim aut poſtea inquiſiuit. Pari ſapientia M. Antoninus Pius, egregius princeps, eiuſcemodi ſycophantarum calumnias reſpuebat. Ei aliquando Valerius Omulus, quum forte Lucillam Marci matrem in viridario venerantem ſimulacrum Apollinis vidiſſet, inſuſurrauit, Illa nunc rogat vt diem tuum claudas & filius imperet. Sed apud Antoninum ea calumnia non valuit: neque quotquot extitere boni Principes, Traian', Nerua, Alex. Seuerus, &c. Delatores (genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem numquam ſatis coercitum) ferre potuerunt: nedum vt præmiis allicerent.

Capitol. in Marco.

Vox temere iacta excipi & refricari non debet.

Froiſſ. lib. 4. cap. 6.

SED, vt paulo ante dixi, minime omnium decet Principem temerariæ & inconſultæ vocis nimium memorem eſſe, ſed negligere & pro non dicta habere. Qua de re iudicium nobile quondam factum in conſilio Caroli VI. Galliarum regis, vt non alienum, inſerere hic libet. Petrus Cortenæus inter equites Anglos longe acerrimus erat. is aliquando in aula regis Galliæ Guidonem Trimulium, equitem inter Gallos nobilem, ad ſingulare & ludicrum certamen prouocauerat: vt pugnæ euentus oſtenderet vter equeſtri gloria eſſet ſuperior. Neque detrectauit certamen Trimulius: & prius ſciſcitatus regis voluntatem, eius & ducis Burgundiæ ipſius patrui permiſſu, in medium armatus proceſsit. Confluxerant ad ſpectaculum huius pugnæ multi proceres, & Rex ipſe intererat: qui, poſteaquam ſemel haſtis concurriſſent, certamen autoritate ſua finiit. Anglo ex ea re offenſionem nacto, prudenter tamen diſsimulanti, Rex abeundi

abeundi poteſtatem fecit, eíque comitem attribuit Clarium, equitem Gallum, qui eum Caleſium vſque proſequeretur. Dum iter peragunt, cupído fortè inceſsit Anglo viſendæ Comitiſſæ S. Pauli, quæ regis Angliæ ſoror erat, & Lucenij commorabatur. Ab ea perhumaniter excepti, quum variis ſermonibus (vt fit) tempus tererent, fortè per imprudentiam Anglo excidit: Se, quum iudicaſſet Galliam viris fortibus & ſtrenuis abundare nullum tamen in ea nactum eſſe virum cum quo congredi poſſet. Id dictum, quo nobilitatem Gallicam occultè perſtringebat, altè in Clarij pectus deſcendit: is tamen animo tamdiu conditum tenuit donec Caleſium perueniſſent. Tum Clarius « Anglo, Quando (inquit) te in hanc vſque vrbem « deduxi, Cortenæe, regis mei mandato defunctus « ſum: nunc fide mea plenè exſoluta, velim tibi ve- « niat in mentem ſermo ille quem apud Comitiſ- « ſam habuiſti, quùm diceres te neminem reperiſſe « in Gallia cum quo armis de equeſtris virtutis pal « ma contenderes. Age (inquit) faxo vt non procul « tibi quærendus ſit quicum decernas. ſi vir es, me- « cum, quibus voles armis, congredere: ſed prius im « petra ab huius vrbis præfecto vt regis tui nomi- « ne nobis eius rei poteſtatem faciat. Nulla mora « ab Anglo facta eſt: itaque permiſſu præfecti arma capiunt: infeſtis equis concurrunt: pluribus locis vulneratur Anglus. Eius rei fama quũ ad Regem & patruum eius perlata eſſet, Clarium arceſsi iubent. Is dicebat eò à ſe factum vt Gallicum nomen, quantum in ſe eſſet, inuictum præſtaret: multáque alia afferebat, cur id ſibi non magis fraudi

quàm laudi esse deberet. Sed re ad Consilium regium relata (cui intererant, Dux Burgundiæ, Conestabilis, Franciæ Mareschalli, & multi alij proceres) Senatusconsulto decretum est vt Clarius certum ad tempus in custodia haberetur, Rex in eius bona possessum mitteret: ceterũ, quamquam merito, exilij pœnam remitti. Paulo pòst tamen, deprecantibus Duce Borbonio & Comitissa S. Pauli, Rex ignouit Clario, eique tum declaratum est quamobrem Consilio regio ea pœna dignus visus esset, quòd videlicet vocem leuem & temerè iactam familiari in colloquio pro seria vltus esset. Si tanta esset huius Decreti autoritas apud nos quanta esse deberet, non ita anxiè & minutè omnia momenta decoris atque existimationis ponderaremus, vt propter leueis contumelias, & incauta verba, in iras atroces & in lites prorũperemus. Scilicet Augusto & ceteris principibus egregiis, sua fama, suum decus, vilia erant. Non minus equidẽ studiosi illi suæ existimationis erant quàm nos: sed non ita infirmam nec paruis rebus mobilem mentem, nec aures tam offensioni pronas, gerebant: & voces inconsideratè missas vel non animaduertebant, vel si animaduerterent, excelso animo aspernabantur.

Prou.18. VERVM equidẽ est illud Salomonis ellogium, Criminatoris verba esse instar occultorum vulnerum, quæ in viscera vsque penetrent. Vt enim apostemata & vomicæ quæ in intestinis & intra corpus nascuntur, lethales ferè sunt: vulnera externa remediis vincuntur. sic apertæ criminationes, vel purgando, vel satisfaciendo, dilui, vel reditu

ditu in gratiam diſſolui, poſſunt: ſed qui occultis calumniis & libellis Principis credulitatem & crudelitatem explorant, perniciem aliis ac poſtremùm ſibi inueniunt. Quod multis exemplis planum facere non difficile eſt.

CLAVDIVS Cæſar coniugum imperiis obnoxius Meſſalinam, omnium ſuæ ætatis feminarum intemperantiſsimam, vxorem habuit. Ea quum Appium Syllanum, nobiliſsimum virum, perditè amaret, iſque eius conſuetudinem aſpernaretur, ſtatuit cum Narciſſo liberto eum quacūmq. ratione perdere. Itaque diuiſis partibus alter ante lucem ſimilis attonito patroni cubiculum irrupit, affirmans ſomniaſſe ſe vim ei ab Appio illatam: altera in admiratione̅ formata, ſibi quoque eamdem ſpeciem aliquot iam noctibus obuerſari retulit. Nec multo pòſt ex compoſito irrumpere Appius nuntiatus (cui pridie ad id temporis vt ad eſſet præceptum erat) quaſi planè repræſentaretur ſomnij fides, arceſsi ſtatim ac mori iuſſus eſt. Nec dubitauit poſtero die Claudius ordinem rei geſtæ proferre ad Senatum, ac liberto gratias agere quòd pro ſalute ſua etiam dormiens excubaret. Sic ergo ſtructa fallacis ſomnij ſcena & fabula Appium ad mortem, Claudium ad vecordiam, egêre. Quippe & hoc inter ceteras aulæ artes delatoribus iſtis ſollenne eſt, mentem Principis, me̅tu, ira, aut quocumque affectu, turbare: vt ei veluti cæco pro arbitrio illudant.

Sueton. in Claud. c. 47.

Dion in Claud.

SEVERVS Imper. duos filios Baſsianum & Getam, pari imperio Remp. adminiſtrare voluerat, exemplo Pij, qui Marcum & Verum Antoninos

Spart. in Seuero.

per adoptionem filios Reipubl. reliquerat. Nam & postea duorum vno tempore Imperatorum aliquot exempla extiterunt. Sic Diocletianus cum Maximiano imperium communicauit, Maximus cum Balbino, Theodosius cum Honorio, Constantius cum Iuliano, Valentinianus cum Valente, & alij nonnulli: quibus exemplis ostensum est summæ potestatis cõsortium perpetuò insociabile nõ esse, si adsit fraterna vnanimitas. Hoc ergo statuerat Seuerus: cupiens in primis vt Romæ sui liberi bonis moribus instituerentur. Sed ea omnia frustra erant. quippe illos adolescentes adhuc, in ipso ætatis feruore atque in summa licentia, voluptatum omnium irritamentis corruptos, etiam adulatorum ministeria diuersos trahebant: scilicet qui non modò illorum obsequerentur cupidinibus atque flagitiis, sed noua semper aliqua excogitarent, vnde alteri gratum fieret, alter offenderetur. Mortuo verò parente, etiam insidiari inter se, moliri omnibus modis, ea modò habere in animo vterque, quibus alter dolo caperetur. Ita inter eos odium in dies & discordiæ gliscebant. Sed quum insidiæ minus procederent, ex Læti adulatoris consilio statuit Basſianus apertè grassari. Quare per speciem reconciliationis fratris Getæ cubiculum ingressus, cum in complexu matris confodit. Quo facto exilit statim, ac per mediam vrbem currens clamitat se vix discrimen improuisum & paratas à fratre sibi insidias effugisse. Ceterum quum senatui cædem illam inuisam esse non ignoraret, Papinianum celeberrimum Iurisc. qui Seuero amicissimus fuerat, tentare impudenter in-

Herod. in Seuero lib. 3. & 4.

ter institit, vt oratione composita in senatu facinus illud dilueret. quod quum ille negasset, respondissétq. Non tam facilè excusari posse paricidium quàm fieri, ipsum quoque securi percuti iussit. Sed vt senatus ac populus crederet pænitere ipsum fratris interemti, & tam atrox facinus malis consiliis impulsum perpetrasse, Lætum, quo suasore Getã obtruncarat, misso veneno ad mortem compulit. Continuò tamen (incertum odio, an nequid aduersus ipsum molirentur) necari quoque iussit domesticos omnes atq. amicos Getæ, quíq. in ædibus habitabant quas ille incoluerat: ministrósque item vniuersos, sic vt ne ætati quidem infantium parceretur. Quæ res, obsecro, tot cædibus materiam præbuit, nisi vna pestilens adulatio ministrorum vtriusque, qui certamina inter fratres & inimicitias aluerant?

MEMORABILIS quoque historia est Commodi, cuius initium, ordinem, finem, quia huius propè germana est, paulo fusius exsequar. Commodum magna diligentia curáque pater Marcus educauit, accitis vndique viris doctrina claris, maximáq. proposita mercede, vti mores pro se quisque filij ingeniúmque excolerent. Ipse verò literarum & sapientiæ studium adeo præ se tulit, vt magnum sapientium virorum prouentum ætas illa funderet. Solent enim (vt inquit Herodianus) plerumque homines vitam & mores Principis imitari. Ceterum in consilio habebat optimos & sapientissimos viros, quos Amicos & fideles suos vocabat: quod vocabulum hodie quoq. rex Galliæ in diplomatibus vsurpat. Sed ipse morbo atq.

Dion & Lampr. in Com.

Herod. lib. 1.

ætate confectus, quum vitæ ſibi finem adeſſe intel ligeret, coram amicis orationem habuit, qua filium adhuc adoleſcentem & rerum imperitum magnopere illis cõmendauit. Igitur Marco mortuo omnia, ſed breue ſanè ad tempus, paternis amicis autoribus gerebantur: neque illi officio, conſilio vel opera, vllo loco deerant. Sed paulatim deinceps irrepſere nonnulli ex aulico famulitio, qui lætè illud ingenium ad præcipitandum in omnia vitia acceperunt. Nam identidem illum vrbis deliciarum admonentes, nunc rerum omnium copiam ferentes laudibus, facilè adoleſcentis animum à labore belli ad libidinem & cupidinem voluptatum tranſtulerunt. Itaq. ſpreto prudentium amicorum conſilio, pacem à barbaris turpiter auro redimens, Romam ad voluptates reuerſus eſt. Mox ſuadentibus aſſentatoribus, primores ſenatus & paternos amicos, variis criminibus circumuentos, interemit. Sed inter ceteros adulatores præcipuè eminebat Perennis, in quem abiecta omni rerum cura, vniuerſum Imperij regimen tranſtulerat. Is auaritia flagrans, honores & dignitates venumdare, locupletiſsimum quemque corripere, veteribus Commodi amicis dolos & calumnias ſtruere, vt in eorum bona inuaderet. Quibus artibus breui effectum eſt vt ex egentiſſimo ditiſsimus euaderet. Sed non hæc illi felicitas diuturna fuit. Nam quum, ſublatis è medio quos Commodus fidelißimos amicos & ſalutis ſuæ ſtudioſiſsimos habebat, orbum conſilio auxilióque imperium in animo haberet inuadere, patefacta fraude, à militibus iuſſu Commodi cum li-
beris

beris interfectus est. Illi haud paulo deterior assentator Cleander successit, qui ex seruo eò autoritatis & potentiæ prouectus est vt suo arbitratu senatoriam dignitatem daret; nec eam solùm venalem haberet, sed officia quoque militaria, procurationes, imperia, ac postremò res omnes. Sed quum magna esset inopia rei frumentariæ, ísque plurimam vim frugum occlusam teneret, concurrere plebs in palatium ei pridẽ infensa, & Cleandrum ad pœnam flagitare: dum Commodus in alto secessu, inscius omnium quæ gererentur, voluptatibus indulgeret. Tum repente globi equitum in populum immisi sunt Cleandri iussu, obuium quemq. proterentes: donec Fadilla Commodi soror, accurrens ad Cæsarem, Cleandri factionem & ciuilem tumultum nuntiaret. Ità Cleandro quoque obtruncato huic terrori finis impositus. Sed quum hinc scurris, hinc adulatoribus, obnoxius, sana consilia monentium nequid principe indignum moliretur, ferre non posset, conscripsisſétque in pugillaribus quoscumque vno quasi impetu tollere destinauerat, forte quadam is libellus in manus Martiæ concubinæ & Læti vnius ex assentatoribus incidit. Quo quum funesta contineri ac se primos peti intellexerunt, & paternos Commodi amicos qui supererant, ne illorum censura eius flagitia impedirentur: occupare ipsi statuunt, & quum venenum minus validum vomitu eiecisset, immisere quendam magna mercede qui gulam illi frangeret. Ita Commodus, minimè natura malus aut vafer, optimi Principis filius, summa parentis cura educatus, & stirpis nobilitate, &

ætatis flore, & corporis specie, insignis, dum se adulatorum illecebris & deliciis corrumpi sinit, infamem vitam inhonesto exitu fœdauit.

Lamprid. in Alex. ALEXANDER Seuerus Imper. familiarem habuit quemdam Vetronium Turinum, qui vultu probitatis speciem præferret, reipsa omnium adulatorum deterrimum. Is sæpe in causis ab vtraque parte dona capiebat: quum his & illis euentus iudiciorum, aliis adipiscendorum honorum ius, & Principis munera, venderet. Ita igitur ille splendidè mentiendo & fingendo omnia vendiderat, vt Alexandri quasi stulti hominis & quem in potestate haberet, infamaret imperium: persuaserátque omnibus nutu suo omnia fieri. Id vbi cognitum Alexandro, atque omnes Turini fraudes emanauere, hominem palo alligari iussit, & fumo ex stipulis & lignis humidis facto necari: præcone » inter hæc dicente, Fumo punitur qui fumum ven- » didit. Si in omnes hodie Vetronios, qui gratia & fama Principum ad quæstū abutuntur, tale exemplum ederetur, ex tanta rerum caligine & fumo clariorem lucem haberemus.

NVNC, quando de principum Rom. adulatoribus satis multa dixisse videmur, ad Gallicam aulam pergamus. Regnante in Galliis Carolo VI. ingentes inimicitiæ exortæ sunt inter Ludouicum ducem Aurelianum regis fratrem, & Ioannem Burgundiæ ducem. Earum autores historiæ non memorant: tantùm dicunt per vtriusque familiares ac ministros fuisse excitatas. Nam adulatores ducis Aurel. assiduè dicere (& quidem nō falsò) Ipsum primū esse regiæ stirpis principem,

vnicum Regis fratrem, non minus annis & consilio maturum quàm Burgundiæ ducem: itaq. pati non debere vt in rerum administratione dux Burgundiæ ipsum anteiret. Quippe Rege per id tempus mentis errore affecto, Regni curatio ad Principes & Consilium translata erat. Contrà ducem Burgundiæ sui quoque adulatores incendebant: Illum Parium Franciæ primum & principem esse: plus pollere opibus quàm ducem Aurel. propinqua affinitate Regem contingere (quippe is Delphino admodum adolescenti filiam collocauerat.) proinde nulla re duce Aureliano inferiorem se existimaret: sed eumdem locum gradúmq. tueretur, quem tenuerat pater eius Philippus, qui, dum viueret, Regnum ac Regem in manu habuerat. His furiis instinctus Ioannes ducem Aurelianum, qui vnus spei suæ obstabat, quouis modo tollere statuit. Ac quum in id vnum omnes cogitationes intenderet, latrones quosdam ministeriis talium facinorum assuetos ad ipsius cædem subornat. Illi ducem Lutetię, quum reginam ex puerperio ægrotantem noctu fortè inuiseret, aggressi conficiunt. Vtinam ipsius posteri (nam ex ipso qui hodie regnant in Galliis paterno maternóq. genere orti sunt) exemplum nefandæ huius cædis reconderent animo, calamitatúmque quæ inde natæ sunt: vt similibus malis obuiam irent, quæ vsuuenire consueuerunt, quum eiuscemodi cędes impunitate aluntur. Nam quum Ioanni non modò facinus illud impunè fuisset, sed nactus quoque esset qui Ludouicum iure cæsum contenderent, & multos in partibus haberet, ciuile incendium ex-

citauit, quo Gallia per duas ætates exarsit. Eo bello multi mortales consumti, Angli regno imminentes magna Galliæ parte potiti sunt, plebs egestate, miseria, cladibus, exhausta est. Quarum calamitatum vt auaritia, ambitio, vltionis cupido, & similes animorum pestes, causæ fuerint, ducis tamẽ Burgundiæ adulatores præcipuam mali culpam sustinent. Illi enim ignitabulum silice ferientes (quod insigne symbolum sibi Ioannes non sine omine sumserat) flammam elicuere, qua multos annos Galliæ regnum arsit, & Burgundica domus conflagrauit.

Mõstrel. lib. 3. cap. 4. & 33. FRANCISCVS dux Armoricæ (Britanniam hodie vocant) Galliæ regem pari studio ac fide colebat. Is Egidium fratrem habuit, qui ad partes Angli abstractus, dum Gallis bellum inferret, ab eo equestre decus & insigne Fasciæ, & Conestabilis dignitatem, accepit. Qua re dux grauiter offensus, perfecit vt corpore eius potiretur: comprehensum in custodia habuit. Ac quamquam eum, quòd grauiter ipsi succenseret, non inuiseret: eam tamen curam domesticis quibusdã, quorum de fide non dubitaret, mandabat: sed illi falsi, perfidi & proditores erant. Nam quum aliquamdiu in custodia fuisset Egidius, ac per otium cogitasset se clientem esse regis Galliæ, nihil sibi à fratris rationibus ac fortunis seiunctum esse debere: decreuit abiecta Angli societate se fratri ac regi Galliæ iungere. Itaque fratris domesticos rogauit vt ei suis verbis renuntiarent: Quidquid huius egisset id nolle factum esse. ergo fratris errori ignosceret: se, remissis ad Anglum equestris ordinis

dinis & Stabuli comitatus inſignibus, ſortem omnem fortunæ & dignitatis ſuæ cum ipſius rebus immiſcere velle. Quid ſycophantæ iſti agunt? Renuntiant duci, Egidium totum Angli eſſe, neque vllis amicorum monitis poſſe ab ea ſententia demoueri. Dux eoſdem ſæpe remittit ad flectendum fratris animum. illi peiora in dies referre. Quid multa? Dux, poſtquam fratrem videt obſtinatè, vt putabat, in ea ſententia pergere, veritus ne, ſi eum vinculis exſoluiſſet, Anglos in Britanniam acciret, dat iis mandata vt eum in carcere ſtrangulēt. Sed (vt Deus facinorum vel occultiſsima ſuo tempore in lucem profert) temperare ſibi non potuere delatores iſti quin ómnia ipſi, vt geſta erāt, enuntiarent. Franciſcus pòſteaquam falſum ipſorum indicium fuiſſe comperit, & omnem ordinem facinoris intellexit, pænitentia temeritatis ſuæ & fratris deſiderio anxius, criminatóres illos exquiſitiſsimis pœnis affecit. Hunc exitum habuit Egidius: hanc perfidiæ ſuæ mercedem accuſatorés tulere. Hoc verò exēplo monentur Principes, ne cuiquam de quoquam temerè credere velint, ſed pro ſe loquendi & ſui defendendi reo poteſtatem faciant, præſertim ſi de capite agitur, ne inauditus & indefenſus pereat.

Apvd Adrianum Cæſarem quidam Alexander Aprum accuſabat, neque crimina teſtibus ſed ſcriptis tantùm teſtimoniis probabat. Itaque Adrianus accuſatorem & reum ad Iunium Rufinum Macedoniæ proconſulem remiſit, reſcribens ſe teſtibus non teſtimoniis crediturum. Verba epiſtolæ ad hanc partem pertinentia hæc ſunt: Quòd cri- «

L. 3. § Idem Diuus. D. de teſtib.

„ mina obiecerit apud me Alexander Apro, & quia
„ non probabat, nec testes producebat, sed testimo-
„ niis vti volebat, quibus apud me locus non est,
„ (nam ipsos testes interrogare soleo) eũ remisi ad
„ prouinciæ præsidem, vt is de fide testiũ quæreret:
„ & nisi implesset quod intẽderat, relegaretur. Hoc
Adriani Imper. rescriptum Iurisconsultis dignum
visum est ꝙ inter leges referretur. Hæc igitur ratio tenenda est quum de hominum capite agitur: neque delatoribus & calumniatoribus, immo ne scripto quidem, temerè credendum est: sed rei audiendi, testium fides diligenter examinanda est, & explorandum síntne boni viri nécne. contrà quàm hodie fieri solet. Nihil enim ferè hac ætate vilius habent plerisque locis magistratus quàm sanguinem & vitam hominum.

Froiss. lib. 2. c. 173. & lib. 3 ca. 43. & seq. & lib. 4. c. 92 & seq.

SEQVITVR historiæ tragicæ exemplum memorabile. Rex Angliæ Richardus, Principis Cambriæ, strenui & fortissimi viri filius, admodum adolescens, sed trium patruorum, ducum Lanclastrij, Eboracensis, & Clocestrij, prudentia & consilio subnixus, regnum feliciter aliquamdiu administrauit. Sed comes Suffolciæ (quem rex postea ducem Hiberniæ designauit) ádeo regem omni genere obsequij deuinxerat, vt ei quidquid vellet persuaderet. Itaque perplexis primò sermonibus regem tentare instititit, quædam obliquè de ipsius patruis iaciens: Ipsis regni curationem pulchram videri, donec opportunitate oblata illius ius ac possessionem inuaderent: mox apertè criminando tantùm effecit vt eos & senatu & rerum administratione rex demouerit. Quod ita grauiter ab omnibus

omnibus, sed præsertim à Londinensibus, acceptum est, vt manu non tam aduersus regem quàm Hiberniæ ducem comparata populum ad arma conciuerint. Sed quum instructæ essent vtrinque acies in pugnæ discrimen, Hiberniæ dux, exercitus regij ductor, animo debilitatus, acie excedens in Belgium traiecit. neque postea in Anglia visus est. Exercitus duce amisso disiectus est: patrui regis. & Londinenses ciues rege ipso in potestatem suam redacto, nouum senatum cooptauere, ex cuius consilio rex Remp. administraret. Post aliquot annos, secundùm ducem Hiberniæ, alius adulator (comiti Mareschallo vulgò nomen erat) in interiorem regis amicitiam irrepsit. Ei quum aliquando comes Derbiensis in familiari colloquio fortè dixisset, Cognate, quid sibi vult rex? an « constituit nobilitatem Anglicam penitus extin- « guere? nam pauci iam supersunt, & facilè appa- « ret incolumitatem huius regni non satis æquo a- « nimo eum ferre. Hoc autem dicebat, quòd rex multos nobiles expulisset, multos mori coegisset, atque in iis Clocestrium ducem, regiæ stirpis principem: quippe metui volebat, & ex populari motu conceptam iram vltionémque explere. Verùm ad hæc comes Mar. nihil respondit: sed in animo recondens, hæc paulo pòst iisdem verbis aut versa in deterius regi retulit; vltro etiam pollicitus se cum comite Derbiensi congressurum, vt probaret iis verbis regiam maiestatem violari. Rex, accito comite Derbiensi, calido magis quàm regia maiestate digno consilio, ambos arma capere & congredi iubet. Sed regis consiliarij, rem pessimi

exempli rati, si proceres controuersias suas ferro finirent: neq. Mareschallum eius pretij aut fortunæ esse vt comiti Derbiensi vlla re æquari posset: censuerunt magis è re publica esse si rex comitem Mar. perpetuo exilio damnaret, quòd temerè comitem Derbiensem regiæ stirpis principem ad certamen prouocasset: Comes verò Derbiensis in decennium regno cederet, ob ea verba in Principem suum prolata. Rex senatus sui consilium sequutus est, moderatione tamen adhibita in comitis Derbiensis pœna, cuius exilio quatuor annos detraxit. Comes igitur Derb. populo multis lacrymis discessum ipsius prosequente, in Galliam traiecit. Interea dux Lanclastrius eius pater moritur. Rex, quo maturius periret, ipsius pecunias in fiscum suum redegit, quòd earum hereditas ad comitem Derbiensem pertinebat: quo facto magnum in se odium nobilitatis & populi conciuit. Postremò Londinenses, coniuratione aduersus regem inita, comitem Derbiensem secretis nunciis excitum in regnũ accepturos spondent. Nec promissis fides defuit. Angliam ingressus copias Londinensium instructas reperit: arcem quamdam in qua rex erat necopinata obsidione cingere aggreditur. Arce tandem ac rege potitus, regni Angliæ ius eum abdicare atque in se transferre iubet. Interea regem in custodiam coniicit: is miserabiliter, quũ annos viginti duos regnasset, in carcere & vinculis exspirauit. Ita regnum tranquillum comiti Derbiensi, paulo antè exuli, relictum est. Comes Mareschallus, qui Venetias exulatum abierat, hoc nuntio accepto,

Is Hericus IIII. dictus est.

pto, mente in furorem versa, periit. Talem exitum habuit hic adulator, quum Principem suum in graues casus præcipitem egisset, quibusdam cõmitis Derbiensis verbis cupidius relatis. Quippe is quum in eas voces erupisset, non vt regem infamia aspergeret, sed quòd ægrè ferret remp. ab ipsius familiaribus premi, neque ea dixerat quæ ille excepta vulgare deberet, aut rex ad se relata in deterius interpretari.

HERODES, Iudæorum rex, ex Mariamme duos filios Alexandrum & Aristobulum susceperat. Ei soror erat Salome, fax omnium discordiarum quibus ea domus exarsit. Nam ea quum implacabili odio à Mariamme dissideret, submisit subornatum à se pincernam qui indicaret solicitatum se à Mariamme vt regi venenum misceret. Itaq. huius excetræ furiis & calumniis instinctus Herodes primùm Mariammen dilectam sibi coniugem, & omnes suæ ætatis feminas formæ venustate supergressam, sustulit: mox eius peremtæ desiderio vsque ad insaniam flagrauit. Sed Salome ferox scelerum, & quia prima prouenerant, volutare secum quonam modo Mariammes liberos perverteret: quippe non defore mortis illius vltores si illi viuerent. Igitur contumaciam eorum insectari & criminari apud Herodẽ: imminere ipsi magnum discrimen ab adolescentibus, palam iactantibus non impunè laturos qui matrem interfecissent. Ergo Romam ductos coram Cæsare accusauit insolentiæ & tentati veneficij: sed causa ab Augusto cognita adolescentes patri reconciliati sunt. Paulo pòst tamen Salome cum aliis callidis aulæ cri-

minatoribus, nouas illis calumnias struxit, & tam implacabile Herodi filiorum odium iniecit, vt eos neque insidiarum patri structarum conuictos, neque vllis argumentis tam impij conatus deprehensis, egregiis corporis animíque dotibus insignes iuuenes ex se genitos strangulari iuberet. Antipatrum quoq. filium, scelerum Salomes participem & adiutorem, non tantùm fratricidij sed patricidij quoque reum, postea in vincula coniecit. Inter hæc valitudine aduersa correptus, & domesticis malis amens, post graues & diuturnos corporis & animi cruciatus, miseram animam egit. interfecto prius Antipatro, quia morte sua lætatum audierat. Quis Herodi tantum vecordiæ iniecit, vt manus patrias filiorum sanguine conspurcaret? Impia ista Salome, quę muliebribus incensa odiis nouis quotidie calumniis aures regis implebat. Igitur eam pro tantis erga se meritis, & propter perpetuam inconcussámque beneuolentiam, rex egregiè ditauit, ne videlicet impunitatem tantùm sed præmia quoque scelerum ferret.

Consiliarij applaudentes, tertium assentantiũ genus. Vulgò Consiliarij ad idem.

PRAETER Adulatorum genera duo, quorum alij Scurræ, alij Delatores dicũtur, tertium quoddam est longè perniciosissimum: eorum videlicet qui grauitatem professi, bonarum artium & consilij specie Principis autoritati illudunt. Cui malo vt obuiam eatur, præceptum in primis Cominæi sequendũ censeo: Vt scilicet Princeps plures in consilio habeat, neque vni rerum summam committat: tum vt amicos pari iure ac dignitate, quoad eius fieri possit, contineat. Siquem enim

Comin. lib. 1. cap. 27 & lib. 2 cap. 44.

enim honore ſuper alios extulerit, is in ceteros imperium vſurpabit: ceteris vel liberè ſententiæ dicendæ poteſtas non erit, vel ſtudio & iudicio eius animaduerſo, vltro ei aſſentiêtur, ſeu, quòd magnæ ſit autoritatis, quodam veluti præiudicio decepti: ſiue quòd eo ipſo placere ſtudent & gratificari ei quẽ vident illuſtri in loco poſitum. Quare Romæ in quadam cognitione, quum Lepida, mulier nobilis, maieſtatis poſtularetur, Tiberius (alioquin in iis iudiciis exercendis ſeuerus) exemit Druſum conſulem deſignatum dicendæ primo loco ſententiæ, ne ceteris aſſentiendi neceſsitas fieret. In non diſpari cauſa, quum Granio Marcello obiiceretur ſtatuam eius altius quàm Cæſaris ſitam, Cn. Piſo primus ſententiam rogatus, Quo loco (inquit) cenſebis Cæſar? ſi primus, habebo quod ſequar: ſi poſt omneis, vereor ne imprudens diſſentiam. His permotus Tiberius abſolui reum criminibus maieſtatis paſſus eſt. Multo verò etiã ciuilius Auguſtus, ſententiás de maiore negotio, non more neque ordine, ſed prout libuiſſet prærogabat, vt perinde quiſque animum intenderet, acſi cenſendum magis quàm aſſentiendum eſſet. Porro dubium non eſt vnius duntaxat conſilium periculoſum eſſe Principi, ſiue quòd natura homines à bono & æquo priuatis ſtudiis abducuntur: ſiue quia nemo omnibus horis ſapit, & vt corporum ſic animorum vices ſunt, ac ſapientiſsimi quique in abſurdas ineptáſque opiniones nonnumquam imprudentes incidunt. Exemplum inſigne extat apud Cominæum. Carolus vltimus Burgundiæ dux, pace cum Leodiis facta, Dinantum,

Tac. Ann. lib. 1. & 3.

Suet. in Aug. c. 35.

Conſilio vnius tãtùm vti, periculoſum.

Com. lib. 1. cap 27. & 20.

quod est in Leodiorum finibus oppidũ, obsidione cinxit. Dinantiis iam expugnatis serum auxilium venit Leodiorum manus, contra datam Carolo fidem. Carolus victoria elatus in Leodios exercitum ducit. Sed vltro citróque missis nunciis his conditionibus ita inter eos conuenit, Vt anni superioris pactiones seruarent: Vt trecentos obsides darent ante horam octauam insequentis diei: eorum nomina scripto edita sunt. Iam multus erat dies, quum obsides nondum dedissent. Carolus perquirit sententias, quid sit agendum. Burgundiæ Mareschallus, & ei proximus Cõtæus, sententiam rogati censuerunt in eos debere impetum fieri, quando datam fidem fefellissent: neque vllo tempore pulchriorem occasionem offerri posse. Comes S. Pauli contrà suadebat, si illos adorietur, fore vt existimationis iacturam subiret: tantam hominum multitudinem, in re tam ardua, non posse tam facilè statuere: mittendum itaque legatum, qui de voluntate ipsorum cognoscat. Vicit in consilio sententia mitior. Itaque mittitur legatus: ei in itinere obsides fiunt obuij. Si Mareschallum & Contæũ solos habuisset in consilio Carolus, quanta (obsecro) Leodiorum cædes facta esset, qui obsides ex pacto tradere quidem volebant, sed id non potuerant intra constitutum spatium præstare? Mox tamen illi, etsi obsides dedissent, pacem ita factam violarunt. Itaque Carolus conuocato consilio deliberat quid de obsidibus statuendum sit. Dicebant aliqui necandos esse; Contæus in primis, præter morẽ & ingenium crudelis: Sed Imbercortus Ambianus, vir nobilis ac sin-

ac ſingulari ſapiētia, cenſuit, in primis cauendum eſſe ne Deus aliquo ſcelere offenderetur. Sibi videri dimittendos eſſe obſides, qui ſuorū fidē ſequuti pro ſalute patriæ in diſcrimen veniſſent. Hæc ſententia quum in conſilio viciſſet, liberati ſunt obſides: neque multo pòſt mortuus eſt Contæus, quum in obſides adeo atrocem ſententiam dixiſſet. Optimum igitur eſt vt Principes multorum audiant ſententias. Sæpe enim accidit vt prudentes etiam viri labantur & errent in dicendis ſententiis, quando vel gratia, vel odio, vel æmulatione quadam, impulſi, diuerſum ab aliis ſentiunt. Deinde non ſemper ſumus eodem animi vigore. nam quæ fiunt à prandio conſultationes, inter decreta referri non debent. Ideo in magno deliberantium numero hoc boni eſt quòd aliqui ſemper exiſtunt, qui quod ab aliis peccatum eſt emendant & ſanant.

SCIPIO Africanus conſul deſignatus, quum bellum aduerſus Annibalem cœptum non aliter finiri poſſe diceret, quàm ſi ipſe in Africam exercitum tranſportaſſet: & acturum ſe id per populum apertè ferret, ſi ſenatus aduerſaretur: Q. Fabius Maximus ſententiam rogatus, oratione ad tempus parata deterrere ſenatum & populum ab eo conſilio conatus eſt: Natura quippe prius eſſe tua quum defenderis aliena ire oppugnatum: neque in Africa prius bellum gerendum quàm in Italia pax eſſet. Deinde magnum impendere periculum ſi, exercitu in Africam tranſuecto, victor Annibal ad vrbem ire pergeret. Poſtremò vni conſuli, in cuius capite periclitetur reſpubl. & exer- Liu.lib.28.

citui aduersus duos extra Italiam dimicaturo, fortunam publicam & maiestatem imperij committendam non esse. Scipio aduersus hæc respondit, Satius esse ardere Africam bello quàm Italiam, coactum iri à se Annibalem pugnare in sua terra. denique ad dignitatem populi Romani & famam pertinere, non ad defendendam modò Italiam, sed ad inferenda etiam Africæ arma; videri Romanis animum esse. Ad summam hæc & alia ita fidenti animo dixit, vt quamquam Fabius autoritate & inueterata prudentiæ fama magnam senatus partem & seniores maximè mouisset, Scipionis tamen sententia vinceret. Ac reipsa quidem Fabij sententia tum multò deterior erat, quemadmodum euentus docuit. Nam paulo pòst legati ab Carthagine venerunt Annibalem vocantes ad ferendam patriæ opem: eúmq. quum, sicuti prædixerat, ex diutina Italiæ possessione detractum, propè manu conserta, restitantem ac tergiuersantem, in Africam Scipio traxisset, non modò prœlio sed etiam bello vicit. Itaque consilio & virtute Scipionis huic tam ancipiti bello finis impositus est, & pax Italiæ reddita, quam hostibus & armis vacuam Romani, viuo Annibale, visuri non erant. Quippe nec is Italia excedere, neque illi post cladem ad Cannas acceptam prœlij fortunam experiri statuerant. Quamobrem, vt dixi, etsi gloria rerum gestarum & prudentia ceteros ciuitatis principes Fabius anteiret: tamen, siue ætatis vitio, siue cunctatione ipsius ingenio insita, siue obtrectatione atq. inuidia aduersus crescentem in dies gloriam Scipionis, peccaret, eius tum sententia

neque

neque conſilio neque vſu valuit.

PRVDENTISSIMOS quoſque non ſemper rectè ſentire, pauca hæc exempla ſatis perſpicuè docent. Sed præterquam quòd periculum eſt ne Princeps, ſi vnum duntaxat ad conſultandum adhibeat, noxia conſilia pro ſanis accipiat, ſæpe etiam vſuuenit vt tales conſiliarij, poſtquam tantas ſuas opes eſſe intelligunt, ſummæ poteſtatis arbitros agant, ipſúmque adeò Principem inſultantes, & eum & ſeipſos peſſumdent. Tiberius, prærupta iam & vergente dominatione (quippe aliquamdiu medius inter bonum & malum principem egit) Seianum conſiliarium ac miniſtrum in rebus omnibus cepit. Illum adiutorem imperij, collegam in conſulatu, mox quoque generum, aſciuit. Seianus verò, dum Tiberius Capreis in fœdas libidines prouolutus, omneis curas, omnia vrbis militiæque munera, in eum tramittit, Romæ vnus omnia poſſe, Imperatoris munia ſolus obire, clientes ſuos honoribus aut prouinciis ornare, facili Tiberio atque ita prono, vt ſocium laborum non modò in ſermonibus ſed apud populum & patres celebraret: colíque per theatra & fora effigies eius, intérque principia legionum, ſineret. Ergo inde Seiano adeo arrogantia aucta eſt: vt ſe Imperatorem ſæpe diceret, Tiberium inſulæ in quam ſe abdidiſſet Præfectum tantùm, videri: deinde omnib. dictis factíſq. viam ſibi ad potentiam ſtrueret & ea moliretur quibus regnum pararet. Quæ vbi cognita Tiberio, vix eum tandem aſtu magis & dolo quàm vi & autoritate ſubuertit. Ac tum adeo verſa fortuna eſt, vt qui paulo an-

Corn. Tac. Ann. lib. 5. Dion in Tib.

tè publicè natalem Seiani celebrabant, & imagines aureas venerabantur, ipsi inluderent, eiúsque statuas comminuerent: donec ipse quoque iussu Tiberij cum liberis interfectus est. Postremò in Seiani amicos ita sæuitum, vt qui eius amicitiam per dedecora quæsiuerant, eam exuerent metu, quum pro summo crimine esset Seiano propinquum vel amicum fuisse.

Suet. in Galba. c. 14. 15. SERVIVS Galba Imper. multa egregij principis documenta dedit: sed regebatur trium arbitrio, qui odio flagitiorum eum inuisum reddiderunt. Hi erant T. Vinius, Cornelius Laco, & Icelus libertus, quem annulis donatum equestri nomine Martianum vocitabant. His diuerso vitiorum genere grassantibus, adeo se abutendum permisit, vt vix sibi ipse constaret, modò acerbior parciórq. modò remissior ac negligentior quàm conueniret principi electo, atq. illius ætatis. Nihil non per comites illos atque libertos pretio addici aut donari gratia passus est, vectigalia, immunitates, pœnas innocentum, impunitatem noxiorum. Quinetiam populo Rom. deposcente supplicium Haloti & Tigellini, solos ex omnibus Neronis emissariis vel maleficentissimos incolumes præstitit. Per hæc propè vniuersis ordinibus offensus, & vel præcipua inuidia flagrans apud milites, septimo imperij sui mense periit. Feliciorem exitum habiturus, nisi hiantes in summa fortuna amicorum cupiditates ipsius facilitas intendisset: aut si meliorum sapientiorúmque consiliis esset vsus.

SED in eo quoq. Galba, quòd Halotum, vnum ex præ-

ex præcipuis libidinum Neronis magiſtris, ſuper impunitatem procuratione quoque ampliſsima, veluti præmio ſcelerum, ornauit, ceteris Principibus documentum eſt. Nam qui bono moderatóq. Principi ſuccedit, amicos & cõſiliarios quibus ille vſus eſt retinere debet: qui verò poſt Principem inuiſum & cuius imperij pænitet, principatum ac ceperit, is veteris aulæ miniſtris abiectis probos & expertos aſciſcat. Quippe licet quidquid in Republ. adminiſtranda peccatur, id omne Principis amicis aſsignari ſoleat, culpa tamen in Principem reiicitur: & ſibi peſsimè conſuluit Galba quum Halotum & Tigellinum miniſtros Neronis populo ad ſupplicium flagitanti non dedit. Nam Romani eadem nouæ aulæ mala æquè grauia non æquè excuſantes, & ſe in tempora Neronis reuolutos rati, Galbæ imperium aſpernati ſunt. Nec minus Othonis: etſi contra ſpem omnium non deliciis neque deſidia torpeſceret, & diſsimulata luxuria cuncta ad decorem imperij compoſita eſſent. Nam quum Neronianis miniſtris vteretur, eo plus formidinis afferebant falſæ virtutes & reditura vitia. Itaque bonis admodum ſuſpectus, & victus à Vitellio, manu ſua cecidit.

Conſiliarij Principis à quo malè Reſp. adminiſtrata ſit, ab ipſius ſucceſſore retinendi non ſunt.

Dion in Othone.

Contra Ludouicus XI, quum regni Galliæ hereditatem adiret, minus conſultè fecit quum veteris aulæ conſiliarios & paternos amicos exautoraret. cuiuſmodi erant comes Dunenſis, mareſchallus Loheacus, comes Dammartinus, Carolus Ambaſianus, Caumontius, Buelius, & alij aliquot, quibus vſus erat Carolus VII. ipſiùs pater. Quippe reputans ſe ſuccedere ſapienti regi, & qui

Com. lib. 1. ca. 5. 9. & 18.

regni optimè administrati laudem tulisset, fideles ministros, quorum industria prudentiáq. patrem vsum esse summis in rerum difficultatibus meminerat, abiicere non debuit. Sed hunc Ludouici errorem pœnitentia statim consequuta est: & hoc inter eius virtutes vel maximè numerandum est, quòd, alienus à superbia, vbi peccatum vel monitus vel sponte animaduertisset, maturè corrigeret. Itaque patris amicos pristinæ dignitati restituit, & in eo culpæ nomen effugit in quo per imprudentiam deliquerat. Nam vt ait Sophocles,

Sophocl. in Antig.

Hominibus omnibus commune est delinquere:
Postquam verò deliquerit, ille non amplius est vir
Inconsultus neque infelix, quicumque in malum
Lapsus medetur, neque immobilis extiterit.
Pertinacia siquidem stultitiæ obnoxia est.

Quod à superbis contrà fit. quippe neque illi errores sollertia emendare, neque prudentioribus parêre, in animum inducunt: ac si fortè moneas, in deterius interpretando, stultitiæ pertinaciam iungunt; vnde illis certa pernicies. Huiuscemodi ingenio fuit Galba, qui quum de quibusdam Reip. partibus malè administratis admoneretur, contumaci arrogantia consilia & remedia respuebat: indignum tanto fastigio reputans, Principem senem à subditis doceri.

Qvod verò de mutandis superioris Principis consiliariis dixi, id in Gallia sæpe ad conciliandos populi & nobilium animos factum est. Childericus Merouei filius quũ malis consiliariis vteretur à Francis regno expulsus est: sed idem reuocatus, mutato Consilio, regnum sapientius administrauit.

niſtrauit. Idem ferè accidit Carolo Sapiēti, quum Delphinus eſſet: idem Carolo VI, Carolo VII, & Ludouico XI, multiſque aliis, quorum hiſtorias percenſere longum eſſet. Sæpenumero equidem eiuſcemodi mutationes magis accidêre inuidia & æmulatione procerum aduerſum ignobiles & obſcuros, quos Princeps ad ſummos honorum gradus eueheret, quàm iuſtam ob cauſam. Itaque vt talibus odiis ac faſtidiis obuiam eat Princeps, ita humiliores attollet, vt nobilitate & honorib. inſignes non pellat. Tenues verò, loci ac fortunæ prioris memores modeſtè ſeſe gerere, nobiliores obſeruare & colere, debent. in primis tamen decus publicum & fidem erga Principem caram habere. Si verò caſu in odium Populi vel Nobilitatis inciderint, multo ſatius eſt eos honorē exuendo, & abſtinendo publicis muneribus, inuidiam reſtinguere, quàm vt pertinacius retinendo Rēp. in diſcrimen adducant. Rex Carolus VII. fidos & ſapientes amicos in conſilio habebat, Tanneguiū Caſtellanum equitem, Ioannem Lupetium Prouinciæ præſidem, Epiſcopum Claromontanum, & aliquot item alios mediocris loci ac fortunæ, qui pluribus in negotiis, & quum Delphinus & quum Rex eſſet, de ipſo bene meriti erant. Per eos dies bellum gerebat Carolus ciuili ſimillimum bello aduerſus ducem Burgundiæ, cuius partes ſecretò dux Britanniæ fouebat. Id bellum Rex quouis modo finire cupiens, cum ducibus vltro egit. illi ſe haud grauatè pacis mentionem admittere dixerunt: ſed conuenire non poſſe, niſi abdicatis conſiliariis quibus vteretur, alios aſciſceret.

Annal. in ann. 1426.

Hoc vbi dicti cõsiliarij intellexere, regi dixerunt se pacem non moraturos: ac ne bono publico obstarent, domum non inuitos concedere. immò vt rex his legibus pacem acciperet ipsi censuere. Neque sibi iniuriam fieri aut regi fidos ministros eripi questi sunt: & se in regia velut in regni arce ac præsidio collocatos, inde abscedere pro sua fide non posse. Quippe paratum esse responsum non ignorabant: An scilicet tantum sibi sumere vellent, vt existimarent in toto Galliæ regno alios pari fide ac prudentia reperiri non posse.

SED, vt ad rem redeam, si vni tantùm Princeps rerum curam commiserit, præterquam quòd se ipse in periculum ingens certúmque coniicit, magnas ex eo in Republ. turbas tempestatésq. oriri necesse est. Quippe hoc suetum hominibus, vt postquam honores & dignitates adepti sunt, secundam fortunam, cui nihil deest nisi eius moderatio, bene ac sapienter ferre non posint. Seuerus Imper. ex parua humilíque fortuna Plautianum ad tantas opes prouexerat, vt ille Imperatoris, Seuerus Præfecti, loco esse videretur. His itaque ille opibus & licentia abutens, non modò nihil crudelitatis aut violentiæ in ciues omisit: verùm Imperij quoque occupandi & Seueri cum duobus filiis obtruncandi consilium iniit. Sed omnem rem Saturninus tribunus mil. totius coniurationis gnarus, ad Seuerum detulit. Itaque in palatium accitus Plautianus, Seuero beneficia & honores mollius exprobrante, iussu Antonini filij eius interfectus est.

Dion.& Spart.in Seuero.

NEQVE tantùm honorum splendore mortalium

lium animi præstinguuntur, sed priuatum quoque modum supergressæ opes & nimia potentia homines periculosis inuidiæ fluctibus inuoluunt merguntque. Regnante in Gallia Philippo Pulchro, Enguerrantius Marignius, comes Longueuillæus, omnia propemodum regni ac regis negotia administrabat: sed in primis regij ærarij & pecuniæ publicæ curam gerebat. Eius opera Basilica regia, senatus habendi locus, Lutetiæ opere magnifico exstructa est. Sed mortuo Philippo à Carolo Valesio eius fratre repetundarum postulatus est. quúmque is & regiæ stirpis princeps esset, & apud Lud. Hutinum Philippi filium autoritate & gratia valeret, tanta vi in Enguerrantium (cuius post mortem Philippi fracta potentia erat) incubuit, vt illum peculatus damnatum Lutetiæ in patibulum ageret. Nimiæ ei opes, nimia potentia, inuidiæ: inuidia tam fœdi exitus, causa haud dubiè fuit. Quippe multorum quidem criminũ accusatus, sed nullius capitalis reus peractus est. Immò (sicut nostri Annales memorant) quum ne ipsi quidem sui purgandi copia fieret, tanto impetu in eum ferebatur Carolus, inauditus & indefensus tamquam innocens periit. Sed posteaquam ipsius morte inuidiæ flamma restincta est, & odium resedit, tum demum pænitentia duci Carolus, & occultis pectoris tormentis cruciari cœpit. Inter hæc valitudine aduersa correptus, ratus Enguerrantij iniustè accusati & peremti pœnas abs se diuinitus expeti, per omnia piaculorum genera, missas & eleemosynas, illius manes placare studuit: si fortè & cruciatus finire

Annal. in ann. 1314. & 1310.

quibus animus lacerabatur & melius habere posſet. Sed paralyſi tandem conſumtus eſt. Quamobrem Enguerrantius ipſe quidem fortunæ ſuæ mole & pondere corruit: ſed Caroli quoque exitus docuit quàm noxium ſit conſcientiæ vim afferre vt prauis cupiditatibus morem geras. Quum enim conſcientiam (id eſt, rectum rationis iudicium, qua diſcreti à beluis proximè ad Dei ſimilitudinem effigiémque accedimus) in omni re dominari fas ſit, qui eam affectibus ancillari cogunt, præpoſterè ſeruis dominam ſubiiciendo, conſtitutum ab ipſo Deo ordinem legémque peruertunt.

III. THEOREMA.

Externis hominibus fidere Princeps non debet.

QVI patria pulſus eſt (inquit Machiauellus) emigrat ad Principem qui ei tutam ſedem atque hoſpitium præbet, non amore aut ſtudio in illum,ſed vt neceſsitati ac tempori ſeruiat. Quúmque ſola vtilitatis ſpe moueatur, ſimulatque alius Princeps ampliorem conditionem illi obtulerit,Principem à quo primùm exceptus eſt prodet ac deſeret, quocumque vinculo, promiſſo vel iureiurando, fidem ſuam obſtrinxerit. Comment. Lib.2.cap.31.

ISTVD Machiauelli dogma refellere mihi in animo non eſt. verum enim eſt, ſi quidem ex ipſius mente interpretari libet. Sed quoniam eius diſcipuli ſecus eo vtuntur,atque aliter accipiunt,illud prætermittere non debui. Illi ergo ita interpretantur: Principem peregrinis fidere non debere, ſed popularium & ſuæ gentis hominum ſemper (ſi fieri poſſit) opera vti, etiam in peregrinis prouinciis adminiſtrandis, ſiquas fortè in ditione habeat. Sic Angliæ reges,quum Aquitania,Normania,Inſula

Franciæ,& Picardia propè tota,potirentur,iis prouinciis non Gallos sed Anglos procuratores & præfectos imponebant. Sic rex Hispaniæ, quum Belgium,Burgũdiæ comitatum, Mediolanensem ducatum, regna Siculum & Neapolitanum,extra Hispaniam possideat, eas prouincias ferè Hispanis mandat.His igitur exemplis fortè adducti Machiau. sectatores concludunt, Principi peregrinos(id est,qui communem cum Principe patriam & gentem non habeant)ad nullam Reipubl. partem adhibendos esse, etiamsi alioquin sub eius imperio ac ditione viuant.Ego contrà docere,quantum potero ingenio assequi, nitar, Principem in Repub.administranda subditis suis, etiamsi diuersæ gentis sint, vti debere: atque adeò prouincias externas suæ ditionis, eiusdem illius gentis præfectis & magistratibus committere, quoad eius fieri possit.

QVVM enim homines natura patriam caram habeant,si magistratus eadem illa gente, cui impositus est, ortus sit, haud dubiè illum omnes vt sui corporis multò cariorem quàm externum habebunt. Atque is populum,cui sponte acceptus & gratus est, facillimè obsequentem præstabit Principi, si quidem vera tutaque obedientia beneuolentia magis quàm vi aut metu quæritur. Adhæc quum necesse sit vt magistratus earum gentium quibus præsunt ingeniis sese accommodent, si illi peregrini sunt,peregrinis moribus impares,diuersa à suis instituta sumere vel nequeunt, vel dedignantur. Neque tamen sentio non alios rectores populo dandos quàm qui vel eodem ex oppido, vel

vel eadem prouincia, originem duxerint: sed satis esse, si commune gentis nomen cum subditis habeant. Ego enim Romanorum & veterum regum nostrorum institutum probo, qui neminem patiebãtur in ea prouincia in qua natus esset, præfecturam gerere: quia scilicet periculum erat ne gratia deprauatus cognatorum & amicorũ commodum officio suo ac fidei anteferret. Deinde quòd propter veterem consuetudinem & familiarem vsum minor futura esset eius autoritas, qui inter populares suos magistratum gereret. Sed ne illud quidem incommodum fore arbitror si Princeps, cui peregrinæ ditiones obtigerint, in iis & Præsidem & arcium præfectos suæ gentis habeat: indigenas tamen quoq. muneribus Reip. admoueat, ac sæpe ipse prouinciæ rector de negotiis communib. eos adhibeat in consilium. Nam quum ex Principis legitimo ac moderato imperio, populi, qui in eum suum ius transtulit, incolumitas pendeat, subditorum magnopere interest vt Remp. prudenter habeat. Itaque, quum deterius administratæ, sicut dedecus ad Principem, ita damnum periculúmque ad populum pertineat, mirum non est si ciues scire appetant quomodo sese gerat Princeps, ac, si quibus ille partem aliquam Reip. commiserit, obedientius omnia faciant. Sin verò se à Principe sperni & à Rep. procul haberi intelligant, atque omnia munia inter peregrinos diuidi, mirum quantum ea re offendantur. Quippe ex eo colligunt Principem ipsorũ fidei diffisum externa præsidia quærere: quúmque suspicentur se ab eo non diligi, eum non dili-

gunt. Mox inde incepta, motus, factiones, defe-ctiones, nasci solent: quando subditi cum Principis caritate obsequium simul exuunt. Præterea natura omnes ferè gloriæ atque honoris auidi sumus: neque ea cupiditas per se mala aut damnanda est, quum ij quibus virtutis studium est, decus ac laudem non propter semetipsos, sed quasi virtutis præmium, exoptent. Itaque, quum externæ prouinciæ hominibus viam ad honores Princeps obsepit, bonos quoque ipsos vehemens iniuriæ dolor stimulat, quum non habeant vbi virtus sua enitescere posit: atque in affectus ab cetero vitæ instituto ingenióque diuersos impellit. Aristoteles quoque & Hesiodus verè dixisse videntur, Naturæ legibus ita comparatum esse, vt qui ceteros animi dotibus & ingenio antecellit, ceteris imperet: qui minus industria valet, meliori pareat. Quam ad legem etsi summa imperia non dirigantur, propter ancipites eligendi casus, hæret tamen hominum mentibus insculpta: vt qui se nō indignos honoribus existimant, ægerrimè ferant, si deterioribus ascitis repulsam patiantur. Quamobrem, quoties à Principibus in Reip. procuratione prælati sunt indigenis aduenæ, ab animis contumelia incensis magnas offensiones, tempestates & turbas, ortas legimus.

Annal. in ann. 1168.

Cācellarius peregrinus publicæ & promiscuæ cædi in Sicilia caussam præbuit.

ANNO CIↃ C. LXVIII, Guilielmus Siciliæ rex (ceterum è Gallia ortus) Cancellarij dignitate nō Siculum, sed Gallum hominem, & qui dem tanti muneris capacem, auxit. Regni proceres, indignati peregrino tantum in sua terra esse potestatis, tantúmque magistratū mandatum esse nouo

nouo & externo homini, eam contumeliam ferro arcere ſtatuunt. Neque Cancellario modò, ſed & omnibus Gallis qui in Sicilia, Apulia, Calabria, erant, perniciem machinantur. Ergo ſecretis nunciis per omnia oppida & municipia dimiſsis populares & conſcios coniurationis, quos omnis generis ſibi aſciuerant, hortātur vt in Gallos omnes pro ſe quiſque ſigno dato irruant. Itaque vna literarum ſignificatione per vniuerſam Siciliam, Apuliam, Calabriam, Galli vno die omnes fœdum in modum trucidati ſunt. Hæc Gallis in Sicilia calamitas contigit, quòd aduenæ mandata eſſet Cancellarij dignitas: quamquam alioquin iſti in Gallorum odium ac cædem proni ſemper fuerint. Nam & anno CIↃ CC. LXXXII. coniuratum item eſt à Siculis aduerſum Gallos, ac conſilium initum vt ad primum ſignum campanæ, quo veſpertinæ preces (Veſperas vocant) ſignificantur, per totam Siciliam hoſpes hoſpitem Gallum interimeret, idque die ſollenni Paſchæ. Neq. ea tantùm cædes cupidè patrata eſt, ſed ab odio iráque furentium latronum & carnificum Siculis mulieribus, quas Gallorum compreſſu grauidas eſſe ſuſpicabantur, exſecti vteri, fœtus ſolo alliſi, ſunt, nequid vſquam Gallici ſanguinis ſupereſſet. Hanc horribilem cædem, Veſperas Siculas nuncuparũt. Hoc funeſtum exemplum Italogalli non in Sicilia, ſed in ipſo Galliæ ſinu, ſequuti, anno CIↃ IↃ LXXII. per nobiliſsimas Regni vrbes ingentem ſtragem edidere. qua magna mortalium vis virilis muliebriſque ſexus, ſenes, iuuenes, pueri quoque, conſumti ſunt. Atque vt tam inſi-

Veſperæ Siculæ.

Matutinæ Parisienses. gnis victoriæ monumẽtum extaret, Matutinarum Parisiensium nomine memorabilem fecere. Bellaius quoque in Commentariis memorat, secundùm Papiense prælium, quo Galli à Cæsare victi sunt, plurimos milites, qui pugnæ superfuerant, & in Galliam reliquias infelicis belli trahebant, inermes, seminudos, labore ac vulneribus fessos, palatos passim per agros, per itinera, ab Italis cæsos & confectos fuisse. Ea videlicet illorum hominum fuit indoles & generosus animus, vt deni aut viceni vnum, armati nudos & saucios, audacter inuaderent. Sed me domesticarum calamitatum recordatio longius tulit. Nunc ad inceptum, id est, eas turbas quæ peregrinos ob magistratus oriuntur, redeo.

Frosſ. lib. 1. cap. 116 246 & seq. Paul. Æmilius in Phil. Audace. Platina in Martino 4. INTER Ioannem Galliæ & Edvvardum Angliæ reges pax ita Bretiniaci conuénit, vt Ioannes summum ius imperiúmque Aquitaniæ in Edvvardum transferret. Quum igitur Aquitania in ditionem Edvvardi concessisset, eam Principi Cambriæ maximo filiorum possidendam tradidit. Is quum Burdegalæ regiæ suæ sedem locasset, eò certatim confluxere primores Aquitaniæ & Vasconum nobilissimi, cùm vt hominia ei & fidelitatis iusiurandum præstarent, tum vt se ei per omne officij genus gratos acceptósque redderent. Eos Princeps (cui multa dexteritas & humanitas inerant) benignè ac comiter quidem alloqui & in consuetudinem admittere: verùm dignitatibus & præfecturis vrbanis ac militaribus solos Anglos, quos frequentes secum habebat, ornare. Illi quum cupidini & sumtibus modum non facerent,

facerent, neque minore comitatu, cultu, paratu, quàm indigenarum potentissimi cõspici vellent, licentius alieno vtebantur. Itaque quum & nobilitas ab honorum aditu arceretur, & à magistratibus Anglis multa libidinis & auaritiæ exempla in plebem & oppressos ciues ederentur: quum insuper etiam Princeps nouum tributum indicere vellet: omnes Aquitaniæ vrbes, aliæ aliarum exemplum imitatæ, ab ipso defecerunt. Ita breui Anglus ditionem illam cunctam amisit, quia, quum aduenas indigenis ius reddere & præesse æquum censeret, tædium sui mouerat.

IOANNES minoris Britanniæ dux, quum ex Anglia vxorem duxisset, Angli partes summa ope fouebat, ídque aduersus Galliæ regem principem suum. Id cuncta nobilitas Britannica permolestè ferebat. Ergo tali animorum habitu tres totius prouinciæ nobilissimi (Clisso videlicet, Lauallius & Rohanus) quum illum adissent, in eam sententiam loquuti sunt: Planè ignoramus (Princeps) « quid tibi in mentem venerit, quamobrem adeo e- « nixè Angli partes tuis opibus adiutas velles. Mi- « nimè te fugit nos esse clientes regis Galliæ: & « Britanniæ ducatum à regno & nomine Gallico « pendêre. Quamobrem te vehementer oratum vo « lumus, vt fœdere ac studio in Anglum ex animo « tuo eiecto, Gallicam societatem amplectaris. « Quod si tibi persuadere non possumus, nos tui ob- « sequium potius quàm principis nostri Galliæ re- « gis exuemus. His dictis dux incensus, etsi dolorem « vultu premeret, temperare tamen sibi non potuit quin erumperet in hæc verba: Erepta Aquitania Froiss. lib. 1. ca 311. & 314.

grauem à Gallo regi Angliæ iniuriam fieri. Nec longo interuallo interiecto, diffisus popularium fidei, ministros sibi ac domesticos ex Anglia acciuit, tum quos præfecturis vrbanis & militaribus ornaret. Iis ab Anglo missis, Britanniæ proceres ac nobiles indignati suam fidem suspectam esse, & sibi anteferri Anglos, priusquam illi appellerent, maturandum rati, vrbes, arces, & locorum munitissima, priores occupant. In eas angustias dux redactus, patria excedens in Angliam traiecit. Ita ille Britanniæ dux solum vertere coactus est, quòd seipsum & munia patriæ externis potius quàm popularibus crederet.

Comin. lib. 7. cap. 14. INCREDIBILE est quanta celeritate Carolus VIII, Neapolitanum regnum propemodum sine vlla militum iactura subegerit: & quanta lætitia Regem exceperint Neapolitani, longa & dura tyrannide Ferdinandi & Alphonsi regum defessi. Minimo negotio poterat Rex, quamuis adolescens (si lectos & idoneos homines, quibus destitutus erat, in consilio habuisset) nobilissimum illud regnum in obsequio retinere, quando omnis vltro nobilitas ac populus deficientes ab Aragonica domo se in Regis fidem ac clientelam tradebant. Maxima igitur erat omnium hominum gratulatio ac lætitia propter depulsam à se tyrannidem. Sed tot secundarum rerum vberrimus prouentus breui spatio euanuit, magno Regis ac reip. detrimento. Quippe nostri, repentina felicitate incautius & licentius vsi, nobilitatem indignè tractare cœperunt: eos præsertim qui Andegauensis domus partes fouerant, à qua Rex omnem a-

ctionem atque omne ius belli acceperat. Deinde Rex ipse, nulla habita ratione Neapolitanę nobilitatis, omnia munia, omnes dignitates, Gallis attribuit: pasśimque constituit præfectos, è quibus plerique cupidè & auarè, nonnulli etiam parum bona fide, rem administrabant. Itaque nobilibus, quos offenderat, ceteros ad defectionem impellentibus, maturè regno illo excidit.

MVLTO etiam infelicius cesśit Gallis, quum in Hispania de loco & virtute cum Hispanis certarunt. Rex Castellæ Ioannes Dionysio Lusitanorum regi bellum illaturus petiit à rege Galliæ, cum quo sibi fœdus arctisśimum intercedebat, vt socia arma secũ iungeret. Ei Galliæ rex equestres pedestrésq. copias egregiè instructas in subsidium misit. Illuc quum venissent Galli, comiter à rege accepti, ab eo summopere contenderunt vt in prima acie collocarentur: ibi se antè parta decora noua gloria cumulaturos. At verò Castellani ægrè ferre, suam virtutem adeo Gallis despectui esse, vt locum sibi debitum præreptum irent. Indignando tamen & querẽdo nihil egerunt: rex Gallos, vti voluerant, in fronte constituit. Itaque Castellani, quum diuisis copiis victoriam hostibus non difficilem: coniunctis, se hostibus pares fore possent existimare, nisi ira inuidiáque occæcassent animos: victoriam nulla ope adiuuare statuunt. Irent Galli, & soli prosperæ pugnæ gloriam, vel aduersæ dedecus, ferrent. Itaque à Gallis pugna acriter cœpta, & primo concursu adeo æquis viribus res gesta est, vt si paulum modò annisi essent socij qui in vltima acie erant, victoria in manibus

Frosś. lib. 3. cap. 12. 13 14. 15 16.

esset: sed à Castellanis de industria cessatum est: & Galli propemodum omnes, nullis subsidiis fulti, vel in acie cæsi vel capti sunt. Sed multo maximè miserabilis fuit mille equitum clades, in quibus erant nouemdecim Proceres. Nam quum Lusitani (à quibus illi capti erãt) fusis Gallis nouum sibi de integro prœlium aduersus postremam aciem superesse cernerent, captiuos omnes interficere statuunt, ne vel euaderent, vel auersam suam aciem ab tergo adorirentur. Iugulatis captiuis, aduersus integram Castellanorum aciem procedunt. sed illi quoque, dimidia quippe virium parte detracta, facillimè oppressi sunt. Nisi Gallos gloriæ cupido immodica transuersos egisset, vt supra indigenas honore se attolli dignum ducerent, tanta non accepta esset clades.

2.Reg.c.10. 2.Chro.c.22. OCHOZIAS rex Iuda, Athaliæ, Samaritanæ mulieris, filius, Samaritanis, matris suasu, præcipua regni munia attribuit, præteritis probis ac sapientibus viris quos in regno habebat. Itaque quum Samaritanis (inuisis hominibus & qui peregrinis atque incestis sacris ritus patrios mutauerant) vteretur potius quàm Iudæis & indigenis, maturam sibi perniciem conciuit. Nam quum Iehu Achabi fratris Athaliæ domum subuerteret, propinquos eius quoque & amicos, atque in his Ochoziam vniuersa propemodum cum stirpe, sustulit.

Esther.ca.6. 7.8.&c. ASSVERVS, Persarum & Medorum rex, Amanum, minimè Persicæ stirpis hominem sed Macedonem, inter præcipuos amicos aliquando extulerat. Is quum opibus & gratia apud regem pólleret,

leret, non modò Mardochæum, cui propriè infensus erat, sed omnes quoque Iudæos, impetrato à rege funesto edicto, tollere destinauerat. Verùm posteaquam rex intellexit Mardochæum sæpe de se optimè meritum esse, non modò tam crudele edictum antiquauit, sed Amano quoque (qui tot victimas sæuitiæ suæ immolare decreuerat, & regnum sanguine innoxio contaminare) laqueo gulam frangi iussit: ipsius opibus atq. honoribus in Mardochæum translatis.

ALEXANDER rex Epiri, quum in Italiam ab Tarentinis accitus esset, multásque Brutiorum & Lucanorum cepisset vrbes, ducentos fermè Lucanorum exsules circa se pro fidis habebat: vt pleraque eius generis ingenia sunt, cum fortuna mutabilem gerentes fidem. Nam quum ad suos ciues nuncios misissent, pacto reditu, promiserunt, regem aut viuum aut mortuum in potestatem daturos. Itaque quum ad Acherontem amnem peruenisset, cuius fortè pontem ingens vis aquæ abstulerat, cúmque incerto vado transmitteret, iam propè egressum, eminus veruto Lucanus exsul transfigit. Lapsum inde cum inhærente telo corpus exanime detulit amnis in hostiũ præsidia. ibi fœda laceratio corporis facta. Hunc Alexander Epirensis, quum peregrinæ fidei nimium crederet, tristem euentum habuit. Liu Annal. lib. 8.

CAROLVS, dux Burgundiæ postremus, quum Nouesium frustra oppugnasset, ita popularibus suis cœpit diffidere, vt eos propemodum despiceret. Ex Italia autem circiter mille cataphractos euocauerat, iísque vtebatur etiam in obsidione Cominæus lib. 4. cap. 12. & lib 5. cap. 6. & 8.

Nouesiana. Comitem verò Campobachium quadringentis equitibus præfecerat. Is quoniam Andegauensis familiæ partes, quæ bellum Neapoli gessit, sequebatur, proscriptus & omnibus bonis exutus, in Galliam se receperat, & honorificè exceptus fuerat à Carolo Burgundiæ duce, & multi præterea cum eo Itali. Ab eo autem in Italiam missus vt equitatum cogeret, tum primùm in itinere conuertit se ad clandestina consilia. Quippe regi Galliæ sæpe pollicitus est, se vel capturum illum, vel interfecturum, quum exercitum lustraret: eóque nomine petebat viginti aureorum millia & ditionem aliquam in Gallia idoneam. Adhæc siquando bellum committeretur, illo deserto se transiturum ad regem, modò ipse conditiones inuicem præstaret. Eam improbitatem atq. perfidiam Rex ægrè tulit, & Fabricium imitatus, omnia per Contæum Carolo enunciauit. Ille, quia hoc putabat fieri captiosè, ei fidem non habuit, & domesticum proditorem multò maiori beneuolentia quàm prius complectebatur. Præterea quum maximam in castris ad Nanceium autoritatem haberet, promiserat Lotharingo se moram illaturum obsidioni & perfecturum vt ad oppugnationem necessaria desiderarentur. Qúmque nobiles aliquot Lotharingi, & in iis prouincialis quidam Cifronius, in oppidum obsessum conarentur ingredi, captus est Cifronius, quo tãquam internũtio & interprete vtebatur Campobachius ad Lotharingum in iis quæ cum ipso communicaret. Cifronium captum quum suspendi iussisset Carolus, is nunciari Carolo iubet, si sibi cum

eo remo-

eo remotis arbitris colloquendi potestas fiat, quædam dicturum ei quæ ad ipsius salutem pertineant. Tum fortè quum adesset Campobachius, diligenter obseruabat omnia, metuens ne proderetur. Carolus illum deprecandi supplicij causa colloquium petere dixit: simul quid vellet iubet sibi per alios nunciari. Cifronius ait se nemini præterquam ei soli dicturum. Quum persisteret in sententia Carolus, inter eundum multos ille obtestabatur vt Principem monerent. Et flexerat aliquos: sed hi denuo interpellaturi Carolum excludebantur à Campobachio, qui pro foribus cubiculi versabatur, & aditu prohibebat omnes, affirmans mandatum esse Principis vt è medio tolleretur: simul tribunum militum vrgebat vt accelerarct supplicium. Itaque ille suspensus est, summo cum detrimento Caroli. Sed Deo ita visum est, qui tenebras eiuscemodi menti Caroli circumfudit, vt ex proditoris Campobachij sententia, omnium deterrimum consilium sequutus, fortunam prœlij periclitaretur & in acie occumberet. Hic fuit exitus potentissimi Principis (cuius ditiones, veluti spolia, finitimi Principes inter se diuiserunt) dum peregrinam & inexpertam fidem domesticæ & cognitæ anteponit.

GORDIANVS iunior, quum cōsiliis Misithei soceri vteretur, imperium feliciter belli domíq. administrauit. Quippe & Persarum rege summoto, Antiochiam, Nisibin, Carras, quæ omnia sub Persarum imperio erant, recepit: effecítq. vt Persæ qui iam in Italia timebantur, regni sui se finib. continerent. Sed rebus ita super vota fluentibus

Capitol. in Gordiano.

malus quidam genius inuidit. Nam magno & Reip. & Gordiani damno extinctus est Misitheus optimus & sapientissimus vir: in cuius locũ quum præfectus esset prætoriis cohortib. Philippus quidam, Arabs, & quidem humili genere natus: is statim Gordianum imprudentem dolis & insidiis captauit. Nam primùm naues frumentarias auertit: deinde in ea loca milites deduxit, vbi annonæ & commeatuum copia non esset. His ergo artibus milites infestos illi reddidit: rumore etiam sparso, adolescentem esse Gordianum, neque imperij capacem. Militibus fame iam antè victis facillimum fuit persuadere quidquid vellet. Itaque militaribus suffragiis imperium Philippo mandatum est, iussũmque vt cum Gordiano, quasi eius tutor, pari iure imperaret. Sed Gordianus Augustorum heres, quùm æquatum sibi imperium cum homine ignobili & improbo ægrè ferret, sperans posse Philippo imperium abrogari, processit ad tentandos militum animos. Sed eos Philippus adeo promissis & donis onerarat, vt ipsius toti essent. Ergo quum ob factionẽ Philippi minus valeret apud milites, petiit vt æquale saltem inter eos esset imperium, nec impetrauit. Dehinc petiit vt loco Cæsaris haberetur, neque id obtinuit. Petiit etiam vt præfecti loco esset Philippo: quod & ipsum negatum est. Vltimæ preces fuerunt vt eum Philippus pro duce haberet, & pateretur viuere. Sed quum ille cogitaret fieri posse vt deferuescen te militum ira, populi Rom. & senatus studio, imperium restitueretur Gordiano, clamantem ante conspectum duci, spoliari & occidi, iussit. Quo fa

cinore

cinore quid immanius, quid exſecrabilius, vel in extrema barbaria perpetrari poterat? Eant iam Principes, & eiuſcemodi peregrinis rerum ſummam & ſeipſos committant.

ROMANI veteres (quorum ſapientia documento eſſe debet) non modò peregrinos ſed ne ſocios quidem ipſos ac propè conſanguineos Latini nominis in ſenatum admittebant: immò illis petentibus vt ſenatus æqua pars ex vtraque gente eſſet, & conſociato imperio alter conſul Roma alter ex Latio crearetur, bellũ quàm eam pacem maluere, in qua peregrinum ſenatum, peregrinos conſules, Romæ eſſent viſuri. Poſt cladem Cannenſem, qua conſulares aliquot, prætoriíque & ædilitij & LXXX præterea ſenatores, ceciderant, quum maxima ſolitudo in curia eſſet, & tantum ſenatorum aduerſæ pugnæ, adhoc ſui quemque caſus, per quinquennium abſumſiſſent, de ea re M. Pomponius prætor ad ſenatum retulit. Tum Sp. Caruilius, quum longa oratione non ſolùm inopiam ſed etiam paucitatem ciuium, ex quibus in patres legerentur, conqueſtus eſſet: explendi ſenatus cauſſa, & iungendi artius Latini nominis, pro magna re ſe ſuadere dixit, vt ex ſingulis populis Latinorum binis ſenatoribus, quos patres Romani cenſuiſſent, ciuitas daretur: atque in demortuorum locum in ſenatum legerentur. Eam ſententiam haud æquioribus animis quàm ipſorũ quondam poſtulatum Latinorum, Patres audierunt. & quum fremitus indignantium tota curia eſſet: & præcipuè Manlius, Eſſe etiam nunc ſtirpis eius virum diceret, ex qua quondam in Capitolio con-

Liu. Annal. lib 24.

ſul minatus eſſet, quem Latinum in curia vidiſſet, eum ſua manu ſe interfecturum: Q. Fabius Max. numquam rei vllius alieniore tempore mentionem factam in ſenatu dixit, quàm inter tam ſuſpenſos ſociorum animos incertámq. fidem id tactũ quod inſuper ſollicitaret eos. Eã vnius hominis temerariã vocem ſilentio omniũ exſtinguendam eſſe: & ſiquid vmquam arcani ſanctíve ad ſilendum in curia fuerit, id omnium maximè tegendum, occulendum, obliuiſcendum, pro non dicto habendum, eſſe. Ita eius rei oppreſſa mentio eſt: ſed ex eo maximè aduerſo rumore Caruilius fuit, quòd peregrinos in ſenatum inducendi autor fuiſſet.

SED quid veterum Romanorum exempla obſoleta æuo quærimus? Minimæ hodie quæque ciuitates pari modo ac iure rempublicam ſuam adminiſtrant. Venetiis equidem, Genuæ, & in aliis Italiæ liberis vrbibus, Argentorati, Norimbergę, Auguſtæ, Francfordiæ, Magdeburgi, ínque aliis Germaniæ ciuitatibus, & tredecim Heluetiorum pagis, mos hic religioſiſsimè obſeruatur: Ne ad munia Reipubl. peregrini admittantur. Immo pleríque aduenis apud ſe habitandi poteſtatem non faciunt. Durius id quidem fortaſsis & inhumanius, quando φιλοξενίαν Deus toties commendat, & eò nos natura ducimur. Peregrini verò ipſi ſi in prouincia aut vrbe quapiam humaniter excipiantur, eo contenti eſſę debent, neque temerè Reip. negotiis ſeſe immiſcere, aut honores appetere, ne tandem (vt ferò fit) indigenarum aduerſum ſe odia inuidiámque concitent, Gallica gens præ ceteris ha-

ris habetur φιλόξενος, & in Gallia exteri homines cum indigenis propè pari iure vtuntur. Anglos tamen nimia fortuna luxuriantes non tulere patres nostri, quum omnium Aquitaniæ dignitatum & officiorum soli potiri vellent. Similia exempla edere fortè poterit nostra ætas, neque planè incredibile est, quæ aliquando euenerunt, ea nunc quoque posse fieri.

L E X Salica (quæ in Gallia & Germania obseruatur) non tantùm scripta est ad mulieres Regni hereditate arcendas, ne videlicet propter infirmitatem consilij summam imperij obtineant. quippe & in maribus sæpe par est indignitas. Sed ob id potissimum lata videtur, & perpetuo omnium ætatum vsu confirmata, ne per connubia & affinitates peregrini ad Regni successionem sibi aditum facerent. Intolerabilius enim multò esset Gallis externi regis imperio subiici, quàm Gallicæ stirpis reginæ. adeò peregrina dominatio Gallis inuisa est. Deinde latius serpit hoc malum. nam Princeps externus suos honoribus augere quàm indigenas mauult, & ea re offensis popularium animis, turbæ, seditiones, bella, nascuntur. Quæ non tantùm Reip. detrimento, & populi sanguine, sed etiam ipsius Principis nonnumquam pernicie, expiantur.

I N S I G N E & domesticum eius rei exemplum Annales nostri suppeditant. Brunechildis Hispana mulier, Galliæ regina vidua, Langobardum quendam, Protadium nomine, quem in deliciis habebat, Palatij magistrum, seu Præfectum (id est, totius Regni procuratorem) constituit. Is vbi vi-

Annal. in ann. 607.

Palatij magister peregrinus, in Gallia belli ciuilis caussa.

det eò se reginæ gratia prouectum, Principes & proceres Regni præ se despicere, atque vltro variis artibus ludificari, cœpit. Tum inexhausta auri cupidine ardens, manubiis & rapinis miseros Gallos adeo exercuit, vt nobilium iuxtà ac plebis odio flagraret. Eo fortè tempore Theodebertus & Theodoricus, Brunechildis filij, de imperio & opibus certabant: quos in concordiam redigere proceres, vtriusque vassalli, summa ope quum niterentur, Protadius obnixè impediebat. Itaque quum illi iactura vnius aduenæ, qui vnus pacem morabatur, bellum intestinum finire, quàm tot viros nobiles mutuis sese cladibus atterere, satius ducerent, Protadium obtruncant. Huius Langobardi exitus, Langobardis, qui hodie Galliam pro libidine versant, si sana mens esset, documento esse poterat. Ludouicus Pius, Caroli magni filius, regij Præfecti dignitate Berardum quemdam, Hispanum, ornauit. Quem immodicè sese efferentem, quum tres regij adolescentes, Lotharius, Ludouicus, Pipinus, impatientes æmuli, ferre nō possent, in ipsum regem & patrem iram conuertunt. Itaque coniurati aduersus patrem filij captum Ludouicum, & Suessiones ductum, abdicare se Galliæ regno, & Germaniæ Italiæq. imperio, coegerunt. Sed eum Galliæ & Germaniæ proceres ex S. Marci Suessionensis monasterio eductum, in quod abdicato magistratu, velut in custodiam, conditus erat, filiis cum patre in gratiam reductis pristinæ libertati & dignitati restituerunt. Verùm tamen tantum discrimen dedecúsque numquam adiisset nobilissimus Rex atque Imperator, nisi

nisi, nimia facilitate & imprudentia lapsus, peregrini hominis fastigium supra populares & indigenas extulisset.

IAM, vt huic argumento finem imponam, testimonium locuples Martini Bellaij, equitis aurati, viri prudentia atque vsu rerum præstantissimi, superioribus adiungam. Is dicit, Francisco 1. in Galliis regnante, rebus Gallicis multo plus illatum esse detrimēti à peregrinis qui ab ipso ad hostem desciuerunt, quàm ab vlla vi, aut alia caussa. In iis autem præcipuè numerat, Episcopum Leodiensem, Principem Aurengium, Marchionem Mantuanum, Andream Doriam Genuensem, Hieronymum Moronem (qui Mediolanenses ad defectionem impulit) & aliquot item alios. Sed ea, quia memoria nostra gesta sunt, fusius exsequi supersedeo: tum pluribus exemplis validísque rationibus abundè mihi docuisse videor (aduersus Machiauelli scholam) Principem haud alia ratione rerum incolumitati melius consulere posse, quàm si prouinciarum suę ditionis munia, earumdem ciuibus atque indigenis fungenda permiserit. Subditorum enim mores atq. ingenia multo facilius à notis & sui corporis viris quàm ab inquilinis tractãtur: deinde nihil odiosius populo, quàm si summa quæque officia, sacerdotia, dignitates, ab externis occupari videat. vt ait Cominæus. Equidem Officia perraro in Galliis ad peregrinos delata legimus: nisi quòd paucis abhinc annis ad amplissima quæq. aspirare ausi, in quamlibet altum fastigium nescio qua arte erepserunt. Nam olim centurionatus fortè illis & tribunatus

Comment. lib. 1.

Peregrini ad proditionẽ faciles & proni.

militum mandabãtur, vt eo nomine plures in suis terris milites Regi scriberent. Beneficia verò ditissima & maximè opima pridem in Galliis Itali occupauerunt, ab Rom. Pontifice impetrata: neq. is Regibus nostris animus erat vt contrà ire auderent. Dedit tamen ea nundinatio Carolo VI. occasionem, vt anno 1365 edicto vetaret ne Galliæ sacerdotia peregrinis conferrentur: quòd & antea sæpe & sequenti tempore regiis Edictis sanctum & confirmatum est. Eorum obsoletum vsum reuocari æquum esset: sed huius mali nondum matura correctio est, quando isti omnia tenent.

QVAMOBREM hîc veros omneis & germanos Gallos obtestor, vt attentè considerent quàm pessimè de semet ipsi consulant, quàm in iniuria sua molles ac lenti sint. Annon pudet ignauiæ? pati vt à patriæ cultu & Reip. muneribus procul habiti, in sua terra pro alienigenis æstimentur? Nam Itali, seu potius Italogalli, qui Gallicæ reip. gubernacula tenent, istud Machiauelli placitum, Haud temerè peregrinis fidendum esse, sicuti verum est ita pro vero vsurpant. Itaque nullos, nisi suæ gentis homines, aut fortè Gallos quosdam degeneres, quos ita in obsequium suum formarũt, vt illorum quàm sui similes esse malint, socios scelerum, ministros libidinum, ad honores & dignitates prouehunt. Gallici verò non magis sanguinis quàm animi viros ab omnibus Reip. partibus, vt peregrinos & suspectos, arcent. En quò reciderit prisca patrum nostrorum virtus, qui Asiæ intulere arma, qui terrore nominis sui Orientem impleuerunt, qui Gotthos & Saracenos Gallia, Germania,

nia, Hiſpania, expulere. Quantum intereſt inter maiores noſtros, fortiſsimos viros, & nos poſteros eorum? Illi Europam atque Aſiam per ſtrages barbarorum penetrantes, magno maris terrarúmque ſpatio diſcretas prouincias armis ſubegerunt: nos in ſedibus patriis non omni tantùm amiſſa dignitate, ſed libertate quoque per ignauiam prodita, ab alienigenis ſub iugum mittimur. Illi magnas Italorum copias parua manu in Italia fudere: nobis adeo ſegnitia atque ſecordia animus corruptus eſt, vt à paucis Italis in terra noſtra patiamur nos colu, fuſo, calamis, vinci. Annò eos per omnia clandeſtina latrociniorum ac veneficiorum ſcelera graſſari cernimus? deniq. id vnum moliri, vt, nequid ſuæ libidini obſtet, ſuſpectam ſibi nobilitatem in Galliis, ac virtutem omnem, exſcindant? Exſpectemus dum hæc flamma, quam cunctando alimus, ſingulas per domos vagata, vniuerſum regnum corripiat. Immò ego hîc non tantùm Gallorum tum qui in Gallia obnoxij, tum qui extra Galliam extorres, vagantur, ſed omniũ quoque gentium fidem miſericordiámq; imploro, vt communi ope ad commune iſtud incendium reſtinguendum accurrant. Quippe ad nos periculum, ad omnes dedecus & exemplum, pertinet. Equidem, ſi nos auitæ virtutis memores, vires noſtras non ignorabimus, externos iſtos tyrannos ceruicibus noſtris depulſos, ablegabimus in ſuas terras, neque vltrà eos timebimus, quibus nos terrori eſſe decet.

COMMENTARIVS SECVNDVS, DE RELIGIONE, QVÆ PRINCIPI obseruanda est.

PRÆFATIO.

SVPERIORE libro de Consilio Principis satis fusè à nobis tractatum est: nūc opportunum esse videtur de Religione quoque agere, quam in sua ditione Princeps instituere & conseruare debet. Etenim de hoc illi ante omnia consultandum est, vt videlicet vera Religio primùm ab ipso, deinde à subditis, colatur. Hîc Machiauellus, planè ἄθεος & Dei contemtor, longè aliter suum Principem instituit. quippe non vult Principem laborare, verámne an falsam Religionem habeat: immò fauere & indulgere mendaciis iubet, siquæ fortè inerunt. Præterea eòusque prouehitur exsecrandus nebulo, vt Ethnicam superstitionem Christianæ religioni sine vllo pudore anteponat. Huic tamen tali libro Sorbona indulgens parcit, neque vt hæreticum notat. Verùm priusquam nefanda ipsius dogmata refutare aggredior; quid in ea re haud dubitāter Princeps sequi debeat paucis exsequar. Principiò ergo istud axioma vt αὐτόπιστον & confessum pono, Principi Christianam religionem

 colendam

colendam esse: quippe solam veram rectámq. sicuti ex ipsius vetustate, sinceritate, & præstanti doctrina, constat. Primùm enim quis neget omnium religionum, quotquot extiterunt exstántve, nullam ea antiquiorem esse? Quippe innixa Dei promissis de Christo, atque ipsius ore Patrum veterrimis ab ipso rerum initio tradita, mox literarum monumentis à Mose mandata, per manus ad posteros transiit. Porrò inter omnes doctos & pios constat, nullum Græcum vel Latinum scriptorem nisi multis post Mosem annis fuisse: illúmque multis seculis scripsisse ante Homerum, Hesiodum, Berosum, Manethonem, Metasthenem, & ceteros qui vetustissimi scriptorum habentur. Præterea quũ Moses describit genealogiam Noe, & omnium gentium originem deducit ab ipsius filiis (quorum nomina pleræque etiam hodie retinent) nonne satis perspicuè probat, se ab ipsis mundi primordiis historiæ initium duxisse? Nam quum ab ipsis eorúmq. filiis ac nepotibus nomina sumserint gentes (vt à Madai Medi, ab Iauan Iones, à Dodanim Dodonæi, à Riphat Riphæi, à Tarsis Tarsenses, à Canaan Cananæi, à Sidone Sidonij, ab Elam Elamitæ, ab Assur Assyrij, à Lud Lydij, & ceteræ eodem modo) quis ambigat ab istis & aliis nepotibus Noe, veluti è radicibus aut truncis, enatas & propagatas omnium gentium stirpes? Adhæc siquis Gentilium sacrificia & ceteros sacrorum ritus cum Iudaicis contulerit, is facilè intelliget ea ad sacrificiorum imitationem composita esse, quæ Deus per Mosem præscripsit. Nam Iphigeniæ sacrificium quod à Græcis ad pa-

Christianæ religionis vetustas.

Ioseph. Antiq. lib. 1. ca. 11. 12. 14.

cem deûm impetrandam Aulide peractum est, quid aliud fuisse videtur quàm præpostera imitatio Iephthæ, qui semetipsum voti damnans filiam Deo immolauit? Quid? quum Galli quondam Æso & Teutati, Karthaginienses Saturno, humanis hostiis litarent, nónne Abrahæ sacrificium ceteráque expiandis peccatis instituta sacra à Deo, repræsentare praua religione conati sunt? Quamobrem quum Religio à Mose descripta, sicuti sola vera, ita prima & princeps sit, ceteræ velut distortæ, & ex prima illa temerè expressæ ac peruersè adumbratæ imagines: Christiana religio ex oraculis & promissionibus Dei pendens, quæ à Mose primùm literis proditæ sunt, non tantùm omnium religionum vetustissima est, sed ipsi quoque mundo æqualis. Nam peruersam Machiauelli & aliquot philosophorum opinionem qui Mundum principij expertem faciunt, refellere quum mihi operæ non sit, eos Empedocli, Platoni, & ceteris, qui contrà sensere, refutandos delego. Philosophos quidem illos minutos in eo errasse non miror, quando in tam arduo & præcipiti ascensu humana ingenia sustinere se à lapsu vix possunt: & libros Mosis illi numquam viderant: sed istius, qui & scripta Mosis legerat, & profanam hanc opinionem vltro amplexus est, impietas excusabilis non est: quum rerum omnium ignarus, Scripturam tamen scurriliter eludere audeat, & singularis alicuius scientiæ inanem famam affectet.

Christianæ religionis simplicitas ac puritas. CETERVM Christianæ religionis sinceritas simplicitásque ex eo apparet, quòd nihil de Deo Christiani nosse volunt, nisi quantum ipse patefacit.

cit:neque Verbo circumdatos ſibi limites temeraria audacia tranſilire. Neque enim ſibi permittunt, ethnicorum philoſophorum more, de Dei eſſentia diſceptare, qui curioſius Deorum naturam inueſtigãdo in abſurdos errores inciderunt. Alij enim Vniuerſum hoc Deum eſſe arbitrabantur: alij, Animum eſſe per omnem rerum naturam intentum & commeantem, & veluti mundi mentem: alij ſolem, Deum eſſe exiſtimabant. Præterea de ipſius potentia, æternitate, prouidentia, rationibus à natura petitis ita diſputabant, vt multo omnia incertiora quàm accepiſſent relinquerent. Ecquis enim adeo amens eſt vt tantam, tam infinitam, naturam mente & cogitatione ſe poſſe complecti confidat? Itaque Chriſtianus pro cetera fidei modeſtia, nihil de Deo vlterius ſcire appetit, quàm quatenus is ab hominibus noſci poteſt. Hæc enim vera Dei notitia eſt, quæ circumſcriptos ſibi à Deo limites non egreditur: omnis verò de Deo ſcientia quam veteres Philoſophi præ ſe tulerunt, vmbratilis & perſonata ſapientia fuit.

IAM doctrinæ quoq. præſtantia quàm ſit commendabilis Chriſt. religio, quis non videt, qui modò perſpectum habeat, quibus illa fundamentis inſiſtat? *Præſtantia Chriſtianæ religionis.* Chriſtiani enim Dei oraculis & promiſſis innixi, quę iam ab initio Patribus cõmiſſa ſunt, & de Dei amore paterno erga ſe perſuaſi, vitam ab eo æternam propter Chriſtum expectant. Quo quid in tam breui æuo, in tot humanis laboribus, vt ne brutis quidem animantibus cum mortalium vita fortuna ſua cõmutanda ſit, æternitate demta,

quid (inquam) ſuauius? quid felicius eſt? Ethnici quidem ſaniores, quum non interituras cum corporib. animas ſibi perſuaderent, & optimi cuiuſq. animus ad immortalem gloriam niteretur, magnos domi militięq. labores libẽter ſuſcipiebant, qui ad poſteritatis memoriam propagarentur: alij literarum monumentis immortalitatem ſe aſſecuturos ſperabant: nonnulli, quum vtique crederent piorum animis beatas à Diis ſedes aſsignari: malos diuerſo itinere à bonis, loca, tetra, inculta, formidoloſa, habere: ad diuinum illud animorum cõcilium proficiſci cupiebant. Ita dum animis ſuis requiem quærerent, ſpem aliquam æternitatis, ſed incertam, fouebant. Quippe ita vtcumque argumentabantur: Credibile non eſſe hominem, præſtantiſsimum animal, à Deo ſummè bono ad miſeriam eſſe conditum. Futurum autem longè omnium miſerrimum, niſi hanc mortalem vitam felix & immortalis exciperet. Deinde, id ſummæ Dei iuſtitiæ conuenire vt pios ab impiis præmio & pœna diſcernat: ergo alteri vitæ locum fore, in qua præmia bonos, ſupplicia malos, ſequantur. Sed quum hæ rationes infirmiores ſint quàm vt iis animus tutò & ſolidè acquieſcere poſſit, Chriſtianus longè aliis munimentis innititur. Quippe ex Scripturis didicit, Deum ex altiſsimo maieſtatis ſuæ domicilio egreſſum (vt ita loquar) conſociato cum Patribus ſæpe ſermone, caritatis ſuæ erga genus humanum plenam fidem feciſſe. Deinde promiſsiones æternæ ſalutis, ceremoniis adumbratas, in Chriſto conſignatas, multis & frequentibus oraculis iteraſſe, donec reipſa exhiberentur.

Cic. in Sõn. Scipionis.

rentur.

rentur. Itaque quum tantæ rei notitia & fides non è ieiunis aridísq. philosophorum rationibus, sed ex ipsius Dei, qui mentiri non potest, oraculis hau sta sit: eámque fidem in nobis generet atque alat Christiana doctrina, quid ea potest esse præstantius?

PORRO in Ethicis (id est, iis quæ ad agendum & vitam bene instituendam spectant) multa grauia & vtilia eleganter accuratéque à philosophis disputata sunt, multa officij & morum præcepta ab iisdem tradita: sed quid hæc ad Christ. disciplinam? De iustitia, temperantia, prudentia, amicitia, ceterísq. virtutibus, bene ac composité disseruerunt. quis negat? Neq. verò adeo abhorrent Christiani ab ethnicorum libris, vt eorum scripta legere, facta etiam nonnulla imitari, nolint. Sed quanto hæc eadem plenius, neruosius, diuinius, in Scripturis tractantur? Ei rei argumento esse potest celebre illud dictum Platonis, "Nos nobis non tãtùm esse natos, sed partem ortus nostri patriam, partem parentes, partem amicos, vendicare." Nihil argutius dici potuit, sed si hæc sententia cum doctrina Christ. conferatur, ieiuna & mutila reperietur. Docet enim satis multis verbis Plato, optimè societatem hominum seruari, si vt quisque erit coniunctissimus ita in eum benignitatis plurimum conferetur: neminem autem magis homini hominem coniunctum esse, quàm se sibi ipsi. Deinde plures esse gradus societatis humanæ: sanguinis coniunctione deuinciri propinquos, amicos morum studiorúmque similitudine: sed nullam artiorem, nullam cariorem, esse societatem,

quàm eam quæ cum patria vnicuique esse debet. Ergo cari nobis sint familiares; cariores parentes & liberi, carissima patria: sed quo loco, quo numero, pauperes collocas Plato? eósne, quos toties Deus commendat, ex hominum societate & coniunctione exterminas? Sibi ergo consulant inopes, quando ad eos non pertinet caritas, quam magistro Platone discimus. Neque verò tum quidem multum aliter viuebant homines. Nam siquis alienæ opis egens & ad egestatem redactus esset, nullum certius præsentiúsve remedium habebat, quo se posset aduersus inopiã tutari, quàm si seipsum venumdando libertatem deformi seruitio verteret. Si deerat emtor, miseram animam trahendo cruciari eum necesse erat, nisi fortè misericordia motus aliquis inopiam eius solaretur. Sed neque publica apud Ethnicos hospitia erant, in quibus benignè accepti pauperes, publica munificentia & cura sustentarentur: neque Principibus sui Eleemosynarum erogatores, quemadmodum apud Christianos sunt. Multo verò etiam crudelius, recens natos infantes exponi, si fortè debiles aut distorti essent; quod non tantùm Spartæ fieri solitum, sed de eo quoque Romæ legem latam à Romulo Dionysius memorat. Nam seruos quidem ære emtos quum non multo pluris quàm iumenta facerent, pro arbitrio, & sæpe leui de caussa, necabant. Vedius Pollio, eques Romanus, murenas in piscinis habuit, quæ carnibus humanis vescerentur, eísque seruos inutiles, aut de quibus supplicium sumere vellet, obiicere solebat. Gladiatorium munus, quod à potentib. populo dabatur,

Dionys. Halic. lib. 2.

Dion in Augusto.

non

non tantùm familiare oculis ſpectaculum ſed gratum quoq. erat:neq.magis fuſus hominum cruor & mutuis vulnerib. conciſa corpora,ſpectatorum animos mouebant quàm ſi gallos gallinaceos depugnantes vidiſſent. Adeò illis tum ſeruorum libertorúmque ſanguis inſana voluptate vilior erat. Sed ne ipſi quidem philoſophi in multis officiorum morúmque præceptis quidquam de pauperum cura præcipiunt:neque tot Senatuſconſultis, plebiſcitis, edictis, de inopum neceſsitate ſubleuanda quidquam cautũ legimus: quamquam hominem homini opitulari debere natura ipſa dictet.Nam & elogium illud inſigne, QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS, quod Alexander Seuerus vſqueadeo dilexit, vt in publicis operibus præſcribi iuberet, cum naturæ ſenſu optimè conuenit: & lex illa naturæ, dum prohibet ne quemquam violemus iniuria,ſimul quoque præcipit, vt quemadmodum nobis benignè fieri volumus,ſic alteri faciamus.Sed ad hũc omnis recti officij fontem, quamquam omnes eò natura duce vehimur,ethnici non peruenere: neque hanc ſententiam Alexander à profanis philoſophis, ſed à Iudæis vel Chriſtianis (vt Lampr.inquit)didicerat. Quamobrem Chriſtiana præcepta de moribus multum Ethicis philoſophicis atque ethnicis præſtant,quando hîc nulla pauperum cura,nulla mentio,aut parua: illic in primis commendantur. Adhæc Chriſtiana religio ingenij humani faſtum peccati ſenſu deiicit: Ethnica ſtolida opinione virtutis attollit.illa culpam pœnámq.& naturæ imbecillitatem aperiens,

Lampr in Alex.

ad Deum confugere docet: hæc hominem in considerandis naturæ ſuæ dotibus retinens, Deo bonorum operum laudem reddere non ſinit. Illa ad quæuis perferenda, & infirmitates aliorum inuicem æquo animo tolerandas, erudit: ex hac Ethnici & odia exercere, & iniurias ſuas perſequi & vlciſci, diſcebant. Quamobrem Chriſtianam religionem omni ex parte Ethnica potiorem habemus: id eſt, omnibus religionibus quotquot extiterunt exſtántve, excepta Iudaica, ex cuius veteri & pura ſcaturigine Chriſtiana doctrina fluxit. Ceteros omneis, vt Turcas, Saracenos, barbaros, quotquot nec Vetus nec Nouũ fœdus agnoſcunt, pro Ethnicis & profanis ducimus.

Religio Catholica cum Reformata conciliari poteſt.

SED hîc mihi noua oritur quæſtio, Vtra videlicet religio Chriſtiana nominanda ſit: Catholicáne, an Inſtaurata, ſeu Reformata, vt vocant. Hîc ego reſpondeo, non vſqueadeo diſsidere iſtas, vt conciliari, vel potius in vnum redigi, non poſsint. Etſi enim in pleriſque, iiſque præcipuis doctrinæ Chriſt. capitibus inter ſe diſſentiant, concordant tamen in multis. Vtraque enim Chriſtum, etſi non æqualiter, agnoſcit: vtraq. articulos Fidei & ſymbolum Apoſtolorum approbat, vtraque Trinitatis cultum, Sacramenta Baptiſmi & Cœnæ, amplectitur. Itaque quum in multorum capitum ſenſu atque explicatione ita diſcrepent, vt communi tamen vocabulo numcupentur, & ambæ Chriſtum ſe colere profiteantur, duas iſtas religiones, etſi pugnantes, planè contrarias tamen non voco. Sed quum tanta res maiori commentatione digna ſit, operæpretiũ hîc erit excedere paululum ad enarrandum

randum à quodam de ea re habitum ſermonem, in quem fortè incidi quum Lutetiâ Baſileam proficiſcerer. Eius ſermonis ea ſumma erat, Catholicos cum Euangelicis nõ tantùm nomine, ſed re ipſa quoq. & doctrina, conſentientes eſſe, vtcumq. aliter Sophiſtæ ſentiãt. Quæ mihi opinio etſi parum probabilis videretur, & ab ea iudiciũ meum abhorreret, ita tamen eam verbis ſententiiſq. veſtiit, ita muniit argumentis, vt quòd ſibi ipſe perſuaſerat, aliis quoque videretur velle perſuadere. Nam quum ſub exitum cœnæ fortè de Religione ſermo inter conuiuas ortus eſſet, íſque nonnihil de duarum religionum conſenſu inter alia iecisſet, rogatus eſt ab omnibus vt ſuam ea de re ſententiam paulo fuſius explicare vellet. Itaque, ſilentibus aliis, & coniectis in eum omnium oculis, ille in hũc modum exorſus eſt: Ego etſi huic meæ „ opinioni confirmandæ non omnes quæ meditanti „ offerre ſeſe poterant rationes, maximè tamẽ pro- „ babiles atque idoneas, afferam. Conantur Sophi- „ ſtæ perſuadere Catholicis, nos longè diuerſam à „ ſua doctrinam profiteri: ſed potiſsimum diſsidere „ in ſacramento Cœnæ Domini, ſiue Altaris (vt vo „ cant) & in argumento Bonorum operum, aliíſq. „ aliquot capitib. Ego certè vt inter Sophiſtarum „ placita noſtrámque doctrinam haud parum in- „ tereſſe non inuitus agnoſco, ita viciſsim aſſero So „ phiſtarum dogmata à pleriſque Catholicis non „ approbari, ac ne intelligi quidem: quòd magna ex „ parte ſpinoſis & perplexis ſyllogiſmis, tum voca- „ bulis barbaris & ambiguis, conſtẽt. Iccirco, quũ „ ea obſcuriora ſint quàm vt à rudi vulgo capi poſ- „

„ ſe videātur, perſuadent doctores Scholaſtici nihil „ admodum intereſſe populi vt ea enucleatè percipiat: modò in vniuerſum vera eſſe credat quæ „ ipſi de Articulis fidei diſputant. Quod illi Fidem „ implicitā vocant. Mihi verò hîc propoſitum non „ eſt de Sophiſtarum doctrina agere: ſed de iis Religionis Chriſt. capitibus, quorum qualemcumq, „ notitiam Catholici, vel ſolo communi iudicio „ ſenſúq. magiſtro, conſequuti ſunt. Nam in iis, & „ quidem præcipuis, Catholicos idem propè nobiſcum ſentire iudico, vtcumque contrà cauillentur „ Matæologi. Quod vt planum fiat, ſumma quæque „ càpita Chriſtianæ religionis paucis percurramus.

„ PRIMVM ſi quæſieris ab aliquo antiquæ fidei „ & virtutis Catholico, An credat, dum Sacramentum Cœnæ ſumit, ſe dentibus Chriſti carnem & „ oſſa frangere: Reſpondebit, id ſe minimè credere, „ & ab eius rei commemoratione ac cogitatione „ animum ſuum abhorrere. Si interrogare perrexeris; Annon Sacramentum percipiendo, credat „ ſe ſpiritualiter Chriſti corpus & ſanguinem aſſumere: Reſpondebit, Eam ſibi eſſe fidem. Interroges vlterius, An credat ſymbolum Corporis ſumendo à ſe ſimul Sanguinis ſignum percipi per „ Concomitantiam: neque alium eſſe vſum Calicis „ ex quo ſeorſum bibit, quàm vt os abluat. Dicet, ſe „ nihil tale credere, & quid ſit Concomitantia neſcire: hoc ſcire, Se Panem ſumendo ſacramentum „ Corporis accipere: è calice Vinum bibendo, ſymbolum Sanguinis habere. Percontare etiam porrò „ Credátne in ſacramento Tranſſubſtantiationem „ aliquam fieri: Negabit: ac fortè addet ſibi ſuſpectum

ctum esse peregrinũ illud & prodigiosum Trans-
substantiationis vocabulum, nempe à Sophistis
conflatum ad obscuranda quæ per se clara erant.
Istam enim Transelementationem, quamquam ea
nihil absurdius est, nihil ab omni humanitate &
communi sensu alienius, Sophistæ summa ope ni-
tuntur optimis quibusque Catholicis persuadere,
eámq. vt validissimo argumento, quodam Cano-
ne confirmant, cuius tale carmen est: Ego Beren-
garius indignus ecclesiæ S. Mauricij Andegauẽsis c. Ego Berengarius
diaconus, cognoscens veram & Apostolicã fidem De conse
anathematiso omnẽ hæresim, præcipuè eã de qua cra. dist. 2.
hactenus infamatus sum: quæ astruere conatur, pa-
nem & vinum quæ in altari ponuntur, post conse-
crationẽ solummodo sacramentũ, & non verum
corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi,
esse. Consentio autem sanctæ Romanæ ecclesiæ &
apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor de sacra-
mentis dominicæ mensæ eam fidem me tenere, sci-
licet panem & vinum quæ in altari ponuntur post
consecrationẽ, non solùm sacramentũ, sed etiã ve-
rum corpus & sanguinẽ Domini nostri Iesu Chri-
sti esse: & sensualiter nõ solùm sacramentũ, sed in
veritate manib. sacerdotũ tractari, frangi, & fide-
lium dentib. atteri. Hæc est luculenta eius Cano-
nis doctrina, cuius vt Catholicis fidem faciãt plu-
rimum sudant Sophistæ: sed in sexcentis vix vnum
reperias cui tã immitis mãducatio probari & per-
suaderi possit. Quippe humana carne vesci nõ ho-
minũ sed immaniũ Cyclopum esse, qualis extitit
Polyphemus: de quo ita apud Virg. Achęmenides:

Visceribus miserorum & sanguine vescitur atro. Æn. lib. 3.
Vidi egomet duo de numero quum corpora nostro,

„ *Prensa manu magna, medio resupinus in antro*
„ *Frangeret ad saxum, sanieque aspersa natarent*
„ *Limina. vidi atro quum membra fluentia tabo*
„ *Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.*

„ Nam quomodo adduci possint Catholici vt ei
„ Canoni fidem habeant, cui ne ipsi quidem sacer-
„ dotes credant? Quippe, si crederẽt seriò, nũquam
„ Veneris, aut aliis ieiuniorum diebus, vulgares sa-
„ crifici, neque vllo tempore Carthusiani & Cele-
„ stini, Missas celebrare vellent, ne carne vesceren-
„ tur. Effugere certè tantam absurditatẽ nequeunt,
„ nisi manducationem istam spirituali aliqua inter-
„ pretatione leniuerint. Vtcumque interpretentur,
„ hoc certè perspicuum est, id ne missariis quidem
„ sacerdotibus, quod tamen Missæ fundamentũ est,
„ satis persuasum esse. Sed (fortè dixerit vestrûm a-
„ liquis) Catholici Missam audiunt, eamq. appro-
„ bant. Id fieri longo vsu existimo, potius quàm
„ quòd aliter de Sacramento sentiant atq. diximus.
„ Itaque quum in præcipuo capite à nobis non dis-
„ sentiant, posset sine magna ipsorum iactura Missa
„ relegari ad Cyclopum insulas aut Polyphemi an-
„ tro includi, donec ipsa prorsus carere paulatim
Froiss. lib. 1. cap. 47. „ ediscerent. Clemens VI. Papa, olim omnibus sa-
„ cris interdixit Flandris, quod aduersus Galliæ re-
„ gem rebellassent, seuereque edixit, pœna mortis
„ æternæ constituta, ne sacerdotes vllam missam ce
„ lebrarent, néve vlla sacramenta Flandris admini-
„ strarent, donec illi à se Excommunicationis vin-
„ culo soluerentur. Flandri primò Missis ægrè ca-
„ rentes (nam à suis sacerdotibus impetrare nullas
„ poterant) scripsere ad regem Angliæ, qui ipsos
„ [illegible] ad re-

ad rebellium conciuerat. Anglus rescripto monuit, ne animum desponderent: se sacerdotes propediem ex Anglia emissurum. Illis tamen vt traiicerent persuaderi non potuit, Pontificis fulmina in se, si id auderent, vibrata formidantibus. Interea Flandris, dum exspectant, dies quotidie missarum desiderium minuit, & illi paulatim istam inediam leuiter ferre assueuerunt. Multæ quidem hodie prouinciæ, Anglia, Scotia, Dania, & magna Germaniæ pars, non inuitæ Missis & missificis carent: neque Galliam deterius habituram puto, si pacis & concordiæ causa Missæ templis excederent. Ceterum nos Sacramenti vsum iuxta Christi institutionem retineremus: prætcrea Epistolam, Euangelium, & quæcumque ex Psalmis vel Prophetis excerpta sunt: quæ quidem multo fidelius exscripta exsignatáq. reperiremus in Bibliis nostris quàm in Breuiario vel Missali. Cetera nō tanti sunt, vt retineri debeant. Nam quod ad vestes attinet, quis sani iudicij homo ignorat eas nihil nouæ sanctitatis Missæ adiungere? Deinde Gallos pro suo ingenio & arbitrio vestium formam subinde inuertere? Itaq. quamquam vulgo, quod sola externa specie ducitur, detracto sollenni cultu, Missa parū splendida posset videri, (vt si eam Curio in thorace aut tunica, sine toga vel stola, caneret) verum tamen istud est, nullam Missis autoritatem splendore illo vestium conciliari, vt propterea retineri debeant. Quippe si vestes Missam sanctiorem redderent, quo illæ pretiosiores essent eo Missa quoque augustior meliórq. esset. ita missæ diuitum missis pauperum, vrbanæ paganis,

„ præstarent: quando in pagis sacrificæ illæ vestes
„ plerumque viles sunt, aut laceræ. Iam verò, super-
„ fluis istis amputatis, & eiecta è Galliis Missa, ce-
„ tera Religionis exercitia nónne propemodum pa
„ ria cum illis, aut non admodum dissimilia, habe-
„ mus? Illi precum causa in tẽpla coeunt: nos eam-
„ dem ob caussam conuenímus. Illi vt sacram con-
„ cionem audiant, vt Psalmos canant, vt infantes ad
„ Baptismum offerant, sacras ædes frequentant:
„ nos propter eadem ista sacros conuentus celebra-
„ mus. Dicetis, multum tamen inter nos atque illos
„ interesse. quippe illos Latinè orare, nos Gallicè:
„ Catholicos concionatores aliam, aliam nostros,
„ doctrinam prædicare. Ad hæc respondeo, Nihil
„ interesse quo idiomate preces concipias, modò
„ quid dicas intelligas: de ceteris videmur conci-
„ liari posse, quando in præcipuis religionis capiti-
„ bus & fundamentis vtcumque inter nos conuenit.
„ Neque necesse est nos Thomæ Aquinatis aut Bo-
„ nauenturæ, aut Scoti, acumen & subtilitatem as-
„ sequi: neque, etiamsi Transsubstãtiationis & Con-
„ comitantiæ vocabula, Naturam quidditatum,
„ Subsistentiam accidentium sine subiecto, Effecta
„ secundarum intentionum, motum Chimæræ in
„ vacuo, & similia Matæologiæ veriùs quàm Theo-
„ logiæ speculatricis somnia & portenta, ignore-
„ mus, propterea damnabimur. Quod ad Fidem &
„ doctrinam attinet, vtrique Scripturam sacram,
„ Vetus & Nouum testamentum, admittimus. De
„ Baptismi substantia non pugnamus, administran-
„ dum esse videlicet in nomine Patris, Filij, & Spi-
„ ritus sancti, adhibito aquæ symbolo: de ceremo-
niis

niis nonnullis tantùm inter nos controuersia est, "de sputo, sale, & exorcismo dæmonum, quos infan" tium corpora obsidentes inde à se expelli sacerdo" tes Catholici venditant. Quippe hæc omnia, vt "hominum commenta, reiicimus: neq. dubito Ca-" tholicos haud valde repugnaturos quin hæc vt i-" nania tollantur: quum vix nauseam teneant, dum "fœtidos sacerdotes despuere in ora infantium cer" nunt, & sal inspergere: neque credant infantium "corpora à dæmonibus occupari vt exorcismis ne-" cessariò sit opus. Sunt & alia nonnulla, sunt ritus "& ceremoniæ aliquæ, de quibus lis mouetur: sed "tantíne hæc esse debent vt inter duas istas Reli-" giones, quasi planè contrarias, immortales inimi-" citias foueant? Franciscani, Dominicani, & ceteri "monachorū greges, quàm dissimiles ritus, quàm "differentes ceremonias & regulas, habent? illi ta-" men, quamquam plurimis reb. differant, nomine "tamen conueniunt, & omnes vnius Papæ manci-" pia, immò Christiani, appellantur. Itaque quum "multa minimè inter nos controuersa sint, & cete-" ra conciliari posse spes sit, æquúmne est propter "vnum Canonem, Ego Berengarius, &c. cannis, fi-" stulis ferreis, bombardísque, omnia strepere, solo "æquari oppida & arces: postremò armis, incendiis "& sanguine, vrbes atque agros compleri? Nam "propter vnum hunc Canonem oppugnamur, cui "tamen ne illi quidem ipsi credunt, qui nos vi, me-" tu, armis, subigere ad credendum volunt. Sed v-" num etiam caput est, quod in præcipuis poni so-" let, in quo discordes sumus: nimirum, de Papæ au-" toritate, cui nos nihil deferimus. Verùm ne ipsos "

,, quidem Catholicos illũ multo pluris facere quàm
,, nos existimo: neque tanti certè esse debet vt pro-
,, pterea contendamus. Facilè caruerunt maiores
Froiss. lib. 4. c. 58. 91. 97. ,, nostri Papa. cur nos non careamus? Regnante in
,, Gallia Carolo VI, duos Pontifices Papatus ha-
,, buit, Vrbanum & Clementem: Vrbanus Romæ,
Monstr. lib. 1. c. 30. 43. 52. ,, Clemens Auenione, sedebat. Principes Christia-
,, ni & ciuitates vtrum alteri anteponerent nescie-
,, bant. Itaque discessum in partes, & alij Vrbanum,
,, alij Clementem, venerabantur. Galliæ rex cum to
,, to regno diu Clementinus fuit: sed quum, morien
,, te Romæ vel Auenione Papa, in eius locum suffi-
,, ceretur alius, & multas ætates in Ecclesia bicipiti
,, duratura videretur Pontificum pluralitas, Rex ex
,, sui senatus consilio vtrumque hortatus est, vt in
,, potestate Concilij legitimi esse vellent, cuius au-
,, toritate ea controuersia finiri posset. Sed ab illis
,, impetrare non potuit, præsertim ab Auenionensi
,, qui Romano etiam obstinatior erat. Rex igitur,
,, quando hac via non procederet, Academiæ Pari-
,, siensi, ac præsertim Sorbonico collegio, eam rem
,, deliberandam ac consultandam permittit. Erat
,, tum Lutetiæ doctor theologus Ioannes Gigen-
,, curtius, vt eo tempore, doctissimus, qui asserebat
,, Ecclesiam Catholicam facilè Papa carituram a-
,, liquamdiu, imò in perpetuum, & multa huic sen-
,, tentiæ confirmandæ afferebat. Ad summam, ex A-
,, cademiæ sententia decretum est, Ius fásque esse
,, vt Rex se ac regnum suum vtriusque Papæ obe-
,, dientiæ eximeret, donec existeret aliquis legiti-
,, mè & ordine creatus Põtifex. Facilè se interea Pa-
,, pa carituros, quum beneficia & sacerdotia ab or-

dinariis collatoribus conferri, dispensationes & "
indulgentiæ à Galliæ prælatis exerceri, possent. "
Itaque, vt Academia censuerat, edicto Rex vetuit, "
ne subditi, cuiuscumq. ordinis essent, alterutrum "
pro Pontifice legitimo agnoscerent, néve Ro- "
mam aut Auenionem excurrerent ad beneficia, "
dispensationes, bullas & diplomata impetranda: "
graui mulcta constituta qui secus faceret. Edictum "
triennium valuit, & totos tres annos facilè Papæ "
eclipsin tulit Gallia. Nam postea quum in Conci " Froiss. lib. 2. c. 35. lib. 3. c 46. lib. 4. c. 31. & 120.
lio Pisano designatus esset Papa Alexander v, eius "
obedientiæ Rex se ac regnum restituit. Sed totos "
illos quadraginta annos, quibus schisma istud Pon "
tificium durauit, multi Principes ex duobus neu- "
trum agnouere: in iis Rex Aragoniæ, Comes Han "
noniæ, Dux Britanniæ, Respublica Leodiensis. "
Cur ergo nos magis ægrè Pontifice careamus "
quàm illi olim? Neque ego adeò Catholicos tam "
cupidè Romam equis remis properantes video, "
vt Pontificis crepidam osculentur, vt indulgen- "
tias emant, quàm solebant antehac: neque adeo a- "
lieno animo à nobis esse iudico, vt de capitibus ad "
salutem necessariis facilè inter nos conuenire non "
posit. Hæc quum ille loquutus esset, magnam ab
omnibus gratiam iniit: sed inter ceteros nobilis
quidam vir Catholicus gratias illi egit multas,
dixítq. se quidem numquam aliter credidisse atq.
ille esset eloquutus: ceterum id sibi mirum no-
uúmq. accidisse, quod intellexerit tantum Catho-
licis cum Euangelicis plerisque in rebus consen-
sum esse. Tum ille qui sermonem superiorem ha-
buerat, Domini mei (inquit) essétne alienum ser- "

„ moni ſerio & graui iucundum adiungere? Non fore, omnes reſponderunt, & rogarunt vt diceret. „ Ergo rurſum eiuſcemodi orationem cœpit: Di- „ xiſſe me inter cetera memini, Miſſæ nihil prorſus „ ſanctitatis conciliari à veſtib. Quod idem de per- „ ſonis mihi liceret dicere ex vulgari prouerbio, Ha- „ bitus, ſeu veſtis, monachum non facit: niſi hanc „ quæſtionem crebris per quinquaginta annos cer- „ taminibus inter Franciſcanos celebratam & agi- „ tatam intelligerem, quũ inter eos de colore, men- „ ſura & forma, veſtium ſuarum non ſatis conueni- „ ret. Nam glorioſus beatus Franciſcus inter alia „ Regulæ ſuæ capita vnum tali forma ſcripſerat: „ *Mei ordinis monachi vilibus & exigui pretij veſti-* „ *mentis induantur: neque plus vna tunica cum caputio,* „ *ſeu cuculla, & altera ſine caputio, habeant: neque cal-* „ *ceamenta portent: neque in equo iter faciant.*

Lepida historia de veſtimentis Franciſcanorum.

„ Interpretatio ſententiæ huius capitis magnas & „ diuturnas contentiones inter Franciſcanos pepe- „ rit. Itaque in generali Capitulo congregati hoc „ certamen finire conati ſunt, & omnes ad vnam „ eamdémque veſtis formam reuocare. Alij enim „ hoc colore, alij alio, delectabantur: hi breuiores „ veſtes, illi longiores ferebant, prorſus vt diuerſi or- „ dinis eſſe viderentur. Itaque hoc capite in diſce- „ ptationem vocato, de poſteriorib. membris duo- „ bus in eo Capitulo breue certamen fuit. Nã quum „ equitare prohiberentur, decreuerunt aut pedibus „ itinera facere: aut mulis, aſinis etiam, vti. Neque „ aſino iumentum vllum vilius, aut minoris impen- „ ſæ, eſſe. De Calceis ita ſtatuerunt, ſe maxima inte- „ gumenti parte reſecta, lora duntaxat quædam re- lícturos, quibus ſoleæ pedibus innecti & aptari

possent. Ita fenestratis sollertèr calceis, se non "
verè calceos, sed soleas tantùm, laturos. Grauissi- "
mum certamen fuit de Caputio & Tunica. Nam "
tres hîc quæstiones à Franciscanis acutis commo- "
tæ sunt. Prima de Colore, altera de Mensura, ter- "
tia de Forma. In Colore deligendo sententiis quo- "
que certabatur: quum Franciscus de Colore nihil "
nominatim cauisset, sed tantùm statuisset vt sui ve- "
stimenta tenuis pretij ferrent. Hîc ergo spectan- "
dum erat quis colorum vilissimus esset. Nonnulli "
Viridem colorem vilissimum esse censebant: ideo "
tenuis fortunæ homines (vt aurigas, nauicularios, "
& eius classis ceteros) plerùmque eo vti, cóque, "
vt vilissimo, vestimenta duplicari. Adhæc nullam "
parabiliorem materiam esse, quàm eam ex qua ex- "
primitur viridis color: herbis, foliis, baccis, pan- "
num aut linteum eo fuco infici posse. Alij Fuli- "
ginosum, siue Fumeum, colorem anteponebant. "
quippe candidam lanam ad fumum suspensam "
eum colorem sponte trahere. Tertia opinio (& ea "
quidem maximè omnium probabilis) eorum erat "
qui censebant nullum esse viliorem, nec qui ma- "
gis suum ordinem deceret, quàm eum qui velleri "
sua sponte proueniret. Velleribus autem natura "
albis aut nigris animalia ipsa tegi, eámque fuisse "
Francisci mentem, vt ipsius pecudis colorem na- "
tiuum gestarent, quo patientiæ & humilitatis seu "
modestiæ admonerentur. Deinde in aliis colori- "
bus sumtu & labore opus esse: hîc prorsus nullo. "
Itaque sibi videri Franciscanos colore albo vel ni- "
gro commodè vestiri posse. Labantem ordinem "
& his rationibus commotum, retinebant ij qui "

„ priores ſententiam dixerant. Quippe aiebant eo-
„ rum ſententiam qui natiuum pecudis colorem
„ prætulerant, pecuinum & craſſum aliquid ſapere
„ (quod tamen ipſorum bona venia & Capituli di-
„ ctum vellent) quum ipſorum incerta & anceps eſ-
„ ſet concluſio, dum inter album & nigrum ambi-
„ gerent. Deinde ſecum ipſam perſpicuè pugnare,
„ quando res adeo contrarias, id eſt, album cum ni-
„ gro, in vnum confunderet. Præterea non poſſe ſe
„ ſine ſuſpicione ſuperbiæ natiuis ouium coloribus
„ indui: Superbiam peccatorum mortaliũ eſſe gra-
„ uiſsimum, quo Lucifer è cælo ad inferos præceps
„ actus ſit. Poſſe etiam dici de ſe, quòd veniant in
„ veſtimentis ouium, intus autem ſint lupi rapaces:
„ & haberi pro Pſeudoprophetis. Adhæc, à ceteris
„ Mendicantiũ ordinib. occupatos iam eſſe hos co-
„ lores. quippe Dominicanos exteriores veſtes ni-
„ gras, interiores albas, geſtare, Carmelitas contrà:
„ & in vniuerſum monachos omnes qui Regulas
„ Auguſtini, Bernardi, aut Benedicti, obſeruant, al-
„ bis aut nigris vti. Poſtremò, ſi Nigrum colorem
„ Franciſcani eligant, multas eſſe regiones in qui-
„ bus nullæ aut paucæ oues furuæ ſint, vt apud Bitu-
„ riges, Lemouicos, Narbonenſes. Itaq. in iis pro-
„ uinciis coactum iri Fratres carè nigri coloris pan
„ nos emere, & id quidem non modò contra Fran-
„ ciſcanæ Regulæ leges, quæ iubent eos viliſsimi
„ pretij veſtimentis vti, ſed etiam aduerſum ſua iu-
„ ra & priuilegia, quib. cauetur vt quamminimum
„ pro mercibus pretij pendant: quoniam argentum
„ illis tractare nefas eſt. Sin ipſi Albo veſtiri ma-
„ lint, eſſe viciſsim regiones in quibus nullæ aut ra-

ræ oues

ræ oues albæ ſunt, vt in Hetruria & aliis locis. er- “
go eadem ſequutura incommoda. Quamobrem “
ſe in ſentẽtia permanerè, vt Viridis aut Fuliginei “
coloris veſtibus à ceteris diſcernerentur. Hac ora- “
tione quum ij qui ipſius pecudis colorem proba- “
rant, perſtringi ſeſe ſentirent: ita reſponderunt vt “
dicerent nihil ea opinione eſſe abſurdius. Nam “
(aiebant) Viridis color, numquid ſtultorũ color “
eſt? Scilicet qui alios ad ſapientiam hortantur, “
moriones amictu referent? Deinde in regionibus “
in quibus vellera tantùm furua proueniunt, quo- “
modo furuum viridi aut fumoſo tinges? Ita inca- “
leſcebat certamen inter Fratres, & apparebat rem “
ad pugnos venturam, niſi aliquot Patres ſeniores “
Fratribus ſilentium indicerent. Itaque direme- “
runt illi certamen, & dixerunt quæſtionem eſſe ar “
duam & quæ à ſe diſſolui non poſſet: ac proinde “
ad Papam reiiciendam videri. Papæ nomine au- “
dito, omnes protinus conticuerunt. “

SECVNDVM hæc, Patrum natu maximus “
alteram quæſtionem de tribus ad Capitulum retu “
lit, nempe de Menſura veſtium, Longæ'ne an bre- “
ues, fuſæ an arctæ, eſſe deberent. Multi ex primis “
ſubſelliis ſententiam rogati, cenſebant ſtrictas & “
breues magis decere. Nam (inquiebant) eiuſce- “
modi veſtes fuſis & longis viliores ſunt: & vilibus “
vti leges noſtræ præſcribunt. Præterea glorioſus “
S. Franciſcus autor & fundator huius ordinis, iuſ- “
ſit nos eleemoſynis viuere. Neque exſpectandum “
vt ſtipes vltro nobis huc ſtertentibus congeran- “
tur: niſi eſurire velis, quærendæ ſunt, & quidem “
procul nonnumquam. Itaque quacumque anni “

„ tempeſtate, ſeu ſerena, ſeu fœda, peregrè nobis
„ eundum eſt, præſertim Quadrageſimæ & Aduen-
„ tus tempore ad concionandum. Peregrinantes au
„ tem parcæ & expeditæ veſtes nónne multo magis
„ quàm longæ & fluxæ iuuant? Hanc ſententiam po
„ ſteriores ſibi abſurdam & ridiculam videri dixe-
„ runt: quippe Fratres, ſi artè veſtirentur, molitori-
„ bus quàm monachis ſimiliores fore: atque adeò
„ eos Fratres qui tali forma veſtium vti iam inſti-
„ tuiſſent, ad omnium ludibria expoſitos, Franciſ-
„ canos Curtos vocari. Sed ſibi lõgè honeſtiores eſ-
„ ſe veſtes longas & fuſas: atq. id intellexiſſe Fran-
„ ciſcum, quum in eo Regulæ articulo vſus eſſet Tu
„ nicæ vocabulo. Eo enim longam veſtem ſignifica
„ ri. Prætcrea religioſos viros decere longum veſti-
„ mentum, breue laicos: ac monachis talem cultum
„ plus venerationis & autoritatis apud homines
„ conciliare. Quid cauſæ eſſe quare à ceteris mona-
„ chorum ordinibus veſtium menſura differant? e-
„ gregium ſcilicet ſpectaculum (aiebant) ſi molito-
„ rum aut militum inſtar veſtiti ſuggeſtum con-
„ ſcenderemus? Sed qui priores ſentẽtiam dixerant,
„ contrà niti & propoſitum defendere. Se à S. Fran-
„ ciſco humilitatem & animi demiſſionem didiciſ-
„ ſe: nec propterea vſurpandas longas veſtes, vt ab
„ hominibus venerationem & honorem captarent.
„ Ceterum Tunicæ vocabulo non veſtem vſque ad
„ talos demiſſam, ſed ſagum aut epheſtridem, ſigni
„ ficari, neque ex Dictionario fratris Ambroſij Ca-
„ lepini (qui Franciſcanus fuit) probari poſſe Tu-
„ nicam pro longo veſtimẽto vſurpari. Id enim To
„ gam dici. Itaque pro ſe ipſius Regulæ verba face-
re.

re. Nam quòd ceteri monachi longiori veste vtan- “
tur, eo se rectius breui vsuros, vt ab aliis internos- “
cantur. Cuculla verò (aiebant) nos à Laicis & vul- “
go distinguet. Nam ne ipsa quidem vestium lon- “
gitudo satis eximere nos potest à communi & po- “
pulari vsu, quando in Laicis, procuratores, aduo- “
catos, consiliarios, medicos, atque ipsos etiam “
mercatores in suis tabernis, togatos & stolatos “
cernimus. Non ignoramus id vestis genus primo “
aspectu nouum & peregrinum visum iri: sed quæ “
prius noua erant, vsu & tẽpore inueterata in con- “
suetudinem vertunt. Ergo Patres, quum perpe- “
tuis certaminibus extrahi diem viderent & alia ex “
aliis nasci, Fratres, vt primò, silentium agere iu- “
bent, & tam difficilem controuersiam Papæ fi- “
niendam relinquere. Ceterum conandum esse vt “
postremam saltem quæstionem de Vestium for- “
ma in hoc Capitulo expediant. “

HVIC primariæ quæstioni multæ suberant, nẽ- “
pe, Vtrum vestes simplices fieri an duplicari debe- “
rent: Vtrũ collaria & manicas habere, an secus: V- “
trum pendulis & fluctibus maniciis, nécne: Vtrum “
cucullam acutã, vt Carthusiani gerũt, an rotundã, “
vt ceteri, esse oporteret. Ac de his omnib. multùm “
atq. acriter in eo Capitulo disceptatum est. Non- “
nullis videbatur, manicas demissas ac pendentes “
indecoras: latas tamen & patentes, nec inhonestas “
nec incommodas, fore. quippe ad condendas sti- “
pes vsum perę aut sacci præbituras. Nã quũ bonus “
parẽs noster S. Frãciscus (inquiebant) iusserit nos “
mẽdicato pane viuere: alio verò Regulæ capite ve- “
tuerit ne saccũ aut perã gestemus, facilè intelligi “

„ tempestate,seu serena, seu fœda, peregrè nobis
„ eundum est, præsertim Quadragesimæ & Aduen-
„ tus tempore ad concionandum.Peregrinantes au
„ tem parcæ & expeditæ vestes nónne multo magis
„ quàm longæ & fluxæ iuuant? Hanc sententiam po
„ steriores sibi absurdam & ridiculam videri dixe-
„ runt:quippe Fratres,si artè vestirentur, molitori-
„ bus quàm monachis similiores fore: atque adeò
„ eos Fratres qui tali forma vestium vti iam insti-
„ tuissent, ad omnium ludibria expositos, Francis-
„ canos Curtos vocari.Sed sibi lõgè honestiores es-
„ se vestes longas & fusas : atq. id intellexisse Fran-
„ ciscum,quum in eo Regulæ articulo vsus esset Tu
„ nicæ vocabulo. Eo enim longam vestem significa
„ ri. Præterea religiosos viros decere longum vesti-
„ mentum,breue laicos:ac monachis talem cultum
„ plus venerationis & autoritatis apud homines
„ conciliare. Quid causæ esse quare à ceteris mona-
„ chorum ordinibus vestium mensura differant? e-
„ gregium scilicet spectaculum(aiebant)si molito-
„ rum aut militum instar vestiti suggestum con-
„ scenderemus? Sed qui priores sentẽtiam dixerant,
„ contrà niti & propositum defendere. Se à S. Fran-
„ cisco humilitatem & animi demisionem didicis-
„ se: nec propterea vsurpandas longas vestes, vt ab
„ hominibus venerationem & honorem captarent.
„ Ceterum Tunicæ vocabulo non vestem vsque ad
„ talos demissam,sed sagum aut ephestridem, signi
„ ficari,neque ex Dictionario fratris Ambrosij Ca-
„ lepini (qui Franciscanus fuit) probari posse Tu-
„ nicam pro longo vestimẽto vsurpari. Id enim To
„ gam dici. Itaque pro se ipsius Regulæ verba face-

re.

re. Nam quòd ceteri monachi longiori veste vtan- "
tur, eo se rectius breui vsuros, vt ab aliis internos- "
cantur. Cuculla verò (aiebant) nos à Laicis & vul- "
go distinguet. Nam ne ipsa quidem vestium lon- "
gitudo satis eximere nos potest à communi & po "
pulari vsu, quando in Laicis, procuratores, aduo- "
catos, consiliarios, medicos, atque ipsos etiam "
mercatores in suis tabernis, togatos & stolatos "
cernimus. Non ignoramus id vestis genus primo "
aspectu nouum & peregrinum visum iri: sed quæ "
prius noua erant, vsu & tēpore inueterata in con- "
suetudinem vertunt. Ergo Patres, quum perpe- "
tuis certaminibus extrahi diem viderent & alia ex "
aliis nasci, Fratres, vt primò, silentium agere iu- "
bent, & tam difficilem controuersiam Papæ fi- "
niendam relinquere. Ceterum conandum esse vt "
postremam saltem quæstionem de Vestium for- "
ma in hoc Capitulo expediant. "

HVIC primariæ quæstioni multæ suberant, nē- "
pe, Vtrum vestes simplices fieri an duplicari debe "
rent: Vtrū collaria & manicas habere, an secus: V- "
trum pendulis & fluctibus manicis, nécne: Vtrum "
cucullam acutā, vt Carthusiani gerūt, an rotundā, "
vt ceteri, esse oporteret. Ac de his omnib. multùm "
atq. acriter in eo Capitulo disceptatum est. Non- "
nullis videbatur, manicas demissas ac pendentes "
indecoras: latas tamen & patentes, nec inhonestas "
nec incommodas, fore. quippe ad condendas sti- "
pes vsum perę aut sacci præbituras. Nā quū bonus "
parēs noster S. Frāciscus (inquiebant) iusserit nos "
mēdicato pane viuere: alio verò Regulæ capite ve "
tuerit ne saccū aut perā gestemus, facilè intelligi "

„ poteſt eius hanc fuiſſe mentem, vt grandes mani-
„ cas ferremus. Nam vbi, extra manicas, emendica-
„ tas ſtipes conderemus? Alij contrà ſentiebant,
„ Latas cariores eſſe ſtrictis: ac proinde ſuæ Regu-
„ læ repugnantes. Ceterum circumduci poſſe à Fra
„ tribus ſeruulum, qui in ſacco aut pera collectas e-
„ leemoſynas condat, immò etiam pecunias, ſiquis
„ largiretur.

„ MVLTA alia acutè admodum & ſubtiliter in
„ hoc argumento diſputata ſunt. Ac videbatur non-
„ nullis forma cucullæ Carthuſianæ decora, argu-
„ ta & digna quam vſurparent: quippe eam allego-
„ ricè ſignificaturam ipſos eſſe acuto ingenio: ita
„ breui, parta ſubtilitatis & acuminis fama, ſuas
„ conciones celebres & frequentes fore. Sed Senio-
„ res, quum nihil in eo Capitulo diffiniri poſſe in-
„ telligerent, & Papam de tribus iſtis ſimul quæ-
„ ſtionibus adeundum & conſulendum eſſe decre-
„ uiſſent, conuentum dimittunt.

„ ALIQVANTO pòſt delecti nonnulli commu-
„ ni conſilio ordinis Romam profecti, Nicolaum
c. Exiit qui ſeminat. §. De vilib. De verb. ſignif. In 6. „ III. Pontificem, anno CIↃ. CC. LXXX. adeunt.
„ Ei exponunt omnem grauem illā controuerſiam,
„ & eam vt ſua autoritate aliquando finiat obſe-
„ crant. Papa cum Cardinalium collegio, ſuper in-
„ tellectu & obſeruantia Regulæ ordinis Fratrum
„ minorum, non minus hæſit quàm in ſuo illo Capi
„ tulo Fratres cordigeri. Ex ſententia tamen Cardi
„ nalium conſtitutionem ad declarationem ipſius
„ Regulæ illis conceſsit, qua ſanxit vt quod ad ambi
„ guitates illas omnes attinet, id ſtrictè in poſterum
„ obſeruaretur, quod inter ipſos Fratres in genera-
li vel

li vel in prouincialibus Capitulis statutum esset. «
Ea tamen lege, vt semper in eis & eorum actibus «
paupertas sancta reluceret: prout ipsis ex eorum «
regula inuenitur indicta. Sed hoc erat in altiora «
certamina eos demergere quàm antea. Itaq. quum «
ex decreto Papæ multa Capitula eius rei caussa «
conuocassent, nihilo facilius quàm antea commu «
ni consensu aliquid certi statuere potuerũt. Quã- «
obrem multis frustra colloquiis habitis & diu al- «
tercando fessi, Papam rursus consulere statuunt. «

ERGO trigesimo vno anno post primam illam «
generalem disceptationem delectos quosdam ex «
suo corpore ad Clementẽ v. mittunt (qui tum, an «
no videlicet CIↃ. CCC. XI, Viennæ Cõcilium «
habebat) eíque exponunt se ex mandato & decre- «
to Nicolai Papæ eius prædecessoris nihil non ten- «
tasse vt se ex tot ac tantis difficultatibus expedi- «
rent. Nec potuisse quidquàm ad exitum perduce- «
re, emergentibus subinde nouis aliis super alias «
quæstionibus in Fratrum animis. Itaque se ad eum «
confugere, velut oraculum veritatis, qui sciret & «
posset soluere omnes difficultatum nodos, & plu- «
res alios. Papa re ad Cardinalium, prælatorum, «
Doctorum, & ceterorum qui Concilio intere- «
rant, collegium relata, non minorem omnibus in «
quæstione tam ardua dubitationem iniecit, quàm «
Nicolai & Cardinalium antè fuerat. Ne tamen «c Exiui de
Fratres cordigeri inanes & sine oraculi responso «Parad. De
abirent, oraculum verè illis editum est, id est, ob- «verb. sign. in Clem.
scurum, anceps & ambiguum, responsum, quo Pa «
pa, ex Concilij sententia, huiusmodi vilitatis, «
formæ, coloris, quantitatis, vestium iudicium eo- «

,, rum miniſtris & cuſtodibus,ſeu guardianis,com-
,, mittebat (quum non poſſet determinatus vnus
,, modus quoad regiones omnes in talib. aſsignari)
,, & eorum ſuper hoc conſcientias onerabat.ita ta-
,, men ,vt ſeruarent vbique vilitatem in veſtibus.
,, Quamobrem , omiſsis in poſterum omnibus am-
,, bagibus & tot labyrinthis argutiarũ, ſuorum mi-
,, niſtrorum, cuſtodum,guardianorũ, iudiciis obe-
,, dienter ſtarent. Delecti ergo bullam illam ſecum
,, domum referunt : ſed ne illius quidem autoritate
,, controuerſias ſuas finire,& veſtimentis certam le
,, gem ſtatuere,potuerunt.Hærebat enim ſemper a-
,, liquis ſcrupulus in ſententiis & iudiciis Guardia-
,, norum,de quo Fratres litem mouerent.immò di-
,, cebant audacter illos mentem legiſlatoris non te
,, nere,neque ſatis attentè benedicti S.Franciſci re-
,, gulam legiſſe : & eſſe pecudes. In eo Fratrum ad-
,, uerſus Guardianos & Generales ſuos miniſtros
,, altercantium iurgio , re tam integra quàm initio
,, fuerat,multi anni conſumti ſunt.
,, TANDEM anno CIↃ. CCC. XXIII. Guardia
,, ni & Prælati ordinis Ioannem XXII. Papam adie-
,, runt, conquerentes ſuis ſuper hac re determina-
,, tionibus & iudiciis (declaratione & bulla Cle-
,, mentis Papæ ſibi commiſsis) multos plus quàm
,, oportet ſapere volentes non obtemperare.Itaque
,, eius ſanctitatem ſe rogare,vt ei malo mederi vel-
,, let. Papa vt eam cauſſam ritè & ordine tractaret,
,, eis repugnãtes fratres audire voluit.Itaq.ad iſtos
,, qui Guardianorum & ſuperiorum ſui ordinis
,, ſententiis ſtare nollent,ſcribit vt ſuas rationes ex-
,, poſitum veniant,aut deſcriptas mittãt. Miſerunt.

Papa

Papa cum Cardinaliũ collegio eas in conclaui co " ram ſe legi iubet. Quid multa? vniuerſo Conſiſto " rio ita ſubtiles & acutæ viſæ ſunt, vt quid in re " tam perplexa decernerent, non inuenirent. Papa " tamen, vt aliqua ratione ſcrupuloſam iſtam cali- " ginem detergeret, reſpondere aliquid ſtatuit. I- " taque bullam & declarationem edit, qua decla- " rationes deceſſorum ſuorum Nicolai & Clemen- " tis ſummopere laudat, ac mirari ſe dicit quomo- " do eorum determinationes ſolidæ, lucidæ & mul- " ta maturitate digeſtæ, nonnullis non ſufficerent. " Deinde declarat & decernit, vt vilitas veſtium ad " conſuetudinem vel conditionem patriæ exiga- " tur, & huius vilitatis iudicium miniſtris & guar- " dianis relinquit. Eorumdem iudicio committit " determinare, arbitrari & præcipere, cuius longi- " tudinis, & latitudinis, groſsiciei & ſubtilitatis, for " mæ ſiue figuræ, atque ſimilium accidentium, eſſe " debeant tam habitus ipſorúmque caputia, quàm " interiores tunicæ, quibus Fratres omnes minores " dicti ordinis induuntur. & ſuper his eorumdem " miniſtrorum, cuſtodum & guardianorum, con- " ſcientias onerat. Poſtremò ſtatuit & diſtrictè præ " cipiendo mandat, vt in prædictis & eis ſimilibus " eorum arbitrium, determinationem, ſiue iudi- " cium, præciſis omnibus argutiarum & obiectio- " num amfractibus, Fratres omnes & ſinguli ſequi " & per omnia illis parére teneantur. "

c. Quorumdam. De verb. ſignif. In Extrau. Io. XXII.

HAEC in ſumma continet bulla Ioannis: vnde " apparet nihil ab eo, aut à Conſiſtorio Pontificio, " certi ſuper ea re conſtitutum eſſe, nulláq. præſcri- " pta legis formula finitam fuiſſe eam litem. Qua "

„ ratione in concordiam postea redierint, nescio:
„ ex eo tamen colorem album cum nigro vsurpa-
„ runt, qualis sponte prouenit, & tertium quemdam
„ (qui & ab ipsis Gris-fratres nomen accepit) ex
„ duobus istis in vnum confusis fecerunt. Denique,
„ sicuti hodie videmus, & demissas ad talos vestes &
„ grandes cucullas gerunt: & præterquam manicis
„ cetero cultu inter se conueniunt. Alij enim etiam
„ hodie patulas, alij substrictas & collectas, gestant.
„ Hæc habui quæ narrarem vobis de certamine ob
„ cultum, seu habitum, inter Franciscanos orto, &
„ tribus Decretis à totidem Pontificib. ob eam rem
„ editis, quorum postremum sicuti Extrauagans no-
„ minatur, ita re ipsa est: nec cetera etiam minus.
„ Hanc historiam rogo vos vt bonam in partem in
„ terpretemini: neq. profectò eò à me commemo-
„ rata est, vt quemquam offenderem vestrûm: sed vt
„ hasce aliquot horas vobiscum fallerem, dum iti-
„ neri tempus opportunum adesset. Ille absoluit:
nos eo acroamate, lepido certè & nobis non antè
audito, mirificè exhilarati, quò quemque sui vsus
ferebant diuersi discessimus. Sed omissis amœ-
nis diuerticulis, Machiauellum audiamus.

I. THEOREMA.

Principi ante omnia optandum est vt pius videatur, etiamsi non sit.

HOMINES ferè (inquit Machiauellus) externa tantùm specie ducuntur, & omnia facta non ex caussis sed ex euentu æstimant. Itaque satis est Principem externa specie pium & religiosum videri, etiamsi ex animo non sit. Tametsi enim nonnulli, qui propius illum norunt, fictam eius pietatem nudent: communi tamen iudicio vulgi repugnare non audebunt, cui persuasum est verè esse pium Principem. Cap.18.de Principe.

HOC Axiomate Machiauellus planè ἄθεος Principem docet, Deum & omnem religionem contemnere, & fallaci specie pietatis existimationem sibi apud homines quærere. Ceterum eiuscemodi simulationis nullam pœnam reformidat Machiauellus, quum Deum esse non credat: & cursum solis, lunæ, siderum, tempestatum vicissitudines, plantas, animalia, temerè & fortuitò fieri vel nasci existimet.

Nam si Machiauellus crederet hæc à suprema aliqua caussa gubernati (sicuti sensus communis & naturæ iudicium, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, & ceteros saniores philosophos coegit fateri) simul crederet Deum esse à quo hic mundus regitur & quæcumq. in eo sunt. Porro si Deum esse crederet, crederet quoque ipsum nolle ludibrio se haberi à suis creaturis: sed illi, vt summo regi ac moderatori, pium ac iustum cultum deberi. Ergo Principem eiuscemodi præceptis non imbueret: Ne videlicet sit pius, & velit tamen haberi. Nam quid est Deum ludificari, si hoc non est? Haud dubiè tales Cyclopes, aut Gigantes, qui vecordi audacia Dei patientiæ illudunt, sentient tandem aliquando Deum sedere in cælis iudicem. Infelicissima quidem vel hoc vno nomine nostra est ætas, quæ talibus monstris infesta atque infamis vsqueadeo impietate & Dei contemtu infecta est, vt quo quisq. intestabilior & irreligiosior est, eo apud aulicos gratiosior sit. Quippe aulico sermonis genere eiuscemodi Alastores, strenui viri, alacres & obsequentes, vocantur: quòd excussa omni pietate, & lectis Machiauelli libris, nulla religione impediuntur quominus quiduis audeant. Iube veneno aliquem aggredi, aut iugulare: venena spargere & sicas distringere didicerunt. Iube vt Catholicos honestos spolient: adeò cupidè id agunt, vt ne ab Ecclesiasticis quidem manus abstineant. Sacerdotia militari habitu & palliati occupant, neque in iis vlla Ecclesiastici muneris parte defunguntur: mulgere, tondere, deglubere, prima illis & sola cura est. Immò nihil vsquam

Ordo rerum naturalium, Deum aliquem esse docet.

Athei vulgò in Aulis gratiosi.

vsquã sæuitiæ, nihil oneris, nihil tributi, reliquum faciunt, quod nõ excogitent vt miseræ plebis fortunas & sanguinem exsugant. Nuper vectigal in lites imposuerant in Gallia, neque cuiquam licebat cum quoquam iure experiri & suum obtinere, quin partem summæ de qua litigaretur, tamquam vectigal, pendisset: sed illud sublatum est, Machiauellitis frustra renitentibus, à generoso Principe, felicis memoriæ, Condæo. Inuenta quoque ab illis sunt noua portoria & tributa, in chartam, in hospitia, quæ hospites & viatores penderent: præterea immunitatem accipiendorum militum, tutelarum, curationũ, præfecturarum, consulatus, ceterorúmq. ciuilium munerum, quæ non nisi ab impiis & nulla patriæ caritate affectis, recusari possunt, venalem & stipendiariam fecere. Noua inuentio parui sigilli quo contractus obsignantur, nónne ex eorum officina prodiit? Nisi Euangelici querelis & clamore omnia implessent (qui soli ad hanc diem aduersus istas hirudines liberam vocem mittere ausi sunt) iam cudebantur edicta, quibus imperaretur tributum in singulos infantes qui baptisarentur, & exigeretur dotium vicesima, eáque pecunia præsens numeraretur. Quid? Iuridicorum munerum venditionem nónne in vsum reuocarunt, in concilio Statuum, quod Aureliæ ante aliquot annos habitum est, abolitam? Quis officia Consiliariorum stipendiis carentia ad conflandas pecunias inuenit? Quis præter eos, magno Reip. detrimento, auxit per hosce annos augétque pretium pecuniæ? Postquam redemturis, conductionib. mensis, magnam vim

Athei nouorum vectigalium inuentores.

Capitatorum collegere, augent eorum pretium in verſura,& diſtrahunt: deinde collectis coronatis,pretium quoque eorum intendunt: denique omnis generis monetæ æſtimatione exaggerata,pecunias nouo genere fenoris auctitant. Interea nemo queritur, quia priuatim nulla iactura fit: & quibus nummi ſunt, creſcere videntur: ſed tandem liquidò apparebit (fortaſſe ſerò) materiã magnis turbis eam rem præbituram eſſe, quemadmodum etiam aliquando ſimilem ob cauſſam ortæ ſunt. Ceterum iſti pacis mentionem nullam admittunt, quia rebus turbidis licentius & maiore præmio, minore metu, rapinas & ſcelerum reliqua exercent. Habent in promtu Machiauelli placita,
» queis pacem morentur. Princeps(aiunt)ſubditos
» metu continere potius quàm beneuolentia debet.
» Si pax, qualem iſti rebelles flagitant, concedere-
» tur, videretur rex timere ſubditos, quem ipſis for-
» midini eſſe decet. Pacem quidem quæ nobis ta-
» lem victoriam de iſtis ſponderet, qualem S. Bar-
» tholomæi die tulimus, non inuiti daremus. Nam & hoc alterum eſt ex ipſorum dogmatis, Principi fidem & promiſſa ſeruanda nõ eſſe, niſi quantum poſtulat ipſius vtilitas: denique non minimam eſſe Principis dotem, ingenium pro arbitrio & tempore ſcire fingere, vt more Vulpis quos volet in inſidias pelliciat: pellectos inſtar Leonis iugulet.

Athei in omne ſcelus prouoluuntur, quia Dei iudiciũ non metuunt.

Miramur eos qui tam impurè loquantur, tam flagitioſè viuere? & nihil eſſe libidinis, nihil fraudis, nihil ſceleris, quod iſti non moliantur: quia nullum eſſe Deum ſibi perſuaſerunt, qui de tot ſceleribus ac flagitiis pœnas aliquando expetat? Miramur

ramur Galliæ vastitatem, parentes liberis, fratres fratribus, quæ in pace cara & sancta sunt, ciuilib. discordiis infensa & confusa, Ecclesiã collapsam, plebem perditam, nobilitatem propemodum extinctam? Nos Dei iusta ira, nos nostra impietas, in discordiam egere. Alij impium animum palam gerunt: alij, quos ire obuiam nascenti malo decebat, dissimulando tantam pestem alunt. Ergo nos Deus meritò eadem pœna inuoluit: neque vmquam horrendum illud Impietatis crimen Domini manum & cœlestes pœnas effugit. Impietatis Deus seuerus vltor.

C. Caligula bruto Dei contemtu insignis fuit: is ergo exsequebatur studiosè quod hîc Machiauellus docet: fingebat se cum Ioue fabulari, se cum Castore & Polluce velut tertium fratrem familiariter versari: immò aliquando etiam coire cum luna. Ita non tantùm sibi pietatis opinionem in hominum animis, sed diuinitatis quoq. famam, conciliaturum existimabat. Eo tamen nemo diuinitatem omnem audacius spernebat: sed idem, quum deos omnes ludibrio haberet, ad minima tonitrua & fulgura cõniuere, caput obuoluere, ad maiora verò proripere se è strato, & sub lectum se condere, consueuerat. Vnde id, obsecro, nisi quòd conscientia, sonora eius voce quem deridebat, territa, mentem commotam vastabat? Expeditione quidem Germanica aduersus barbaros minacissimus, quum trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter essedo faceret, dicente quodam non mediocrem fore consternationẽ sicunde hostis appareret, equum illico conscendit, & aufugit. Sed sicuti pauidus, ita crudelis erat: & has Suet. in Caligul. cap. 51. Dion. in Caligula.

quidem virtutes, sæuitiam simul & pauorem, in Machiauelli discipulis plerumque animaduertas. Caligulam verò ita Diuinitati illudentem pœna non deseruit. Nam à Casßio Chærea & Corn. Sabino tribunis prætoriæ cohortis confossus est: ac serò tandem intellexit se deum non esse. Dion scribit nonnullos eius mortui carnem degustasse, fortè vt experirentur an deorum caro iucundi saporis esset.

Pomp.Lætus in Phil. PHILIPPVS (qui Imperium tenuit in ipsis Christianæ Ecclesiæ primordiis) Arabs erat & impiger: ceterum nullus in eo Dei metus, nulla fides, nulla religio. Quo tamen callidè scelera velaret, vt si Machiauellum legisset, ita agebat: cultum nominis Christiani simulabat. Sed Deus hoc profani hominis ludibrium diutius nō tulit. Nam quum quinque annos imperasset, cum filio à militibus interemtus est.

P.Lætus in Iuliano. Amm.Marcell.lib.21. & 22. IVLIANVS, cognomento Apostata, Religione Christiana à primis annis imbutus est. Sed quū Libanium profanum Sophistam, & Machiauelli germanum, præceptorem habuisset, deorū & dæmonum cultum amplexus est. Vt tamen omnes ad sui fauorem inliceret, adhærere cultui Christiano fingebat, à quo pridem occultè desciuerat, arcanorum participib. paucis, aruspicinæ auguriisque intentus. Sed vt hæc interim celarentur, feriarum diebus in Ecclesiam Christianorum ingressus sollenniter orabat. Vbi verò Lutetiæ Augustus salutatus est, & quæ verebatur sublata sunt, adesse sibi liberum tempus faciundi quæ vellet ratus, arcana pectoris nudauit, & planè absolutis de-

cretis

cretis aperiri templa aríſque hoſtias admoueri, & deorum cultum reparari, ſtatuit. Ac quamquam apertè Chriſtianam religionem non aboleret, clanculum tamen eam variis artibus ſubuertere moliebatur: quum literarum ſtudia & militiam Chriſtianis interdiceret, & pleroſque præmiis & illecebris à vera pietate auerteret. Ergo talis Princeps ἄθεος & Apoſtata, annum alterum & trigeſimum agens, quum Perſis bellum inferret, ſagitta transfixus periit. Memoriæ proditum eſt à nonnullis, eum in nefariam vocem erupiſſe, Viciſti Galilæe. ſic enim Chriſtum per ludibrium etiam tum appellabat.

Fere quidem vſuuenit vt eiuſcemodi profani homines, Deo neglecto ad dæmonum præſtigias deflectant. Eos enim quum alicuius numinis imperio ſubiici, velint nolint, neceſſe ſit, vbi Dei obſequium exuere, Satanæ vti domino ſeſe mancipant. Sic Caracalla, Dei audaciſsimus contemptor, magicis ſacris & veneficiis animum adeo appulit, vt deorum dæmonúmq. etiam rimari arcana vellet, accitis vndique magis, aſtrologis, aruſpicibus. Quúmque aliquando vt occultis morbis mederetur multorum manes euocaſſet, in his animas patris & Cõmodi: ex iis nemo ei quidquam reſpondit præter Commodum (vel potius cacodæmonem) qui ita dixit Στεῖχε δίκης ἆσσον: Perge citò ad ſupplicium. Expeditione in Meſopotamiam ſuſcepta, ſcripſit ad Maternianum quemdam, cui rerum ſuarum omnium curam in vrbe crediderat, & conſcium omnium ſecretorum habebat, magos vndique optimos conquirat, atque euocatis

Dion in Ant. Carac. Herod. lib. 4.

mánibus de fine ipſius vitæ conſulat, & an quiſquam imperio inſidietur. At Maternianus nauata Principi opera, ſiue id reuera manes ſignificauerant, ſiue alioqui Macrinum peroſus (is cum Audentio exercitui præerat) reſcribit Antonino, Macrinum eſſe qui inſidietur imperio, eúmque è medio tollendum. Has literas, vt mos eſt, cum reliquis obſignatas, dat ignaris quid ferrent tabulariis. Eum literarum faſciculum Antonino reddũt, in quibus etiam erat Materniani funeſta Macrino epiſtola: ſed is ſtudio iam omni atque animo ad aurigandum intentus, imperat Macrino vt ipſe literas ſeorſum inſpiciat, ac ſiquid maioris momenti ſit, renuntiet: ſin minus, ipſe de more ſuum, id eſt præfecti, officium exſequatur. Ipſe deinde ad ſtudium perrexit: Macrinus ſeorſum ſolutis omnibus epiſtolis, etiam in eam incidit quæ ipſi perniciem afferebat. Ergo gnarus Antonini truculentiæ, & metuens ne iterum iiſdem de rebus Maternianus ſcriberet, maluit ipſe occupare quàm exſpectando pati. Itaq. ſubtracta ea epiſtola, Martialem quemdam centurionem, aliis de cauſis Antonino infenſum, ad eius cædem ſubornat. Is captato tempore Antoninum ad exonerandam aluum ſecedentem & auerſum, pugione traiicit. Hoc Impietatis & ſtudij infelicis Antoninus præmium tulit. Cui enim non apparet ſtructas ei à Satana eas inſidias fuiſſe, & Macrino propoſitũ vitæ diſcrimen, vt ſegnem alioqui & timidum ad tam audax inceptum impelleret?

Monſtr. l. lib. 2. c. 248. ANNO CIↃ. CCCC. XL, Rezi in Britannia minore dominus, Mareſchallus Galliæ, vt ad ſummos

mos quosque honores ascenderet, deuotionibus magicis & Necromantiæ operam dedit. Inter alia, infantium sanguine, quos plures interfici curauerat, ad conscribendas inuocationes dæmonum abutebatur. Denique diaboli ope fastigium suum adeo extulit, vt ducis Britaniæ iussu captus, & cognita caussa iudicio damnatus sit, & in Nannetensium foro exustus.

POSSEM enumerare multos effrenatos Dei & Religionis contemtores, quos Deus acerrimè est vltus: & exemplorũ veterum, recentium etiam, copia est. Memoria nostra Iodellius, tragœdiarum scriptor, tragicum exitum inuenit. nam luxu, ganea, stupris, ex Epicureorum disciplina, patrimonium quum consumsisset, miserrimo genere mortis fame interiit. Lignerolius aulicus, qui vt industriam & dexteritatem suam probaret, in Aula palam Atheismum profitebatur, quomodo periit? Vnde se auctum iri sperabat, ibi perniciem inuenit. Landius, Bissius Vasco, & alij quorum nominibus parco (propter propinquos, quorum honori & famæ id à me datur) nónne, postquam Religionis cultum abiecerant, infelicem vitæ exitum nacti sunt? Sed ne in re tam perspicua diutius immorer, nobile vnum tantùm exemplum adiiciam, eorum videlicet qui zeli & studij erga ecclesiam specie, patriam discordiis & bellis lacerant: quúmque prætexant se Religionem Patrum integram seruare velle, nihil inter cædes & rapinas meditantur quàm vt sese sanguine ac visceribus Reipubl. expleant. Falsi Zelotæ auitæ Religionis, impij & crudeles.

IOSEPHVS Claudij Imper. tempore complu- Ioseph. de

bello Iud. li. 4. cap. 5. lib. 6. cap 1. 2. & seq. & toto libro 7.

res in Iudæa motus coortos esse scribit. Et seductores multos specie Religionis nouis rebus studentes populum circumduxisse: tum magos & latrones exortos, qui, plebe ad libertatem vocata, omnia incēdiis & ferro miscerent. Donec aperta rebellio sub Nerone erumperet, à quo Vespasianus ad Iudæam perdomandam cum imperio missus est. Confluxerant inter ceteros Hierosolyma omnium Iudæorum nequissimi, qui quum se auitæ religionis memores Templum & ritus patrios tutari velle dicerent, Zelotas se nominabāt: quum nihil sceleris omitterent. Illi quum à Vespasiano, Iosepho quoque ipso internuncio (qui eius belli historiam scripsit) ad pacem accipiendam sollicitarentur, ísque polliceretur se patrios illis ritus & ceremonias relicturum, omne tamen pacis commercium peruicaciter abnuebant. Igitur ex furioso isto zelo eò amentiæ prolapsi sunt, vt & Templo ignem iniicerent, cuius tutandi causa venerant: & Religionem euerterent, propter quam arma ceperant: séque, & Hierosolyma, atque innumerabilem vim imbellis populi, specie pietatis (qua prorsus vacui erant) miserabili & lugubri exitio inuoluerent.

Pietati Deus benedicit.

PRINCIPEM igitur planè diuersum animi habitum affectúmque induere decet, quàm isto dogmate præcipit Machiauellus. Quippe seipsum vt seriò Deum metuat, eíque non simulatum obsequium ac cultum præstet, Christianæ religionis exercitia muniáque obeundo, assuefacere debet. Illi tum benedicet, illúmque omnibus prosperis domi & foris rebus augebit, Dominus. Neque desunt

ſunt eius rei exempla: ſed paucis & iis maximè inſignibus contenti erimus.

QVVM Marcus Antoninus, cognomento Philoſophus, bellum aduerſus Marcomannos & Quados gereret, Romanúſque exercitus ardore ac ſiti laboraret, ad eum conſilij planè inopem præfectus prætoriis cohortibus venit, eíq. fertur dixiſſe: Nihil eſſe quod ij qui Chriſtiani nominantur, precibus impetrare non poſsint. habebat autem in exercitu legionem vnam Chriſtianorum militum. Qua re cognita, Marcum petiiſſe ab iis vt Deo ſuo ſupplicarent. Quod quũ feciſſent, Deum eos exaudiiſſe ſubitò, percuſsiſſéque hoſtes fulmine, ac Romanos pluuia recreaſſe. Romani, ad Chriſtianorum preces largo imbre per Chriſti nomẽ impetrato, omnes in cœlum ſuſpexere, vt non minùs hoc miraculum oculis animíſque haurirent, quàm ſitibundo ore aquas: deinde ſcutis galeíſq. ſubiectis ſorberent largiter, equíſque ad bibendum darent. Interea crebri fulminum ignes aqua & grandine miſti tantum terrorem barbaris iniecere, vt eius belli victoria, præter ſpem, penes Romanos eſſet. Certè tantæ miraculo rei attonitus Marcus, edicto Chriſtianos honore affecit, ipſámque legionem ad perpetuum monumentum κεραυνοϐόλον appellauit. Xiphil. Dionis Epitome in M. Anc. Capitol. in Marco.

CONSTANTINVS Magnus, primus Chriſtianus Imperator, præterquam quòd Licinium & Maxentium, Chriſtiani nominis hoſtes, fregit: multa quoque bella aduerſus Sarmatas, Gotthos, Scythas, & alias barbaras gentes, feliciſsimè confecit, quòd Dei metuens Chriſtianam religionem Pomp. Lætus in Licinio & Conſtantino.

studiosè coleret. Simili felicitate & prospero rerum cursu vsi sunt, Theodosius, Iustinianus, & ceteri Christiani Principes.

P. Æmilius lib. 1. & 2. Eguinartus in Carolo Magno.

EADEM prosperitas comitata est Galliæ pios ac religiosos Principes, quales fuere Clodoueus 1, Carolus Martellus, Carolus Magnus, qui nobiles victorias ex Sueuis, Saxonibus, Frisiis, Gotthis, Hunnis, Langobardis & Saracenis, tulere, qui tum ferè ethnici & alieni à fide Christi erant. Neque eæ victoriæ ipsorum viribus aut industriæ assignandæ sunt: quum hostibus & multitudine hominum & robore militum inferiores essent: sed eius decoris integram laudem & in solidum sibi vendicat Deus, cui sincerè & minimè simulato obsequio placere studebant. Vtinam hodie nostri auorum saltem pietatem imitentur, ne (quod antè non extitit) inter Galliæ reges Caligulas & Caracallas impietate insignes deinceps historiæ memorent.

DAVIDEM non alia res omnibus bellis superiorem & tot victoriarum compotem fecit, quàm quòd religiosus erat, sincerúsque Dei & pietatis cultor. Quamdiu SALOMON eius filius verum Dei cultum retinuit, Deus eum larga opulentia & alta pace beauit. Sed posteaquam Machiauelli doctrina vti instituit, & Religionis laruam & speciem inanem quamdam pro vera amplecti, tum emersere illi hostes Adad Idumæus & Razon, qui illius quietem turbarent. Ad eum modum Dominus regibus Iudæ & Israelis, piis & religiosis, prosperos rerum successus dedit: hypocritis & pietatem ementientibus, infelicissimos.

1. Reg. c. 11.

IAM

IAM, obſecro, conſideremus quo argumento Machiauellus ſuum Axioma fulciat. Quoniam (inquit) populus externam tantùm ſpeciem intuetur, ſatis eſt ſi Princeps extrinſecus aliquod pietatis ſtudium oſtentet, etſi intus pius non ſit. Igitur Religionis hic erit præcipuus vſus, vt ſcenæ ſeruiamus & quæramus plauſum populi? Nónne huc potius tendere debet vt nos Deo gratos & acceptos reddat? Nam quomodo Deus, qui penitiſſimos cordium receſſus intuetur, neque patitur ſibi mendacibus fucis illudi, Religionem tuam probet, ſi ficta & ſimulata eſt? Præterea falluntur Machiauelli diſcipuli ſi homines exiſtimant adeo hebetes eſſe, vt eorum fucos & hypocriſin non detegant. Itaque ſi, ſpecioſa Religionis larua detracta, qualis ſit intus Princeps apparuerit, quam vel apud homines ipſos exiſtimationem conſequetur? Nónne in contemtum & ludibria omniũ incidet? Sin excuſſo fuco palàm Atheiſmum profiteri ſine vlla diſsimulatióne cœperit, impium Dei & Religionis contemtum exemplo ſuo, velut autoritate publica, comprobabit. Quippe homines, præter inſitum ingenio mali potius quàm boni ſtudium, æmulatio Principis, omni lege validiór, mouebit. itaque Principem Impietatis autorem & ſigniferum ſequúti, eò certatim ruent. Hos igitur vbi tam deteſtabilis doctrina fructus fuderit, quid nobis tàndem exſpectandum eſt, niſi vt Deus nominis ſui & rerum omniũ ſacrarum ludibrium ſeuerè vlciſcatur? Quod illorum potius capitibus ſit, qui apud nos tam pernicioſæ diſciplinæ ludum aperuere, niſi maturè reſipiſcant.

II. THEOREMA.

Princeps, siquid in Religione falsi est, id confirmare debet, dum id fouendæ Religioni prosit.

Com. lib. 1 cap. 12. 13. 14. PRINCIPES qui prudentia pollent (inquit Machiauellus) falsa miracula comprobāt, quia id augendæ populi pietati conducit. Atque in eo Christiani Principes imitari Romanos veteres deberent, qui tum acuendis militum animis ficta miracula & oracula cælestia admouebant, tum vt populo obsequentiore vterentur: Quippe in vulgus edebant se vel libros Sibyllinos inspexisse, vel Delphos ad oraculum Apollinis sciscitatum misisse, aut egregia auspicia esse. Itaque populus, quum ea verè à Diis ipsis denunciari crederet, libentissimè iussis magistratuum & imperiis ducum obsequebatur, nec secus acsi Dij ipsi imperassent. Imperatores verò ipsi soli norant, quantum istis commentis tribuendum esset.

NIHIL

NIHIL addi posse videbatur ad impietatem superioris dogmatis, quo Machiauellus Religionis laruam pro Religione substituit & commendat Principi. Hîc tamen non tantùm ceteros sed seipsum quoq. superat. Veritas certè vbique commendabilis, propriè tamen in Religione spectãda est. Nam quum Religionis vinculo nôs sibi Deus religet (iuxta veterum interpretationẽ) quónam modo nos mendacij vanitas religare atque vnire Deo posset, qui non tantùm verax est, sed ipsa quoque veritas? Quid commercij esse potest tenebris cum luce? quid vmbris cum sole? Itaque hanc sententiam veteres Ecclesiæ doctores pro axiomate theologico habuere, Satius esse scãdalum accidere quàm veritatem deseri. Quam sententiam, sicuti Pontifices Romani in suos Canones retulerunt, vtinam quoque obseruassent: Sed quoniam istum canem veritati oblatrantem eiúsque discipulos Scripturæ testimoniis refellere superuacuum, neque mihi in animo, est (ne res sacras porcorum pedibus proculcandas obiiciam) suis illi mihi armis debellandi sunt, quibus instauratum à se Lucianismum propugnant.

Falsitas cum Religione sociari non potest.

Reg. I. de Reg. Iuris in VI.

NAM quum rationis humanæ acumine, & profanorum scriptorum autoritate, vt firmissimis præsidiis, nitantur, ea contra eos adeo faciunt, vt iis quoque Religionem Christianam probare me posse profitear. Nam si vel minimam quamque creaturam spectemus, eiúsq. essentiæ causas accuratè inuestigemus, ea nos ad Dei notitiam gradatim quasi manu deducet. Intueamur formicam, muscam: quæramus quæ his animalculis motus

causa sit: caloris & humoris vi, quibus duabus qualitatibus quæcumque viuunt fouentur, id accidere comperiemus. Altius conscendamus, & scrutemur, quare tam minutis insectis duæ eiuscemodi qualitates insint, statim obuia erit causa, Cuncta videlicet animalia ex quatuor hisce principiis, igne, aëre, aqua, terra, constare: quibus bis binæ illæ qualitates inditæ sint, calor, humor, frigiditas, siccitas. si calor cum humore superet, corpora viuere: si vincat cum siccitate frigus naturæ inimicum, interire. Porrò vlterius enitentibus ac percontantibus qualitatum illarum causas, occurret vltro, Solem caloris, Lunam humoris causam esse, sicuti sensus ipsi & experientia testantur. Postremò si quærere pergamus cur Sol calidus, Luna humida sit, & vnde illis hæ qualitates, necessariò ad summam & principem causam, nimirum ad Deum perueniemus. Quippe nec Sol nec Luna (nimirum finitæ res & corporeæ) diuinã naturam aut essentiam habere possunt, quæ infinita est. Itaque vel minimum animal sola naturali luce ac ratione Impiorum amentiam coarguere potest. Quanto validius, si cetera inspiciamus, atque in primis mirabilem humani corporis structuram? In qua tanta est symmetria, tam exquisitum artificium à summo vertice ad pedes, vt ob eam præstantissimus & ingeniosissimus eius artifex iudicari debeat. Nam vllane est ciuitas, in qua melior aut consonantior sit harmonia, quàm in humano corpore? Principiò in Homine Mentem intueri licet, quæ velut sublimi in solio sedens, principatum in cetera obtinet. Deinde Cor, sedes amoris,

clementiæ

clementiæ, magnanimitatis, & ceterarum virtutum, præfecti vices & munia obit. Habet quoque inuidiam, odium, ambitionem, ceteráſque prauas cupidines, ſuæ poteſtati ſubiectas: ſed illæ Mentis imperio & nutu frenantur. Iam quod Hepati, veluti annonæ præfecto, ea cura incumbit vt per ventriculum, venas, ceteróſque meatus, ciborum ſuccum & ſanguinem per omnes corporis partes diffundat: ceteráque in homine membra tam conſentienter miniſteriis ſuis fungantur, nónne vel inuitos agnoſcere cogit, Deum tam ingenioſi operis architectum & molitorem eſſe? Igitur hæc naturalium rerum conſideratio veteres philoſophos, Platonicos, Peripateticos, Stoicos, ad Dei & ipſius ſingularis prouidentiæ notitiam adduxit. Neque vlla olim ſecta philoſophorum extitit quæ in hoc non conſentiret, excepto Epicuri grege: qui quum in voluptate corporis ſummum bonum collocarent, per omnes obſcœnas libidines, ſuum more, volutabantur. Ex ea ſchola, vel potius luſtro, prodiere Machiauellus eiúſque diſcipuli, quibus quum nihil penſi ſit præter quàm deliciis & voluptatibus ſeſe explere, neque literas curent, huius impij nebulonis Placita pro oraculis ſeruant.

IAM quod ad illud doctrinæ caput attinet, quo Trinitatem credimus, fatendum eſt id philoſophis numquam veniſſe in mentem, ne per ſomnium quidem: neque nos ſola ratione naturali poſſe ad illius notitiam adduci. Sed Deus verbo ſuo myſterium iſtud nobis patefecit, quantum quidem noſtra ſcire intererat. Hîc mihi propoſitum

Doctrina de Trinitate humanæ rationi non repugnat.

non est eius rei testimonia proferre: sed tantum docere hanc doctrinam rationi & iudicio humano non planè repugnare, etsi philosophi in hæc vsque adyta non penetrarint. Nam vel ex ipsorum placitis constat Deum, spiritum esse æternum, infinitum, minimè vllis qualitatibus aut accidentibus obnoxium. Ita quidquid accidentale est in hominibus (cuiusmodi sunt, bonitas, amor, prudentia, & ceteræ qualitates) essentiale est in Deo. His positis, consequitur infinitam illam & mirabilem Sapientiam, qua Deus seipsum nouit, essentiam esse, non qualitatem, in Deo, immò eiusdem cum ipso essentiæ: subsistentiam tamen seu hypostasin ab ipso distinctam: quum Sapiens & Sapientia sine distinctione esse non possint. Hæc igitur Sapientia, secunda Trinitatis persona est, quam Scriptura Verbum vel Filium vocat. Neque magis à ratione humana alienum est, dicere duas in vna essentia personas mutuam & infinitam Intelligentiam inuicem habere. Quæ Intelligentia pariter ex vtraque persona Patris & Filij procedens, etsi eiusdem cum illis sit essentiæ, non potest tamen vnà confundi: quando Intelligens ab Intelligentia distingui debet. Hæc Intelligentia, tertia persona Trinitatis est, quam Scriptura Spiritum sanctum vocat. Quum hac rudi descriptione Trinitatis mysterium adumbramus (non secus ac quum Geometræ, tribus vel quatuor lineis carbone in tabella ductis, orbem terrarum oculis subiiciūt) eam descriptionem ratio humana vtcumque percipit. In eo tamen mysterio excutiendo, longè (meo iudicio) magis sapiunt qui hîc sobriè & moderatè

deratè philoſophantur, & fidei menſura contenti, nihil vlterius de Dei eſſentia inquirunt quàm quod Scriptura docet: quàm qui menti & rationi humanæ nimiùm indulgent. Quia tamen mihi negotium cum Epicureis erat, qui Scripturam ludibrio habent, paucis docere volui vel iudicij humani ſuffragio doctrinæ noſtræ veritatem confirmari. Sed pergamus ad cetera.

COMMVNIS ſenſus & ratio ipſa dictant, Vnum eſſe Deum, eúmque perfectiſsimum. Ex quo ſequitur, eum perfectè iuſtum ac perfectè miſericordem eſſe. Quum ſummè iuſtus ſit, ex regula ſummæ iuſtitiæ vniuerſum genus humanum ab eo reiici debet: ſiquidem peccato obnoxiũ eſt, quod damnationem meretur. Si verò omnes homines damnaret, id repugnaret miſericordiæ ipſius, quæ ſumma quoque ipſa & perfecta eſſe debet. Quid igitur? dicemus Deum ſummè iuſtum & ſummè miſericordem ſimul eſſe non poſſe? Abſit: ſed dicimus vel naturali ratione duce (niſi planè cæci eſſemus) poſſe nos veluti manu ad Mediatorem duci. In quo vno Deus vna eadémque opera ſummæ iuſtitiæ ſummæque miſericordiæ exemplum edidit. Quippe ſummè iuſtus apparuit, quum ab eo iuſtas peccatorum noſtrorum pœnas expeteret: miſericors, quum illius ſatisfactione reconciliatus nobis ignoſceret. Itaque hæc demonſtratio certiſsimis & euidentiſsimis principiis nititur: Deus vnus eſt, ergo perfectus: Si perfectus, perfectè quoq. iuſtus ac miſericors. Vtrumq. autem in eo ſimul conſiſtere nequit, niſi adſit Mediator deus & homo. Ergo quando Deus vnus eſt,

vnum quoque Mediatorem Dei & hominum, Deum quoque ipsum & hominem, existere necesse est. Nihil possit certius demonstrare Euclides vel Archimedes.

IS autem Mediator, quem Deus misit in mundum vt summam suam misericordiam & summam iustitiam patefaceret, Sapientia Patris est & Filius ipsi coæternus: qui ab origine mundi fidelibus promissus est. Eæ porro promissiones toties iteratæ sunt, vt non tantùm propriè Dei populo notæ essent, sed ad Gentes quoque profanas istius lucis radij peruenirēt. Suetonius quidem (alioqui Christianorum hostis & qui Scripturas numquam legerat) de Vespasiano agens, vt de re peruulgata loquitur, Percrebruerat (inquit) Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur. Neque multo aliter Tacitus, horrenda prodigia quæ exscidium Hierosolymitanum præcessere describens, Pluribus (inquit) persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore vt valesceret Oriens, profectique Iudæa rerum potirentur. His testimoniis non obscurè apparet promissionem de Messia mundi dominatore vulgò notam fuisse. Sed non Ethnici tantùm, verùm ipsi quoq. Iudæi, hanc prophetiam de terrena dominatione interpretabantur. Itaque non tantùm duo illi scriptores, verùm etiam Iosephus Iudæus, hoc celebre de Messia vaticinium ad Vespasianum traxerunt: qui Imperator salutatus est, quum in Iudæa bellum gereret. Sed tam inepta & violenta interpretatio excusari in Iosepho non potest, præsertim quum præter propheticæ doctrinæ cognitio-

Sueton. in Vespas. c. 4.

Tac. Annal. lib. 21.

Ioseph. lib. 7. cap. 11. De bell. Iudaic.

nem, futurorum quoque ſcientiam ſibi arroget. Quippe Prophetæ perſpicuè vaticinantur naſciturum Meſsiam ex ſtirpe Abrahæ, ex tribu Iuda, ex familia Dauidis: immò diſertè locum veluti digito indicant, in quo eſſet naſciturus, nimirum in Bethleem, oppidulo tribus Iuda. Sciebat Ioſephus Veſpaſianum neque in Bethleem ortum eſſe, neque ex Dauidis ſtirpe: itaque quum hæc de Meſſia oracula ad Veſpaſianum falsò detorquet, vindicare ſe ab aſſentationis ſuſpicione non poteſt: quando Veſpaſiani, à quo multa beneficia acceperat, ſeruili mendacio gratiam quærere maluit, quàm ita vti ſentiebat, ſcribere.

Tacitvm verò & Sueton. huius prophetiæ fidem Veſpaſiano potius quàm Chriſto attribuiſſe, mirandum non eſt, quando Chriſti & Chriſtianorum nomen odiſſent: ſicuti ex ipſorum libris liquet. Eadem fide illi ſcribunt, quemdam cæcum oris excremento, aliúmq. item manu ęgrum pedis contactu à Veſpaſiano ſanatos fuiſſe. Hæc enim Chriſti miracula illi ad Veſpaſianum trahũt. quod vel ex ipſo Tacito colligi poteſt. Quippe is ſcribit, cæcum Veſpaſiani genibus aduolutum, remedium cæcitatis expopoſciſſe gemitu, monitu Sarapis dei: cuius origo (inquit paulo pòſt) nondum noſtris autoribus celebrata eſt: dicítque à multis deum illum pro Æſculapio habitum eſſe, quòd medeatur ægris çorporibus, &c. Nam Ethnici (qui Chriſti Chriſtianæ've religionis nullam niſi obſcuro ex rumore notitiam habebant) Sarapin à Chriſtianis adorari putabant. Quod ex quadam Adriani epiſtola ad Seruianum conſulem intelli-

Miracula Chriſti, Principibus tributa.

Suet. in Veſp. paſ. cap. 7.

Tac. Annal. lib. 20.

Dion. in Veſpaſ.

Vopiſc in Satura.

gi licet, cuius hæc sunt verba apud Vopiscum: Illi qui Sarapin colunt, Christiani sunt: & deuoti sunt Sarapi, qui se Christi episcopos dicunt. Itaque vel ex Tacito ipso apparet, autorem huius miraculi fuisse Deum illum quem Christiani adorabant, non Sarapin illum quidem, sed Christum. Sed quemadmodum rerum procul gestarum veritas à narrantibus plerumque inuerti solet: sic celebris erat per totum orbem fama miraculorum quæ à Christo & Apostolis facta erant: sed ea multis & putidis mendaciis inquinata: quum eorum laus vel idolis, vel profanis hominibus, asignaretur. Eiusdemmodi est quod Spartianus in Adriano scribit, quum ille ægrotaret superuenisse quamdam mulierem quæ diceret somnio se monitam vt significaret Adriano ne se occideret, quòd esset bene valiturus: quod quum non fecisset esse cæcatam. Iussam tamen iterum Adriano eadem dicere atque eius genua osculari: receptur am visum si id fecisset. Ergo quum insomnio paruisset, visum ei restitutum esse. Idem scribit, venisse quemdam cæcum ad febricitantē Adrianum, eúmq. quum contigisset oculorum vsum recepisse, & Adrianum febrem reliquisse. Quis nō videt ea miracula tum à Satana esse conficta vt veris quoque fidem demeret, tum à profanis hominibus Principum nomine vulgata, vt illis apud homines diuinitatis inanem famam circumdarent? Vtcumque ea contigerint, satis constat promisiones de Mesia venturo celebres & pasim notas fuisse: sicuti neque ipsius aduentus Ethnicis ignotus fuit. Nam inter Tacit. Annal. lib. 15. ceteros Tacitus scribit Christum Tiberio imperante

rante à Pontio Pilato procuratore Iudææ supplicio esse affectum. Itaque præcipua doctrinæ nostræ capita non tantùm mentis humanæ iudicio, sed profanorum quoque scriptorum testimoniis, confirmari possunt. adeò longè & latè lucis suæ radios sparsit spargítque veritas. Quamobrem si vltro sibi oculos effodere velint Impij, ne Deum & Religionem Christianam in tanto splendore agnoscant, neque vllis Scripturarum neque Ethnicorum testimoniis moueantur, ab illis tamquam à desperatis ac deploratis abstineamus: donec eos vltro magis ac magis in exitium pergentes Deus iusti iudicij voragine absorbeat.

NVNC ad inceptum reuertimur, ac dicimus, Mendacium in Religione fouere (quod iste præcipit) & Deum cum omni pietate pedibus calcare, eadem aut paria esse. Veteres quidem Romani falsa oracula (quamquam ea propriè non ab hominibus ex composito ficta, sed à Satana illudente hominibus profecta, non dubitem) tum fatales Sibyllæ libros, auguria, auspicia, & similes nugas probabant: verùm quum veræ Religionis notitia destituerentur, & superstitioni, falsis opinionibus & vanis ritibus implicitæ, seruirent: quid mirum est si mendacium specie veritatis amictum pro veritate amplexi sunt? Quoties tamen prauis & externis ritibus Religionem suam inquinari deprehenderent, eiusce modi sacra opprimebant. Exempla apud Liuium multa exstant, sed hoc omnium maximè insigne. Græculus ignobilis, & occultorum sacrorum antistes, Romam primùm Bacchanalia inuexit. Primùm illic sacra feminarum tan-

Liu. Annal. lib. 39.

tùm erant, neque eò viri admittebantur: deinde vbi vulgari cœpta sunt per viros mulieréſque, additæ quoque voluptates religioni vini & epularum, quo pluriū animi inlicerentur. quum vinum animos, & nox, & miſti feminis mares, ætatis teneræ maioribus, diſcrimen omne pudoris exſtinxiſſent. Nec vnum genus noxæ: ſtupra promiſcua ingenuorum feminarúmq. erant. multa dolo, pleraque per vim, audebantur: occulebat vim, quod præ vlulatibus tympanorúmque & cymbalorum ſtrepitu nulla vox queritantium inter ſtupra & cædes exaudiri poterat. Eius mali indicium quum ad ſenatum perueniſſet, quæſtionem extra ordinem ea de re Conſulibus mandauit. Itaq. multorum delatis nominibus, quidam ex iis viri ac feminæ mortem ſibi conſciuerunt: multi comprehenſi & in vincula coniecti, plures etiam necati, ſunt: quum ſupra VII. millia virorum ac mulierum coniuraſſe dicerentur. Poſtremò datum Conſulibus negotiū eſt, vt omnia Bacchanalia Romæ primùm, deinde per totam Italiam, diruerent. Facilè videlicet Ethnici illi, ſolo naturæ ſenſu & iudicio edocti, norant, Religionem eam veram eſſe non poſſe, quæ capitales fraudes admitteret. Ac ſi ceteros quoque ſuæ ſuperſtitionis errores & vitia noſſent, perinde vt iſtud ſublaturos fuiſſe non dubito, quidquid dicat Machiauellus. Verùm quum de Religione agitur, quid dixerint aut fecerint Romani veteres, morari non debemus: niſi fortè vltro libeat in tenebris lucem quærere.

Munſter. lib. 4. Geogr. ANNO CIↃ. IↃ. IX (viginti circiter annos antequàm Berna à Papatu deſciſceret) Bernenſes

Domini-

Dominicani noui miraculi commento populi ſtudia in ſe trahere conati ſunt. Sed ſapientiſsima ciuitas, repudiata Machiauelli doctrina, ea ſibi nunciata prodigia impoſtorum ſupplicio expiauit. Hoc ſcilicet erat comprobare & ſancire confictа miracula!

ANNO CIↃ. IↃ. XXIV, Senatus Pariſienſis aliquot Franciſcanos Aurelianenſes damnauit, qui animæ cuiuſdam ſpectrum apparere commenti erant, poſtulantis vt frequentibus miſsis è purgatorij flammis liberaretur. Quippe cognitum eſt eam technam ſimplicitati hominum ineſcandæ confictam, & iſtos eius fabulæ choragos, eſſe. Sleidan. lib. 9.

MVLTA quoq. exſtant Areſta & decreta Curiæ Pariſienſis, quibus Reliquiarū (vt vocant) falſitas traducta eſt & vetita. Erat Lutetiæ in officina pictoris cuiuſdam vetus tabula, atque in ea picta imago Virginis: quam pro ſpecimine ſuæ artis vulgò proponere pictor ſolebat. Eam paucis nummis emit cuiuſdam vicini pagi curio: duò foramina ad oculos imaginis perforat, iiſque, quo tempore lacrymant vites, viridium palmitum refectos ramos ita ſollerter accōmodat, vt effigies plorare videretur. Quid multa? tantam vndique peregrinantium frequentiam, tantam donorum copiam conciuit, vt miraculi quoque inter alios pictor fama commotus eò cum vxore viſeret. Sed ea res dolum aperuit. Nám illi, tabella agnita quæ tot annos in ſua taberna iacuerat, fabulā omnem diuulgarunt. Itaque Curiæ iudicio curio capitis damnatus eſt, tabella confracta. Papon. in Comment. Senatuſc. lib. 1. tit. 5. Senatuſc. 5. & 6.

SED idem tamen ille Senatus nonnumquam

exempla edidit quæ à doctrina Machiauelli non planè abhorrerent. Fortè controuersia inciderat Lutetiæ inter Canonicos ædis Mariæ virginis, qui dicebant penes se esse caput D. Dionysij, & Abbatem monachósque Sandionysiani cœnobij, qui contrà pertinaciter defendebant se totius corporis eius potiri. Ea lite in Curia disceptata, pronunciauit Senatus Sandionysianos Fratres integrum corpus D. Dionysij Atheniensis habere: D. Mariæ Canonicos, caput D. Dionysij Corinthij. Ita vtrisque satisfactum: etsi antea Dionysij Corinthij ne nomen quidem audissent. Sed de eo anxij non erant, dum lucrum non minueretur. Si Ratisponenses sese huic liti immiscuissent, aut difficillimum fuisset eos conciliare, aut tertius aliquis Dionysius quærēdus. Nam & Dionysij corpus integrum Ratisponenses se habere gloriantur, & sententiam Papæ, quæ id declaret. Sed hos nodos soluere hoc loco non constitui: euincere mihi sufficit, exitiale esse scelus, Mendacium cùm in quacumque re, tum in Religione potissimum, fouere: ac talis Religionis non alium autorem esse quàm Diabolum, qui mendacij pater est.

III. THEOREMA.

Religio Ethnicorum animos illis excelsos, & ad magnas res fortiter suscipiendas auda-

ces, fa-

ces, faciebat: Christianorum verò religio, mentes in nimiam humilitatem deprimens, indolem omnem debilitat, eósque iniuriæ ac prædæ opportunos reddit.

COMMENTANTI mihi quî fieret vt minus insignes essent virtute & gloria rerum gestarum Christiani quàm veteres Græci & Romani, non alia eius rei caussa probabilior visa est (inquit Machiauellus) quàm quòd Religione differant. Quippe Christiana Religio gloriam humanam abiicit & despectui habet: Ethnici contrà, quum gloriam pro summo bono sibi appetendam ducerent, alacritate audaciáque incredibili omnia aggrediebantur & gerebant. Præterea Religio Ethnica nemini felicitatem pollicebatur, nisi iis qui strenuè pro Principe, patria, republ. ad extremum certantes, egregia sibi decora & gloriam immortalē inter mortales quærerent. Christiana ex aduerso demissos, contemplationi deditos & honorū huius mundi negligentes, ad beatitudinem vocat. Itaq. eò imbecillitatis & ignauiæ nostros homines perduxit, vt Christianum nomen barbaris & impiis prædæ sit. Atque illis iam im- Comm.lib.2 cap.2.

punè Christianos pro libidine versare, vincere, sub iugum mittere, copia est: quum eos, vt cælestis vitæ compotes fiant, ad accipiendam potius iniuriam quàm ad inferendam aut propulsandam paratos intelligant. Neque vlla res magis Christianorum animos effeminat, quàm quòd quietum otium & vitam quamdam philosophicam virtuti viuidæ & actuosæ anteponunt.

SCILICET sacrilegus iste Cyclops, si densos fumos euomeret, Pietatis splendorem obscuraturum se ratus, omnia molitur vt Christianam Religionem in contemtum adducat. Sed vtinam tam facile esset tot malis, quæ crassus iste Religionis contemtus in Rempubl. Christianam, præsertim in Galliam, inuexit, remedia nancisci: quàm promtum est nebulas istas discutere, quæ veritatis lucem, tamquam solem, non ferunt.

RELIGIO certè Christiana Deum reuerenter & suppliciter adire nos docet. Peccatorum enim nobis conscij iram dei deprecari debemus, perinde vt rei qui Principis genibus aduoluti pacem & veniam petunt. Præterea & quæcumque nobis sunt animi corporisque dotes, Dei beneficia esse agnoscere, & cum proximis comiter ac modestè agere, decet. Sed an Christiana hæc modestia generosam indolem debilitat, atque imbelles animos reddit? Velim mihi dicant Machiaulli populares, qui Euangelicos oppugnatum in Galliam

liam venerunt, an piis Gallis adeo humiles fractósque animos esse experti sint, vt non & validè pugnare & fortiter ferire didicerint. Si pudet eos fateri, hoc testentur albentes ipsorum ossibus campi. Præterea, neglecto isto nugatore, euoluamus, si libet, historias & recentes & priscas: facilè constabit Principibus Christianis non tantùm ad propulsandos Ethnicos, sed etiam oppugnandos, satis animi, satis virium, fuisse. Constantinus Magnus vsqueadeo sese demisit, vt in eam partem peccaret: si quidem verum est quod nonnulli nugantur, illum Pontifici equum inscensuro stapedam tenuisse. Licinium tamen ille consortem imperij, Christianis infestum, bello victum imperio simul exuit. Præterea Sarmatas, Gotthos, Scythas, & alios multis prœliis felicissimè confectis repressit. Theodosius Cæsar adeo humiliter sese depressit, vt quũ ab Ambrosio episcopo ob cædem Thessalonicæ perpetratam iure communionis priuatus esset, sese omni ornatu Imperatorio exueret, & coram Ecclesia procumbens cũ gemitu & lacrymis veniam oraret. Hic tamen tali ingenio præditus Romanum Imperium Gotthicis armis attritum pristino splendori restituit, adeptis illustribus victoriis. Valentinianus & Iustinianus Christiani principes, Gotthos, hic in Italia & Africa, ille in Gallia, fudere. Carolus Magnus multíque alij Galliæ reges, leni ac mãsueto ingenio, multas de barbaris atque ethnicis insignes victorias tulerunt. Carolus v, nostra memoria sæpe in Africa, nuper Venetorum atque Hispanorum exercitus nauali prælio, Turcarum copias fregit. Denique

Imperatores & reges Christiani Ethnicorum victores.

victoriarũ noſtrarũ de Gotthis, Scythis, Tartaris, Saracenis, Turcis, plenæ ſunt hiſtoriæ, pleni exemplorum libri. Nam ſi Machiauelli diſcipuli dixerint hodie Impios & Chriſtum blaſphemiis lacerantes animoſius pugnare, quàm qui Nomen ipſius auguſtum reuerenter vſurpant, eos nimium impudenter libero mendacio abutentes ad experientiam remitto.

Annal. in Carolo Magno. SED quum mecum tacitus reputo, vnde Machiau. tam profanum Axioma hauſerit, mihi perſuadere non poſſum quin illud ex Aygolandi hiſtoria didicerit. Is fuit regum Africæ potẽtiſsimus Mahumetanæ ſectæ, qui Carolum Magnum variis & longis bellis exercuit: ſemper tamen eo inferior. Itaque vt æquiores pacis leges à Carolo acciperet, ei renunciari iuſsit ſe Chriſto nomen dare & baptiſari cupere. Carolus eo nuncio delectatus, hominẽ comiter domum inuitat. Ibi quum eſſet, tredecim pauperes mendicorum habitu, humi accubantes & veſcentes ſine linteo conſpicatus, ſciſcitatus eſt à Carolo quinam illi eſſent. Ser-
» ui dei ſunt, inquit Carolus (ſolebat autẽ ille pauperes domi aliquot alere, vt paupertatis imagine ante oculos poſita, ſummæ fortunæ moderari, Chriſtiq. & Apoſtolorum meminiſſe, inſueſceret)
» Tum Aygolandus, Enimuero Dei tui (inquit) ſer-
» uos ſqualore & ſordibus obſitos, tuos nitentes &
» ſplendidè veſtitos, cerno. Cupido me inceſſerat
» vt Baptiſmo initiatus Dei tui ſeruitio memetip-
» pſum traderem, ſed mihi longè alia nunc mens
» eſt, quando Dei ſeruos tam malè accipi video. Ita Aygolandus, abiecto ſeruorum Dei ſtatu offenſus, à Chri-

à Christianæ fidei professione abhorruit. Ad eum modum Machiauellus Christianam Religionem vt nimium abiectā & humilem aspernatus, Aygolandi superstitionem attollit, propterea quòd ea magnos excelsósque spiritus faciat.

IMPVDENTIS verò inscitiæ quoque est, quòd dicit nullis Euangelio felicitatem promitti, nisi otiosis & contemplationi deditis. Quippe nos & Christus operari, & segnitiem fugere, & Vocationis suæ munia fungi vnumquemque, docuit. Nam etsi sint inter Christianos studiis litterarum dediti homines, vt ceteros docere queant: minimè tamen otiosam monachorum vitam, & nulli rei nisi deliriis & somniis cogitandis intentam, Christiana religio approbat. Neque litteratos homines segnitia ac desidia bonum otium conterere, sed postquam aliquamdiu in studiis priuatis desiluere, quod didicerunt in lucem atque in opus educere, iubet. Deniq. siue Pastores, siue Doctores fuerint, siue ad aliud munus vocentur, non tantùm contemplando, sed aliquid agendo, communi omniū vtilitati seruire. Qui secus agunt, Christianæ religionis præceptis minimè obsequuntur.

Christiana religio vitā contemplatiuam otiosam non probat.

QVOD dicit Religionem Christianam homines ad iniuriam ferendam quàm ad propulsandam aptiores reddere, non nego Christianis omnibus interdictam esse vindictæ cupiditatem. Sed iure experiri & magistratus ope ad iniurias propulsandas vti vetitum non est. Nam qui priuata autoritate iniurias suas vlciscuntur, ἀταξίαν inducunt in Rempubl. & Magistratui ius suum eripere student, quem Deus publicæ honestatis ac innocen-

tiæ protectorem vindicémque ſtatuit, cúmq. gladio armauit vt innocentes tueatur, & impiorum audaciam compeſcat. Sed quid hæc ad Magnitudinem animi, ſine qua bella geri non poſſunt? Nam etſi quis nec litium cupidus, nec vltionis appetens, fuerit, nihilo tamen ſecius egregiam Principi & patriæ operam in bellis nauabit. Qua in re etiam Chriſtiani Ethnicos vno ſuperant. nam quum ſibi bene conſcij ſint, ſe non niſi iuſtum bellum gerere, multo minus vitæ ſuæ parcunt quàm Ethnici: quum certò perſuaſi ſint ſe hac caduca vita defunctos æternam aſſequuturos eſſe. Scribit Cæſar veteres Gallos bellicoſiſsimos fuiſſe, quòd immortales eſſe animas crederent. Quanto fortiores eſſe Chriſtianos decet, qui non modò de Animarum immortalitate non dubitant, ſed certò quoque ſciunt à Deo felicem quietem ſibi paratam eſſe in cœlis? Ideo Chriſtiani, vt vitam hanc feliciore commutent, pro patria, pro pietate, bella gerere & mortem oppetere non dubitant. Machiauelli diſcipulis non is animus. quippe, quum Deum & cælum oderint, ad minimam mortis mentionem contremiſcunt: vtque ad inſidias inerméſque homines opprimendos ſatis audaces, ita ad prælia ſegnes ſunt.

Vltionis minimè appetentes, non minus magnanimi ſunt quàm alij.

21 POSTREMO, quum nos Honorum contemtum diſcere à Chriſtiana religione dicit Machiauellus, impudenter mentitur. Secernenda certè nobis ſunt à virtutibus vicina virtuti vitia, ne ſimilitudine quadam nobis imponant. Nam Ambitio ipſa quidem imitatur bonæ famæ & exiſtimationis appetitum, qui in omnibus bonis eſſe debet.

Chriſtiano homini honores appetere honeſta ratione licet

debet. Siquis ergo ad honores vi, pecunia, ambitu, grassetur, eósque adeptus, superbè aut ita gerat vt priuati potius commodi quàm reipubl. rationem habeat, eum grauiter peccare, nósque eiuscemodi honorum viam fugere, profitemur. Sed omnibus honestis & concessis rationibus bonam existimationem tueri, & ad dignitates, quibus pares esse possumus, aspirare, vt Deo & Reipubl. vtiles simus, id verò Dei Verbo prohibitum esse negamus. Denique nihil antiquius aut carius est Christianis quàm vt conscientiam integram coram Deo, decus & bonam famam inter homines, conseruent.

LVDOVICVS XI, (sicuti scribit Cominæus, qui ipsius cubicularius fuit) cultu corporis erat admodum simplici, & sermone demisso. Qúumq. errores suos agnoscere sciret & maturè sanare, hac industria ex magnis rerum & difficultatum vndis emersit. Quippe hoc ferè dictum insigne habuit in ore, dogmati Machiauelli planè contrarium: Quoties præit superbia, ignominia cum detrimento sequitur. Comin. lib. cap. 10. & lib. 1. c. 4.

NEQVE verò existimandum est, Modestiam, comitatem, mansuetudinem, lenitatem, patientiam, ceterásque mitis & liberalis ingenij dotes, Magnitudini animi repugnantes esse. Nam Magnanimitas quid aliud est, quàm constans & perpetua voluntas quæ recta & honesta sunt persequendi, fugiendíque contraria? Ergo, placabilem, lenem, tolerantem, facilem ad ignoscendum, alienum ab vltionis appetitu, esse, Magnanimum decent: quando hæc honesta sunt. contrà, super-

bum, asperum, vindictæ cupidum, sæuum esse, parui & imbecillis animi signa sunt: siquidem hæc in vitiis numerantur. Magnanimitas enim vitia repellit: solas virtutes amplectitur. Si exempla quærimus, quis lenior, quis ad ignoscendum promptior, Scipione Africano, Iulio Cæsare, Alex. Magno, Cn. Pompeio, fuit? Nemo tamen fortitudine animique altitudine cum illis iure contenderit. Similiter Carolus Magnus, Philippus Augustus, Ludouicus cognomento Diuus, Carolus Sapiens, Carolus VII, Ludouicus XII, Franciscus I, Henricus II, & complures alij Galliæ reges, maximi animi pariter & lenissimi fuere. Sed de his accuratiorem sermonem suo loco reddemus.

IIII. THEOREMA.

Doctores Religionis Christianæ pertinaci proposito omnem bonarum literarum & antiquitatis memoriam abolere conati sunt.

Comm. lib. 2. cap. 5.

RELIGIO Christiana (inquit nouus iste Diagoras) Ethnicam Religionem abolere tali arte instituit. Primum omnem ritum & ceremoniarũ ipsius, tum priscæ Theologiæ memoriam, delere conata est. Deinde Poetarum

rum ſcripta, hiſtorias, literas omnes quibus res geſtæ clarorum virorum continerentur, & quæcumque vſpiam erant vetuſtatis monumenta exſtinguere, ſimulacra, ſigna, ſtatuas veteres, frangere, aut ſiquid aliud vſquam veſtigium ſuperiorum ætatum extaret. Bonas tamen literas penitus abolere non potuit. quum enim lingua Latina vti cogeretur ad nouam legem ſcribendam, eius linguæ adminiculo factum eſt vt aliqua monumenta ingeniorum antiqua manerent. Nam ſi Chriſtiana religio nouum idioma fingere potuiſſet, paucis annis ſublata eſſet omnis antiquitas. Sed Gregorius & ceteri huius religionis doctores, qui tam peruicaciter Ethnicorum literas inſectati ſunt, Latinè quoque ſcribere ipſi cogebantur. Ita Religio ethnica idem paſſa eſt quod ipſa exoriens ſuperiori Religioni fecerat. Nam Religionum ſectæ quinque aut ſex mille annorum ſpatio bis aut ter immutantur: ac poſterior memoriam ſuperioris exſtinguit: aut ſi quæ fortè priorum veſtigia & monumenta remanent, ea pro fabulis ducuntur: neque illis fides magis habetur quàm hiſtoriæ Diodori Siculi, qui à quadraginta aut quinquaginta millibus annorum rerum geſtarum narrationem incipit.

bum, asperum, vindictæ cupidum, sæuum esse, parui & imbecillis animi signa sunt: siquidem hæc in vitiis numerantur. Magnanimitas enim vitia repellit: solas virtutes amplectitur. Si exempla quærimus, quis lenior, quis ad ignoscendum promtior, Scipione Africano, Iulio Cæsare, Alex. Magno, Cn. Pompeio, fuit? Nemo tamen fortitudine animíque altitudine cum illis iure contenderit. Similiter Carolus Magnus, Philippus Augustus, Ludouicus cognomento Diuus, Carolus Sapiens, Carolus VII, Ludouicus XII, Franciscus I, Henricus II, & complures alij Galliæ reges, maximi animi pariter & lenissimi fuere. Sed de his accuratiorem sermonem suo loco reddemus.

IIII. THEOREMA.

Doctores Religionis Christianæ, peruicaci proposito omnem bonarum literarum & antiquitatis memoriam abolere conati sunt.

Comm. lib. 2. cap. 5.

RELIGIO Christiana (inquit nouus iste Diagoras) Ethnicam Religionem abolere tali arte instituit. Primum omnem rituum & ceremoniarũ ipsius, tum priscæ Theologiæ memoriam, delere conata est. Deinde Poetarum

tum ſcripta, hiſtorias, literas omnes quibus res geſtæ clarorum virorum continerentur, & quæcumque vſpiam erant vetuſtatis monumenta exſtinguere, ſimulacra, ſigna, ſtatuas veteres, frangere, aut ſiquid aliud vſquam veſtigium ſuperiorum ætatum extaret. Bonas tamen literas penitus abolere non potuit. quum enim lingua Latina vti cogeretur ad nouam legem ſcribendam, eius linguæ adminiculo factum eſt vt aliqua monumenta ingeniorum antiqua manerent. Nam ſi Chriſtiana religio nouum idioma fingere potuiſſet, paucis annis ſublata eſſet omnis antiquitas. Sed Gregorius & ceteri huius religionis doctores, qui tam peruicaciter Ethnicorum literas inſectati ſunt, Latinè quoque ſcribere ipſi cogebantur. Ita Religio ethnica idem paſſa eſt quod ipſa exoriens ſuperiori Religioni fecerat. Nam Religionum ſectæ quinque aut ſex mille annorum ſpatio bis aut ter immutantur: ac poſterior memoriam ſuperioris exſtinguit: aut ſi quæ fortè priorum veſtigia & monumenta remanent, ea pro fabulis ducuntur: neque illis fides magis habetur, quàm hiſtoriæ Diodori Siculi, qui à quadraginta aut quinquaginta millibus annorum rerum geſtarum narrationem incipit.

SI tibi cum pueris aut vetulis res esset Machiauelle, auderésne fœdius mentiri? Deploratæ quidem impudentiæ & paris ignorantiæ est, ea nostris scriptoribus affingere quæ ne per somnium quidē ipsis vnquam in mentem venerunt. Itaq. hanc calumniam non tam verba mea quàm res ipsa refellet. Tantum enim abest vt nostri bonas artes, historias, poetarum scripta, & cetera veterum monumenta, tollere conati sint, vt iis quoque sint vsi ad conuincendos Ethnicæ superstitionis errores. Ethnici enim vel naturæ iudiciis, vel scriptorum suorum testimoniis, refellendi erant, quum Scripturarum autoritate non mouerentur. Quamobrem è profanis autoribus nostri hausta testimonia libris suis subinde inserciunt. Legat, qui volet, libros Augustini de Ciuitate Dei, & Institutiones Christianas Lactantij. Perspicuè intelliget nihil illis aliud esse propositum quàm vt Ethnicorum religionem suis ipsorum libris falsitatis coarguant, & comprobent nostram. Nonnumquam certè næuos eorum denudant, monentque Christianos vt eorum scripta sobriè & cum iudicio tractent: néve iis adeo se dedant vt negligant Scripturas. Quæ admonitio hodie quoq. summopere necessaria est. Quotusquisque enim reperitur, qui non libentius historias, poetarum nugas, philosophos, medicos, iurisconsultos, legat & audiat, quàm quæ ad salutem & consolationem animarum pertinent? Magna pars Scripturarum lectionem fastidit, pleriq. illud studium, vt grauius, maiori otio & maturiori ætati seponunt. Interea senectus obrepit, & vita

Doctores Christiani Ethnicos suis libris cōfutarūt.

Christiani Ethnicorum literis immodicè sese dedere non debent.

vita excedere coguntur priusquam abiectis profanis ad sacra studia se conuerterint. Meritò ergo monuerunt boni Patres, ne nos adeò profanis literis dedamus vt Salutis scientiam aspernemur, quæ tanto illis præstat, quanto Deus homine. Verùm inter scriptores ethnicos, nonnulli tam spurcè scripserunt, vt non tantùm adhibito iudicio legendi, sed ex adolescentiũ quoque manibus prorsus excutiendi sint. Quid haurire possunt ex Catullo, Tibullo, Martiale, & Amatoriis Ouidij carminibus, adolescentes, nisi quod teneros ipsorum animos corrumpat; & ad obscœnas libidines inflammet? Facilis igitur, immò vtilis, esset istorum iactura: ac quoniam in tam breuis æui vita bonæ horæ nullo pretio pensari possunt, paucos in vna quaque disciplina, sed optimos quosque, libros noctu diúque versare & bene intelligere, operæpretium foret.

Sed vt Machiauellum affirmantem doctores Christianæ Religionis bonas literas abolere voluisse, apertè impudentis mendacij reuincam, age audiamus quódnam fuerit ea de re ipsorum consilium; quídve de secularium (vt vocant) librorum lectione senserint. Doctor Beda (quemadmodum Gratianus in Decreto cõmemorat) scribit eos qui Christianos adolescentes ab Ethnicorum librorum lectione arcent, eadem opera deterrere nè animum ad Scripturarum studium adiungant. Humanioribus enim litteris ingenia quodammodo perpoliri & acui, vt Sacras literas facilius intelligant. Denique Mosis & Danielis exemplo (qui Ægyptiorum & Chaldæorum disciplinis Distinct. 37. c. Turbat.

eruditi sint) nos doceri, ne à Gentilium litteris
„ planè abhorreamus. Sed ipsa eius verba hæc sunt:
„ Turbat acumen legentium & deficere cogit, qui
„ eos à legendis secularibus libris omnibus modis
„ existimat prohibendos. In quibus siquæ inuenta
„ sint vtilia, quasi sua, sumere licet. Alioqui Moyses
„ & Daniel sapientia & literis Ægyptiorum non pa
„ terentur erudiri: quorum tamen superstitiones si-
„ mul & delicias horrebant. Nec etiam ipse magi-
„ ster Gentium aliquot versus poetarum suis vel
„ scripturis vel dictis indidisset. Cur ergo legi pro-
„ hibeantur, quæ tam rationabiliter legenda pro-
„ bantur? Sed seculares litteras, quidam legunt ad
„ voluptatem, poetarum figmentis, verborum or-
„ natu, delectati. Quidam verò ad eruditionem eas
„ addiscunt, vt errores Gentilium legendo detesten
„ tur, & vtilia quæ in eis inueniunt, ad vsum sacræ
„ eruditionis deuoti vertant. Tales laudabiliter se-
„ culares litteras addiscũt. Vnde beatus Gregorius
„ quendam episcopum non reprehendit quòd eas
„ didicerat, sed quia cõtra episcopale officium pro
„ lectione euangelica grammaticam populo expo-
nebat. Hæc de studio & lectione librorum Eth-
nicorum huius doctoris sententia fuit. Ambro-
sius quoque super Lucam eadem de re ita scribit:
„ Legimus aliqua, ne negligantur: legimus ne igno
„ remus: legimus non vt teneamus, sed vt repudie-
mus. Hieronymus in epist. ad Titum, Gramma-
ticen & Dialecticen ad bene disserendum & ve-
ra à falsis diiudicanda, artes etiam Christianis vti-
les esse iudicat: easque si meliores in vsus adhi-
beantur, plurimum etiam ad bene viuendum pro-
desse.

desse. Itaque (inquit) siquando cogimur littera- "
rum secularium recordari, & aliqua ex iis discere "
quæ olim omisimus, non nostræ est voluntatis, sed "
(vt ita dicam) grauissimæ necessitatis, vt probe- "
mus ea quæ à sanctis prophetis ante secula multa "
prædicta sunt, tam Græcorum quàm Latinorum "
& aliorum Gentilium litteris contineri. Augu- "
stinus aduersus Manichæos huic sententiæ suffragatur: Siquid veri de Deo (inquit) Sibylla vel Or- "
pheus aliive Gentilium vates aut philosophi præ- "
dixisse perhibentur: valet quidem ad reuincen- "
dam Paganorum vanitatem, non tamen ad isto- "
rum autoritatem complectendam. Quantum e- "
nim distat de Christi aduentu inter prædicationem "
Angelorum, & confessionem dæmonum: tantum "
inter autoritatem Prophetarum, & curiositatem "
sacrilegorum. Basilius in eo libello quem de legendi Ethnicos libros ratione scripsit, eorum lectionem tantum abest vt damnet, vt hortetur etiam Christianos ad eos euoluendos, & quæcumque legerint referenda ad verum scopum, ædificationem videlicet fidei & religionis Christianæ. Postremò in quadam Synodo decretum fuisse legimus, vt ludi litterarij vbique instituerentur, in quibus adolescentes humanioribus litteris atque artibus erudirentur. Eius articuli seu capitis Decreti (sicut à Gratiano commemoratur) exemplum tale est: De quibusdam locis ad nos refer- " C. de quibusdã. 37. distinct.
tur neque magistros neque curam inueniri pro stu- "
dio litterarum. Idcirco ab vniuersis episcopis, sub- "
iectis plebibus, & aliis locis in quibus necessitas "
occurrerit, omnino cura & diligentia habeatur vt "

„ magiſtri & doctores conſtituantur, qui ſtudia li-
„ terarum liberaliúmque artium dogmata aſsiduè
„ doceant: quia in his maximè diuina manifeſtan-
„ tur atque declarantur mandata. Eat nunc ſycophanta iſte Machiauellus, & dicat Doctores Chriſtianæ Religionis Gentilium libros & bonas literas opprimere ſtuduiſſe. Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, Beda, Baſilius, doctorum Eccleſiæ Chriſtianæ principes, facilè cauſſam ſuam omnibus probabunt, vincéntque iſtum libero mendacio de ſe abuſum eſſe. Iam ſi eò acceſſerit Concilij autoritas (quæ vniuerſalis Eccleſiæ ſuffragij ac teſtimonij vim habet) quis ineptum iſtum ſcribam à ſumma vanitatis & impudentiæ nota vindicauerit?

NVNC igitur libens ex te, Machiauelle, quæſierim, quónam modo tot veterum ingeniorum monumenta à Doctorum & Patrum Eccleſiæ temporibus perierint. Nónne ea bibliothecis & libris vaſtitas, à Gotthis barbaris, ethnicis, literarum hoſtibus, irrumpentibus in Italiam, Gallias, Hiſpanias, illata eſt? Quis noſtra ætate bonas literas Græcis & Latinis Ethnicorum libris comprehenſas inſtaurauit? Turca fortaſsis. Ille quidem plus quàm ethnicus, ſed quo literæ capitaliorem hoſtem non habeant. Itaque honeſtæ diſciplinæ hodie ſuum ſplendorem non Ethnicis ſed Chriſtianis acceptum ferunt. Nam Græcæ, Latinæ, Hebraicæ, linguarum notitiam alij fortè aliis locis, Franciſcus I. certè in Galliam inuexit: ac cum linguarum peritia liberales quoque ſcientiæ veluti poſtliminio reuenere. Neq. vlla res ad Scripturas intelli-

intelligendas præſentior aut efficacior fuit. Idq́. magno vſu cognitum tam vtilia inſtrumenta negligi à nobis non ſinit.

QVAMOBREM miror qua fronte dicat, Chriſtianos omnem antiquitatis memoriam euellere tentaſſe. Sed (vt ille dixit) eum qui ſemel verecundiæ fineis tranſilierit, nauiter impudentem eſſe oportet. Quippe quum Hebræi antiquitatis principatum teneant, eorum libros primùm à Iudæis, deinde à Chriſtianis, tranſlatos & ſumma cura ſeruatos, hodie terimus & verſamus. Ethnicorum veterrimos Homerum, Heſiodum, Muſæum, Beroſum, & ſiquos fortè alios, quis Chriſtianorum extinguere molitus eſt? quod de Caligula fertur, qui de Homeri carminibus, Vergiliíque & T. Liuij ſcriptis, abolendis cogitauit. Immò eos aſſeruarunt & commentariis quoque illuſtrarunt Chriſtiani. Euſtathius qui in Homerum commẽtarios ſcripſit, Chriſtianus erat, & quidem epiſcopus. Sed ne diutius in re tam perſpicua immorer, eius impudentiam vel pueris ipſis caſtigandam delego.

MOLIENTIBVS (inquit) Chriſtianis bonas ‹‹ artes abolere, non ſatis proceſsit, quum cogeren- ‹‹ tur lingua Latina vti. *O te Bollane cerebri Felicem!* ‹‹ Ecquis, obſecro Machiauelle, cogebat veteres Eccleſiæ Doctores vt Latinè ſcriberent? Vetus & nouum Teſtamentum Hebraicè primùm & Græcè ſcripta erant. Itaque poterant Patres his idiomatis vti. Sic Chryſoſtomus, Athanaſius, Baſilius, Cyrillus, Euſebius, Græcè ſcripſere: neque, vt ſcriptores eo idiomate eſſent vſi, propterea minus

Latinè cum Latinis, Gallicè cum Gallis, Germanicè cum Germanis, pastores egissent. Ecclesiæ tamen & plebis intererat, Scripturas in vernaculam linguam transferri, quemadmodum ab Ambrosio, Hieronymo, aliísque Ecclesiæ doctoribus in Latinum sermonem, quod tum familiare idioma erat, versæ sunt, vt Christiano populo consulerent. Neq. vt omnia Ethnicorum monumenta periissent, propterea intercidisset per omneis tum vulgatus Latinæ orationis vsus. Sed quid sibi velit, quum dicit Christianam religionem aboliturum fuisse omnem memoriam antiquitatis, si nouum idioma fingere potuisset: ego nescire me fateor. ac ne ipse quidem fortasis. Quis enim fando vmquam audiuit extitisse vllam religionem quæ nouum idioma fingeret? quæ posset intelligi ac percipi, si sermone incognito & peregrino vteretur? Itaque si tum Christiana religio, nouo idiomate inducto, Latina scripta conaretur exstinguere, quis familiari & vulgato sermoni insolitum & barbarum anteponeret? si Latinam linguam vsurparet, quis eorum scripta negligeret, quorum illa verbis vteretur? Quamobrem siue illa Latinè, siue barbarè & inusitatè, loqueretur, Latinos libros obsolefacere non poterat: ac proinde hæc Machiauelli commentatio inepta, ridicula, nec caput nec pedes habet.

» RELIGIONES (inquit) & sectæ spatio quinq. » aut sex mille annorum bis terve mutantur, ac po» sterior superiorem exstinguit. Euge, bone vir, vnde hoc aut vbi expiscatus es? Vnde potuisti rerum ante Mosem gestarum historiam, nisi ex ipso

Mose,

Mose haurire? Scilicet voluit hoc splendido commento Machiauellus impium & profanum animum perspicuè nudare, necui dubium esset, cum nec Creationem mundi, nec veram Religionem, quam inde vsque à Mose ducimus, credere. Quippe nónne ex Scripturis colligimus, nondum à condito mundo sex millia annorum fluxisse? Nónne indidem didicimus eam religionem, cuius idem substantia sit & autor Christus, ab origine mundi cœptam, nulla superstitionum aut sectarum vicissitudine oppressam fuisse, sed constanter mansisse ac mansuram ad consummationem vsque seculi? Ethnicas quidem superstitiones breui spatio sæpe interpolatas & immutatas historiæ docent. Romulus, qualiscumque religio illa esset, sacra diis aliis Albano ritu, Herculi Græco, vt ab Euandro instituta erant, Romæ faciebat. Eam religionem Numa immutauit, & alia sacra, alios ritus, monitu Egeriæ suæ instituit. Deinde alius cultus deorum Numæ ceremoniis succesit, peregrinis multis sacris in vrbem è Græcia inuectis. Nam quum quingentis fermè annis post eius mortem in arca lapidea ipsius libri de Iure Pontificio reperti essent, legentibus apparuit Religionem à Numa institutam prorsus ea ætate obsoleuisse. Ad summam, Religiones ethnicæ subinde ritus & ceremonias mutabant: in hoc vno (iam inde à Caini posteris, qui à vera Religione & Ecclesia desciuerant) sibi perpetuò similes, quòd à Satana proficiscebantur, mendacij & superstitionum omnium autore. Itaque quum Scripturæ veritatem vsqueadeo despexit, vt veram Religionem inconstantiæ accusaret,

quid aliud molitus est iste Diagoras, nisi vt hîc, velut illustri in monumento, Impietatis suæ elogiū immortale suspenderet & consecraret? Nam & impiis æternitatis perpetuæque famæ cupido, sed inconsulta, est. Sic Nero fratre, matre, coniuge, interfectis, vrbe incensa, aliisque prodigiosis facinoribus innotescere voluit, & immortalē sui memoriam relinquere. Sic Caligula queri palam de temporum suorum conditione solebat, quòd nullis publicis calamitatibus insignirentur: sui obliuionem imminere prosperitate rerum. Atque identidem exercituum cæde, fame, pestilentia, incendiis, hiatu aliquo terræ, principatum suum memorabilem fieri optabat. Adeo intestabiles sunt eiuscemodi homines & diabolico ingenio prædicti, vt se insignibus vitiis & flagitiis æternam famam consequuturos sperent. In iis ergo, & quidem in primis, Machiauellum cum Aretino sodali & æquali suo collocabimus, qui æternandæ memoriæ Pæderastices encomium scripsit.

Suet. in Nerone cap. 55. & in Calig. cap. 31.

V. THEOREMA.

Posteaquam homines ab Ethnica religione desciuerunt, adeo corrupti sunt, vt neq. Deo neque Diabolo crederent.

Ethnica

ETHNICA religio (inquit Machiauellus) in Oraculorum responsis & Auguriis potissimùm posita erat. Atq. vt prospera signa vel responsa elicerent homines, templis exstructis magnificè, solle̅nibus ceremoniis sacra Diis faciebant. Itaque Iouis Ammonis, Apollinis Delphici, &c. oracula, mira pietate omnium pectora imbuerant. Sed postquam patefacta fraus, & cognitum Deorum sacerdotes corruptos ad arbitrium sciscitantium & pecuniam largientium responsa sortium edere, tum sperni cœpta sunt oracula, Deóque simul ac Satanæ fides detrahi. Exinde homines eò nequitiæ lapsi sunt, vt non secus ac mancipia ergastulis soluta, omnia perdendi ac miscendi libidine, ius, fas, religionémque omnem, exuerent. Itaque Principibus danda est opera, si subditos in officio continere cupiunt, vt iis semper Religionis metum ac reuerentiam iniiciant. Comm.lib.1 cap.12.

SI Machiauellus ex composito Satanæ operam locaret, & ab eo inire gratiam vellet, poterátne melius Ethnicismi iacturam deflere? Nam quum Christianæ religionis lux Paganismi tenebras discusserit: quid his verbis significat, nisi malè cum rebus humanis actum esse, quum Ethnica religio sublata est? Quippe

Christiana nos facilè carituros fuisse. Pigeret me ista vel abominantem referre, quæ Christianas aures & pios animos vtcumque vulgata offendunt, nisi periculum esset ne mendaciorum mentione semel oppressa simul proderetur veritas.

Atheismus hominem in summũ nequitiæ fastigium deducit.

PROPRIO tamen testimonio semet ipse coarguit, quum dicit homines, Ethnicæ superstitionis erroribus in lucem prolatis, summam in nequitiam ruisse. Nam si homines, religione sublata, vt exsoluti frenis, in scelera prorumpunt, cur ergo Machiau. Atheismum & crassum Christiani cultus contemtum palam inuehere nititur? An vt nos ad Paganismum reducat? at falsum esse confitetur. Nihil ergo aliud sibi proposuit, quàm vt homines (præsertim Principes, & summos quosque viros, quibus libros istos conscripsit) à pietate auersos, in summum nequitiæ fastigium eueheret. Sed vbi eò per Dei & religionis ludibrium enisi fuerint, quis tandem exitus, nisi vt se ac summam rerum suarum præcipiti & lubrico in loco statuentes, quo altius ascenderint eò grauius cadant?

VERVM, vt propius congrediamur, certum est oriente Euangelio & paulatim per orbem radios fundente, Ethnicismum paulatim quoque euanuisse. Ac tum nonnullos extitisse, qui discussis errorum tenebris, veritatis tamen lucem intueri nollent. Quos sicuti ab deorum cultu, vt vano, in Epicuri castra migrantes, euasisse deteriores minimè dubitauerim: ita plurimos extitisse compertum habeo, qui non tãtùm Ethnicam religionem abiicere, sed Christianam quoque nosse atque amplecti, vellent. Vnde paulatim factum est vt omnes

nes ad Christum transirent: exceptis paucis Porphyriis & Lucianis, qui nulli neque religioni neque superstitioni dediti essent. Quemadmodum & hac nostra tempestate, plerique veram religionem prudenter ac scienter ignorant, ne fœdas ipsorum libidines coarguat, néve ipsos cæcis tormentis & conscientia scelerum exagitet.

CETERVM quum Machiauellus Oracula dicit fuisse responsa quædam à sacerdotib. ipsis pro arbitrio efficta & ad homines fallendos comparata, in eo se historiarum & rerum valdè ignarum prodit. Non nego sacerdotes nonnulla sæpe admiscuisse de suo: sed ita vt oracula ipsa à Satana proficisci minimè ambiguum esset. Is enim Pythiam vel vatem spiritu afflatum in specu, quidquid liberet cogebat effari; pleraque oracula versibus, eáque ferè ambigua aut ancipitia, fundens. Nam quomodo antistitæ illæ vaticinatrices, sine vlla literarum disciplina, sponte versibus responsa edere possent? qua ratione ea appositè accommodare ad res tam varias, & quidem ignotas, de quibus oratores è procul dissitis regionibus sciscitatum missi erant? Qui vel minimùm veterum scripta attigerunt, satis intelligunt eam hominum vocem non fuisse sed dæmonum, qui ab Ethnicis sub nominibus Iouis, Apollinis & eiusmodi deorum, colebantur.

PLVTARCHVS in libello De oraculorum defectu, satis perspicuè declarat oracula non fuisse à sacerdotibus aut Pythiis sponte conflata: sed in ea quæstione, quænam caussa oraculorum silentij esset, soluenda valde seipsum torquet. Nam Plutar- *De Oraculorum defectu.*

chi ætate (imperante videlicet Traiano) & ante ipsius ætatem oracula per orbem terrarum extabuerant. Itaque quoniam & consideratione digna quæstio est, & philosophus ille ex ea non satis se expedire potuit, age paulisper hîc immoremur. Etsi enim Plutarchus eam quæstionem, vt homo ethnicus, tractat & soluit: narrationes tamen quasdam admiscet, quæ nos ad veram eius defectus caussam velut manu ducant. Is ergo de deorum natura disputans, genus quoddam inter homines & deos interiectum esse dicit, qui à veteribus Heroes, Semidei, Lares, & Genij, dicti sint. Illos porro quum ex deorum & feminarum mortalium concubitu orti sint, mortales quoque esse, quamquam longissimi æui, vt qui decies Phœnicis annos superent, vt ait Hesiodus. Vetus enim superstitio credidit Deos aliquãdo in terras descendere, vt mulierum complexu potirentur: ac sæpe eo commento illustres feminæ, adulterij dedecus velabant, quum deus culpæ autor honestior esset. Itaque Plutarchus, etsi hanc opinionem pro certa non amplectitur, eò tamen inclinat vt existimet istos qui Deli, Delphis, & aliis locis, responsa edebant, ex eo genere semideorum fuisse: ac proinde eos spatio vitæ expleto esse mortuos, atque ex eo conticuisse per orbem terrarum oracula. Sed vt paucos fore arbitror qui tam absurdæ opinioni atq. à vera Dei notitia alienæ hodie assentiantur: ita memorabilem illam & cognitu dignissimam historiam esse iudico, quam inter cetera commemorat quibus illorum dæmonum mortalitatem probare nititur. Scribit igitur Epithersen quemdam

Historia de obitu Panis.

dam grammaticæ professorem narrare solitum, quum aliquando Italiam cogitans nauigium conscendisset, quod non solùm mercium magnam vim sed vectorum etiam magnam turbam ferret, sub vesperam ad Echinadas penitus flatum siluisse, nauísque in salo fluitante, & tandem ad Paxas delata, plurimis tum vigilantibus, multis etiam post cœnam compotantibus, è Paxis repentè vocem auditam esse cuiusdam Thamum inclamantis, ita vt admirarentur. Erat autem Thamus Ægyptius gubernator, multis qui in naui erant nomine ignotus. Bis igitur inclamatum siluisse, tertiùm vocanti paruisse: illum maiore vocis contentione imperasse vt quum ad Palodes peruectus esset, Pana magnum mortuum esse nuntiaret. Hoc audito Epitherses, consternatos omnes stupore dicebat: qúmque deliberarent, quod imperatum erat faciendum esset néene, hac de re sic Thamum censuisse; si flatus spiraret, silentio prætervehendum esse: sin à ventis esset eo loco tranquillitas, quod audierat, esse prædicandum. Igitur ad Palodes perlatis, quum aura nulla esset nec vnda, prospectantem è puppi Thamum in terram, exclamasse vt audierat, Pana magnum esse mortuum: continuóque quum vixdum finisset sequutum esse ingentem non vnius sed multorum gemitum admiratione mixtum: & quòd multi adfuissent, narrabat rei famam celerrimè disipatam esse Romæ. Mox Thamum à Tiberio Cæsare arcessitum, Tiberiúmque huic rei vsqueadeo fidem adiunxisse vt quis ille Pan esset, interrogaret & quæreret. Doctos autem homines, quos circum se

frequentes habebat, censuisse, Pana eum esse qui ex Mercurio & Penelope natus esset. Hæc de Panis morte commemorát Plutarchus, & multos tum extitisse qui illud de Æmiliano iam sene, Epitherſis illius filio, audiuiſſe ſe dicerent. Sed huius historiæ circunstantias si sedulò expendamus, cōperiemus eam vociferationem, quamdam significationem fuisse mortis Christi, qui & oracula & omnem Satanæ potentiam euertit. Neque abhorret à vero, gemitus illos ad Palodes auditos, fuisse questus & planctus dæmonum, qui nihil ægrius audire poterant quam Regni sui interitum. In eam sententiam multa congruunt. nam & ea Tiberij tempore contigerunt, quo quidem imperante passus est Christus: & de Christo sciscitatum esse Tiberium constat, cúmque annunciata sibi ex Syria Palæstina quæ veritatem diuinitatis illius testarentur, detulisse ad senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatum verò, quia non ipse probauerat, respuisse. Præterea quum fama miraculorum ipsius passim celebris esset, facilè adducebantur Ethnici vt deum eum esse crederet, quùm alios multo minoribus de causis pro diis haberent. Quúmque ipse se Pastorem esse diceret, probabile est Ethnicos coniectura quadam in Pana deerrasse, quem deum Pastorum ferebant. Adhæc quum diceret Christus, se à Deo patre missum vt ipsius voluntatem hominibus annunciaret, Mercurij quoque nomen illi nonnumquam tribuisse, quem Iouis nuncium & interpretem fingebant. Quod quidem ex quadam Dionis historia conijci potest. Siquidem ille scribit M. Antoni-

Tertull. Apol. aduersus gentes. cap. 5.

num bellum aduersus Quados gerentem, Mercurio illo qui est in aëre inuocato, pluuiam è cælis extorsisse. Capitolinus eamdem historiam attingens, dicit Antoninum peregrinos ritus quæsiisse, Marcomannico bello. Itaque quum inter Romana numina Mercurius peregrinus non esset, intelligendum est illud Dionis de alio quodam Mercurio, quem quum non nossent hoc tamen nomine designabant: quia fortè acceperant, ita Christum dicere solitum, Se à Patre missum in terras interpretem & præconē ipsius voluntatis. Quamobrem, quum docti illi, quos secum habebat Tiberius, ingentia Christi miracula fama accepissent, facilè adducti sunt, vt diuinitati ipsius assentirentur. Quòd Summum pastorem Christus se ferret, eum Pana esse interpretati sunt: Quum intelligerent, illum Præconem & internuncium esse Patris, & ex virgine natum, probabili mendacio finxerunt eum ex Mercurio Iouis nuncio & Penelope ortum, quæ licet non virginitate, pudicitia tamen, nobilis fuit: quia scilicet credibile non erat quemquam ex virgine nasci posse. Itaque docti illi viri (vel indocti potius) his coniecturis collatis in vnum, Tiberio responderunt, eum cuius mors tum significata esset, Pana esse Mercurij & Penelopes filium: detortis quæ de Christo audierant ad commentitios deos. Nobis verò vel hæc vna ethnica historia fidem facere potest Christi morte flexiloqua illa oracula exstincta esse. Nam ex historiis colligi potest post Christi mortem celeberrima illa & venerabilia gentibus oracula sine dignitate & gloria iacuisse. Sacerdotes quidem

Dion. & Capit. in Marco.

quum viderent se à deo suo & lucro deseri, responsa ipsi quædam sponte fundebant: sed detecta ipsorum fraude, & religione Christiana propagata, clausísque gentium templis, in totum deserta & neglecta oracula siluerunt. Nero quidem doli gnarus in Cirrhæa regione, fanum Apollinis & μαντεῖον deleuit, sacerdotibus ad os ipsum ex quo spiritus dæmonis emittebatur, interfectis.

Dion in Nerone.

Christi aduentu & doctrina instauratus est & emendatus mundus.

DENIQVE, quemadmodum oracula illa Christo aduentanti, sicut tenebræ soli, cessere: ita oriente Euangelio cetera quoque in melius versa sunt. Nam ipse primò, mox ipsius missu Apostoli purissima per orbem terrarum disseminata doctrina, Homines vereri Deum, Proximum diligere, à malo abstinere, caritatem in omnes exercere, docuerunt. Ceterum Iustitiam, temperantiam, reliquásque virtutes, non ore tantùm aut externa specie, sed intus & serio animi affectu, colere. Ethnicis alia morum via erat: neque vt boni essent laborabant, dum possent videri. Id Cæsaris, Pompeij, Ciceronis, & aliorum, studia & facta declarant: qui non Dei colendi studio, sed adipiscendæ gloriæ cupidine, virtutis iter ingressi sunt. Cato ipse Vticensis (cui non tam decoris quàm virtutis studium erat) cur vim vitæ suæ attulit? An vt Deo placeret? At non ignorabat ex hac vita tamquam ex præsidio iniussu Dei summi imperatoris nulli emigrandum esse. An vt conscientiæ suæ satisfaceret? At sibi conscius non erat vllius sceleris, quo meritus esset vt de se ipse consuleret grauius. Quæ res igitur eum commouit? Dedecus scilicet metuebat. Si paulum modò fastigio ac fortunæ

Ethnicorum virtutes politicæ & externæ tantùm.

tunæ Cæsaris se summisisset, poterat eius beneficio vitam, fortunas, dignitatem, omnia salua, habere. Sed quum Cæsari supplicare sine summo dedecore posse non videretur, ei debere incolumitatem non sustinuit. Itaque præstantissimi quique inter Ethnicos non illustrandæ Dei gloriæ, sed suæ, studio virtutem coluerunt. Christus verò docet nos, non virtutis aut bonorum morum famam inter homines in primis quærere: sed iis animos nostros intus ornare, & ad Dei voluntatem vitam nostram componere. Præterea quanto verius, quanto perfectius, Ethica & præcepta morum Christiana doctrina quàm Ethnica disciplina traduntur? Qua igitur fronte audet iste Sophista dicere, homines cessantibus oraculis in omnem nequitiam esse prolapsos? Si vmquam Ecclesia Christiana vitæ & morum integritate toti mundo præluxit, illo maximè tempore accidit, quo euanuerunt oracula. Nam & ij quoq. qui Ethnicam superstitionem non abiecerant, Christianorum exemplis & dictis doctiores & meliores fiebant. Qui leget scripta Senecæ, Plutarchi, Plinij secundi, qui nascente Ecclesia vixerunt, multas sententias pias animaduertet, quas ita scitè veluti emblemata suis libris includunt, vt attentus lector Christianas esse & à Christianis acceptas facilè deprehendat. Vnde enim hæc, quando neque apud Platonem, neque Aristotelem, neque aliquem veterum philosophorum, leguntur? Exempli gratia, Quum Plutarchus de tranquillitate animi, de cohibenda iracundia, de vitanda vsura, de vtilitate ex inimicis capienda, de iis qui tardè à numine

Ethnici olim in Ecclesiæ nascentis primordiis multa à Christianis didicerunt.

corripiuntur, & aliis quæstionibus, differit, multis planè Christianis sententiis vtitur, quæ eorum qui ante Christum vixerunt ieiunam & inanem philosophiam nulla ex parte redolent. Senecæ quidem libri tam multis Christianæ doctrinæ floribus quasi consperfi sunt, vt eam ob caussam Christianum ipsum fuisse & Paulo familiari vsu notum, nonnulli coniecerint. Quàm rectè, non dico: sed siue Paulum de sua illa doctrina, cuius nouitas & fama omnium animos erigebat, percontatus sit (quod in homine docto, nec incurioso, planè incredibile non est) siue minus: multa tamen illum à Christianis accepisse & in suos libros infercisse haud ambiguum est. Cedentibus igitur idolis ac oraculis, & longè latéque sese fundente Euangelica doctrina, non deteriores (vt vult Machiauellus) & effrenatis mancipiis similes, sed meliores tum Christiani tum ipsi quoque Ethnici facti sunt. Extitere quidem & illa tempestate aliquot Lucianici homines (qualis iste fuit) qui omnem religionem scurriliter riderent: sed ex duabus vel tribus indomitis beluis an totum orbem æstimabimus?

VI. THEOREMA.

Romana Ecclesia omnium Italiæ calamitatum caussa est.

Romana

ROMANA ecclesia (inquit Machiauellus) caussa est cur Italia (florentissima quondam Romani Imperij prouincia) hodie in minutos principatus discerpta sit & lacerata. Quamobrem illa quæ olim ceteras gentes imperio suo subiicere & debellare solebat, peregrinis omnibus Principibus ad prædam exposita est, quibus infesto exercitu eius fines ingredi libet. Ac quamquam omnium Christiani nominis prouinciarum ecclesiæ Romanæ maximè finitima sit, nulla tamen est quæ minus religionis habeat, quoniam sanctissima illa Romana curia perpetuas ibi factiones & discordias serit & alit. Eam quidem Italiæ omnium calamitatum caussam esse facillimè probari posset, si aliquando translata in Heluetios sede, vbi summa quiete & concordia viuitur, Roma emigraret. Nam ibi maiores turbas paucis diebus concitura esset, quàm quanta nunc est tranquillitas. Comm.lib.1 cap.12.

ETSI pluribus vitiis Ecclesia Romana inquinata est, illi tamen hoc loco falsum crimen impingit Machiauellus. Nam vsu pridem didicimus, eā multo plus longinquis quàm finitimis nocere, & plerumque ditare locum vbi sedem collocat. Auenione septua- Pontificia sedes lōginquis plus quàm finitimis nocet.

ginta ferè annos sedit. Itaque vrbis illius opes & diuitiæ adeo creuerunt, propter immensam vim pecuniæ eò vndique affluentis, vt pristinæ opulentiæ reliquias non pænitendas etiam nunc conseruet. Heluetios quidem permultos existere non dubito, qui Ecclesiæ Romanæ sedem habere in suis finibus magno æstiment. Quippe ita, magna auri argentíque copia eò quotidie affluente, locupletari regionem suam libenter visuros, & eas pecunias pluris facturos quàm indulgentias Papæ. Neque propterea turbas ibi oriri necesse esset: neque magis illa inter Heluetios dissidia sereret, quàm olim Auenione aut vicinis locis. Nã factiones partium in Italia magis adeò ex ingenio istius sectæ, quàm vlla alia ex caussa nascuntur. Quippe eam discordiarum auidam, & serendarum artificem, esse non tantùm domi inter suos, sed in aliis quoque gentibus, miseris Galliæ ruinis satis supérque probatum est. Ceterum nec ipsi quidem Romanenses Machiauello assentiuntur, nec queruntur Romanam curiam sibi detrimento esse. Initio quidem magni illius schismatis Pontificij, satis declararunt quàm metuerent ne aliò transferretur sedes. Nam quum timerent ne Cardinales Gallum Pontificem designarent, qui Auenionem migraret, vbi curia Rom. tamdiu manserat, vi, clamore, conuitio, perpulere Cardinales vt Papam sui corporis & gentis crearent. Adeo vt Romæ passim per vicos & pro eo loco in quem Cardinales Pontificis subrogandi caussa conuenerant, plebs circumfusa clamaret, Romanum Pontificem, aut certè Italum, volumus. Itaque Cardinales Romanum dederunt.

Froiss. lib. 2. cap. 12.

dederunt. Quod ciuibus adeo gratum fuit, vt eum ſuis humeris impoſitum per vrbem tamdiu circumferrent, donec turba eliſus exanimatúſque inter ipſorum manus exſpiraret. Mox tamen deo illo ſuo terreno mortuo, alium flagitauere, & Cardinales vi & clamore plebis ſubacti Italum Papam crearunt. ſed mox Aucnione declararunt alium, qui cum Romano de Papalis dignitatis iure certauit. Itaque inconſulta Romanenſium cupido Pontificiæ ſedis ad ſe trahendæ, ingentis ſchiſmatis Pontificij occaſionem attulit: ex quo quadraginta propè annos innumeræ calamitates ortæ ſunt.

IAM quod dixi, longè diſsitis magis nocere ferè Curiam Romanam quàm vicinis, probare non difficile eſt. Nam quum decimis, cruciadis, bullis, indulgentiis, magnam vim pecuniæ ex longinquis prouinciis (Gallia, Germania, Anglia, Hiſpania, & aliis) Pontifices elicere ſolerent, tota illa & tam ingens pecunia, in Vrbem & Italiam influebat. Itaque ſcitè dictum eſt à quodam doctore Iuris Canonici, Curiam Romanam plumbum in aurum ea arte tranſmutare. Quo nihil ſollertius Chymiſtæ & Paracelſi diſcipuli moliri aut excogitare poſſent. Ergo Romanenſes illa ſua arte immenſùm auctos, nitidos & ſplendidos incedere: hos, fortunis & patrimoniis flando euerſis, ſqualidos, ſentos, & miſeros, videmus.

SAEPE tamen Galliæ reges Pontificum auaritiæ obuiam iſſe, ac vetuiſſe nequas pecunias è regno, Annatis, decimis, bullis, aliíſque artibus, elicerent, Annales noſtri memorant. ſicuti Bonifa-

Monstrel. lib. 1. cap 67. cij VIII. Benedicti XI. Iulij II. & III, temporibus factum est. Sed hoc loco memoranda est determinatio, quæ anno CIↃ. CCCC. X. à Sorbonæ doctoribus & Academia Parisiensi in eam rem facta est. Nam illi in generali conuentu in Bernardinorum æde habito, decreuerunt, nullo iure obstrictam esse Ecclesiam Gallicam vt Papæ pecunias penderet, nisi quantum iuberet caritas illi subsidium ferre, idque tribus tantùm in caussis: Primùm quoties pecunia opus esset ad recuperandam sanctam terram: deinde ad conciliandam inter Latinos & Græcos concordiam: tertiò ad prædicandum Euangelium omni creaturæ. Quibus casibus, seu necessitatibus, tantùm dicebant se ad subsidium illud caritatis Papæ suppeditandum obstringi. Ea tamen etiam lege, ne ipse nummos illos tractaret: sed Ecclesia Gallica deligeret quæstores qui eam pecuniam administrarent atque erogarent in dictos vsus, non alios. Si determinatio ista magistralis obseruaretur, Papam forte offenderet: sed quid tum, dum regno melius consuleretur? Immò si omnes Christiani Principes huic decreto subscriberent, planè impleretur quod frater Ioannes de Rupescissa aduersus Papam sua ætate vaticinatus est. Quam ego historiam, quia lepida est & minimè aliena ab hoc loco, quambreuissimè potero expediam.

Tres limitationes, quibus Sorbonici doctores Papæ potestatem & ius exigédarum in Gallia pecuniarum circumscribunt.

Froiss. lib. 1. cap 211 lib. 3 cap. 24. ANNO CIↃ. CCC. LX, qùum ecclesia Romana Auenione consideret, quidam monachus (ei Ioannes de Rupescissa nomen erat) aduersus superbiam, luxum, libidines Papæ & Cardinalium, deinde Prælatorum & ceterorum Ecclesiasticorum

vitia,

vitia, postremò in ipsos quoque Principes, qui subditos suos tyrannicè opprimerent, concionari cœpit. Porro locũ ferè aliquem Apocalypseos interpretabatur, eúmq. aptè, Pontifici, Cardinalibus & Prælatis, qui tũ Auenione erant, accommodabat. Annales nostri dicunt fuisse doctũ virum, & Ioannis Galliæ regis captiuitatem prædixisse: sed Innocentium VI. Pontif. ipsius concionibus offensum, coniecisse hominem in vincula, quum metueret (vt aiebat) ne ingentis scientiæ vi homines in errorem inflecteret. Scilicet bonus ille Pater ignorãtia ab erroris periculo vindicari homines & doctrina in errorem abduci existimabat. Sed ex multis Ioannis concionibus memorabilis maximè illa est quæ illi causa vinculorum præcipua fuit. Is ergo in concione ad populum inter alia fermè ita disseruit: Historiam vobis insignem cuiusdam rei, vt quondam in cœtu auiũ gesta est, narrare volo, iis planè consimilem quæ Sanctissimo Patri euenerunt & deinceps euentura sunt. Forte quadam olim auis inter ceteras enata est, omnium concessu pulcherrima, sed implumis, Eam mox ceteræ certatim visunt: atque eas cum admiratione pulchritudinis miseratio simul incessit, quòd illa inopia pennarum cum aliis volare non posset. Quid fit? cœtus auium cogitur, deliberatur qua ratione consuleretur illi, ne inopia & nuditate interiret. Itaque fit decretum, vt singulæ illi de suis plumis aliquot largirentur: largiuntur haud malignè: quo magis illa plumis sese vestiebat, eo formosior erat. itaque ceteræ plumas certatim conferebãt. Sed postea-

Concio fratris Ioannis de Rupescissa aduersus Papam.

„ quam illa se satis decorã, & ab ceteris auibus coli „ sensit, superbire, insolescere, reliquas aspernari: „ neque despicere tantùm sed rostro ferire & insectari cœpit. Indignatæ aues concilium conuocant: consiliũ ineunt quid de aue tam ingrata & „ superba statuendum sibi esset. In eo concilio sententia vicit quæ censebat, optimum fore si singulæ plumas suas repeterent, quæ tãtos illi spiritus „ fecissent. Extemplo igitur ad auem illam conuolant ceteræ: superbiam & ingratitudinem exprobrant, plumas quæque suas euellunt, & nudam „ relinquunt. Ita vobis (inquiebat, Papam & Cardinales álloquens) haud dubiè eueniet. Nam vbi „ Cæsar ceteríque Christiani principes eripuerint „ vobis istas opes diuitiásque, quas ipsorum liberalitate congestas, per luxum ac turpitudinem cõ„ sumitis, nudi restabitis. Ecquis vestrûm dicere „ audeat Petrum aut Syluestrum 200. aut 300. equitum turma stipatum incesisse? quippe illi simpli„ ci cultu victúque Romæ clausi & obscuri manebant. Hæc atque talia magno assensu populi audiebantur: apud Papam & Cardin. etsi vera audirent, veritas tamen odium pariebat. Itaque frater Ioannes in custodiam coniectus, fato an morte illata incertum, in vinculis periit. Sed, vti antè dixi, si Principes omnes Christiani Decretũ Sorbonæ & Academiæ Parisiẽsis fortiter exsequerentur, idem planè Sanctissimo Patri obtingeret, quod fratris Ioannis aui contigit.

Froiss. lib. 1. cap. 132. 133. 135. 140.

At non ea tantùm plumbi in aurum μεταμορφώσει longinquas prouincias vrit Pontifex, sed interdictis quoq. & excommunicationum fulminibus.

nibus. Orto schismate illo inter Papas (de quo antè diximus) Romanus Pontifex Vrbanus bullas ad Richardum regem Angliæ misit (is autem totus Vrbani erat) quibus mandabat vt bellum regi Galliç Clementis partes foventi inferret: & vt ab Ecclesia Anglica pecunias ad bellum exigeret, ius ac potestatem dabat. Præterea omnibus qui ad id bellũ nummos benignè suppeditarent, tantam vim indulgentiarum largiebatur, vt totũ Purgatorium exhaurire velle videretur. Quippe omnibus licebat patres, auos, proauos, filios, nepotes, & quoslibet propinquos, inde soluere, dũ æs in capita penderent. Idem sanctè promittebat se curaturum vt eorum animæ qui eo bello caderent, aut pecuniis collatis eo anno decederent, rectà in Paradisum deducerentur, néve illis necesse esset deflectere à recta via vt per Purgatorium aut Limbos transirent. His promulgatis in Anglia bullis, tantum moriendi illo anno, & pecuniæ conferendæ, certamen iniectum est, vt breui vicies quinquies centena millia francorum conflata sint. Eius pecuniæ pars Episcopo Londinensi data est, vt in Hispania bellũ aduersus Clementinos gereret: altera Nordvvicensi Episcopo attributa est cũ exercitus parte qua bellum Galliæ inferret, quæ Clementis partium erat. Atque illi quidem exercitus multum damni cùm Hispaniæ tum Galliæ intulere. Sed Episcopus Nordvvicensis, adolescens & incõsultus, quum temerè in Flandriam impegisset, quæ Vrbano studebat, tantos apparatus vno momento euertit. Nam cum rex Galliæ, qui centùm mil

Bella Principum inter se propter Papam.

lia armatorum habebat in exercitu, prœlio fusum, redire in Angliam summo cum dedecore compulit.

Annal. in ann. 1513. Bellai. Cōm. lib. 1.

ANNO CIↃ. IↃ. XIII. multo grauius damnū regibus Galliæ & Nauarrę Pontificis excommunicatio intulit. Eam Iulius II. fulminarat aduersus omnes Principes qui ad Concilium Pisanum legatos miserāt, eorúmq. ditiones & agros prædæ exposuerat. Itaq. Maximilianus Cæsar & Heluetij hac occasione arrepta Ludouicum XII. coegerunt Mediolano & ditionibus quas in Italia habebat, cedere. Diuersa ex parte Anglus in Galliam prædæ à Iulio expositam cum triginta millibus armatorum irrupit. Interea (Deo Gallias miserante) Iulius moritur: ita abrogato interdicto pax cum Anglō facta est. Ferrandus quoq. Aragoniæ rex, interdicti specie ad Galliæ direptionem properare simulans, regnum Nauarræ de improuiso adortus, necopinante Ioanne Albretio rege, occupat. Quod adhuc veris dominis & heredibus ereptum ipsius posteri etiam hodie tenent: quantumlibet illi se Catholicos aut Tercatholicos nuncupēt. Possem huc alia multa exempla congerere calamitatum, quarum Pontifices longinquis prouinciis autores fuere: potissimùm Germaniæ, quam dissidiis bellísq. inter Cæsarē ac Germanos Principes accensis, perdiu vexauere. Sed superiora hæc satis supérq. declarant, Papam illis terris quas insedit multum emolumenti, remotis plurimum detrimenti, adferre.

Papa autore, regnum Nauarræ veris heredibus eripitur.

MENTITVR ergo putidè in eo Machiauellus:

lus: sed quum addit, Nullam esse regionem, in qua minus sit religionis quàm in Italia, in hoc non est sui similis. quippe verissimè id dicit. Sed quid si nunc reuiuisceret? Quanto magis hoc diceret, quum tātos ab eo progressus sectatores sui fecerint, vt discipuli magistrum superent? Hoc quidem minimè ambiguum est, omnem Religiōnem, atque in primis Romanam, in Italia pridē à Machiauelli discipulis sperni. Luculētum eius rei exemplum ex Cominæo afferam. Ludouico XI. regnante in Gallia, graues inimicitiæ Florentiæ erant inter Pacensem & Mediceam familias. Illi, quum niterentur amicitia Romani Pontificis & Ferrandi regis Neapolitani, coniurarunt in caput Laurentij Medicei, ac omnis ipsius clientelæ. Et quum ab eo abterrassent, fratrem tamen eius Iulianum & alios ex eius clientibus in primaria vrbis æde sacra interficiunt. Laurentius graui vulnere affectus in vestiarium templi se recepit. Commissum fuit hoc facinus, dum peragitur sacrum ex more; & inter coniuratos de signo conuenerat: eo videlicet momento quo sacerdos, *Sanctus, sanctus*, canere inciperet, tum cædis faciundæ tempus venisse. Qui tam audax facinus susceperunt, an, obsecro, credebant Missæ? Si iam ante centum annos Italia ita profanis Dei & religionis contemtoribus scatebat, quantum exeo tam noxiam frugem creuisse existimamus?

Impietatis ludus in Italia pridem apertus.

Com. lib. 6. cap 5.

DENIQVE (vt aliquando absoluam) ab Italia, Roma, Papa & eius sede, tamquam Atheismi scaturigine, manauit quidquid vsquam impietatis est. Nam etsi ecclesia Romana tuendæ alicuius re-

ligionis hodie quoque ſpeciem præbeat, nihil tamen aliud agit quàm vt hominum oculos ſpecioſa larua perſtringat. Ieiunia quadrageſimæ & vigiliarum diligenter indicit: ſed éſtne vſpiam locus vbi maiore licentia ieiuniorum leges violentur quàm Romæ? Caſtitatem ſacerdotibus commendat. at quæ terrarum pars eſt, quæ vrbs, in qua Cardinales & presbyteri plures concubinas & concubinos habeant, quàm in ea quæ à lupa originem ducens tota in lupanar verſa eſt? Simoniam prohibet, vetat beneficiorum, ſepulturæ, indulgentiarum, ſacramentorum, commercia & nundinationes: ſed vbi apertius ea ſunt venalia quàm Romæ? Nunc de conſtitutionibus tantùm ago, quas Romana eccleſia à ſe latas, impudenter tamen violat. Nam ſi de Dei ipſius legibus agere vellem, maturius me tempus quàm res ipſa deſereret. Nam omnibus Dei præceptis ſecurè neglectis, nouis ipſa legibus Chriſtianas conſcientias onerat, quas ne digito quidem noua iſta Phariſæorum natio vult attingere. Immò traditionum eccleſiaſticarum vinculis, quibus ceteri conſtricti tenentur, Papa Romanos & Italos exſoluit. Denique (quod vnum verè dicit Machiauellus) nuſquam minus leges quoque Pontificiæ obſeruantur, nuſquam audacius omnis religio iuxtà ac ſuperſtitio calcatur. Exite ergo ex ea (inquit Dominus) popule mi, ne participes ſitis peccatorum eius, & ex plagis eius accipiatis. Nam accumulata peccata eius pertigerunt vſque in cælum: & recordatus eſt Deus ſcelerum eius.

Apoc. 18. 4.

VII. THEOREMA.

Moses numquam leges suas sanctas & inuiolabiles præstare potuisset, si ei vis & arma defuissent.

INTER præstantissimos viros (ait Machiauellus) qui non fortuna sed virtute principatum adepti sunt, Moses, Cyrus, Romulus, Theseus, & eorum similes, in historiis commemorantur. Nam fortuna tantùm ipsorum virtuti materiem & occasionem præbuit: multo antè moliens vt Moses Israelitas in Ægypto captiuos & seruituti obnoxios offenderet: Cyrus, Persas superbæ Medorum dominationi infensos: Romulus verò iam inde ab ipso ortu Alba & regno auito eiiceretur: Theseus in Athenas seditionibus & turbis plenas incideret. Sinç quibus occasionibus, ab ipsa fortuna substratis, eorum indoles atque virtus exire in lucem per se ipsa non poterat: quemadmodum sine virtute illæ occasiones parum profuissent. Fortuitæ igitur istę occasiones fortunatos eos viros fecerunt: tum eorum excellens virtus occasionibus bene & dextrè vti nouit.

Cap. 9. de Princip.

NON satis habuit Machiauellus Scripturam deridere in sinu, nisi suæ impietatis omnes testes faceret, tot aliis super alias cumulatis blasphemiis: quarum hæc maximè insignis, Mosem propria virtute & armis Hebræorum principatum occupasse. Atqui in ipsius Mosis libris legimus, illum vi quodammodo tractum & coactum fuisse à Deo vt tam difficile munus subiret. Mox susceptum insignibus miraculis sanciuisse: populum manu Dei valida ex Ægypto detractum, interdiu præeunte nubis, noctu flammæ, columna per auias solitudines deductum fuisse: Rubrum mare in partes discedẽtibus aquis populo vacuum & nouum iter dedisse. Ac nihil eorum Mosem priuata autoritate aut potentia, sed Dei iussu, exsequutum esse. Qua igitur fronte ausus est iste impostor tam putidas blasphemias euomere? Scilicet potuit ex alio aliquo scriptore discere quibus artibus Moses ad principatum peruenerit. Ethnici quidem scriptores parcè ea de re loquuntur; & quidquid de Mose incorruptè scribunt, vel ex ipsius Mosis libris, vel eorum qui Mosem legerant, id hausisse eos necesse est: quando is tanto temporum interuallo superat alios omnes scriptores. Quum igitur nisi ex ipso Mose Mosis historiam discere non potuerit, qua impudentia contraria & Mosi & veritati ipsi scribere ausus est? Nam qui Mosem dicit Hebraici populi principatum armis adeptum esse, nonne is simul negat Mosem à Deo illi genti ducem impositum esse, & quidem inuitum? Israelitas Dei potentia mirabili liberatos esse è manu Pharaonis? Man è cælo

cælo pluisse ad ipsos alendos? denique quæcumque per Mosem dictauit Spiritus Dei, nonne is in dubium reuocat, & Deum ipsum falsitatis accusat? Itaque Lucianicum istum hominem, quando Scripturam omnem vt vanam despicit, non Scripturæ testimoniis, sed ipsis Ethnicorum libris refutare aggredior. Trebellius Pollio de Mose ita reuerenter loquitur, vt solum Dei familiarem vocet. Cornel. Tacitus, etsi Iudaicam religionem quantum potest obterat, fateri tamen vtcumque cogitur, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Ægypti regem Hebraicam gentem, regno suo eiectam, auchi alias in terras curasse. Philosophi quoque & poetæ, quum de Mosis doctrina & scriptis loquuntur, nonnumquam Sacra oracula vocant: quo elogio satis perspicuè fatentur facta & scripta Mosis non ab eius virtute, sed à Deo ipso, manasse. Treb. Pollio in Claud. Tac. Annal. lib. 21.

DEINDE quid venit isti in mentem, quum Mosem cum Romulo & Theseo profanis hominibus componeret? Quid isti cùm in vita tum in morte commune habent cum Mose? Theseus & Romulus, ambo spurij, ambo feroces, ambo raptores, quorum alter fratrem, alter filium, quantum in se fuit, interemit. Hic à suis ciuibus discerptus, ille à suis patria eiectus est. Quid simile aut istis malis affine in Mose? Sed istius quoque turpem ἀνιϛορησίαν faxo vt videant omnes. Vnde didicit iste Theseum principatum Athenis obtinuisse, quòd ciuitatis statum seditionibus perturbatum offendisset, fortuna videlicet ita viam virtuti eius sternente? (Nam, vt obiter hoc dicam, istis Plut. in Theseo.

Epicureis sollenne est Fortunam Prouidentiæ dei loco substituere.) Constat enim Theseum in principatum Athenarum collocatum esse, quòd Ægei legitimi regis filius & successor declaratus esset, & sublatis passim prædonibus quibus Attica & finitimæ regiones infestabantur, Atheniensis populi gratiam inisset. Immò eum, constituta Republ. dominatum deposuisse, Homerum testari scribit Plutarchus. De Athenarum autem statu tum perturbato, nemo (quod sciam) præter Machiauellum hactenus scripsit. Ceterum quum eam fuisse occasionem Romulo principatus adipiscendi dicit, quòd Alba & domesticis penatibus inde ab ipso matris vtero eiectus fuerit, nónne in eo magnum acumen iudicij ostendit? Nam quis sani iudicij homo dixerit, eiici patria, destitui à parentibus, pro spurio exponi, ali inter pastores & pecudes, occasiones esse aut vias quibus ad principatum quis perueniat, vrbes & ciuitates condat? Si ita esset, multis equidem facultas abundè suppeteret ad principem locum obtinendum: immò multo plus esset Principum, quàm subditorum. Contrà, ad id fastigij peruenisse Romulum legimus, quòd vir esset strenuus manu & impiger, qui collecta seruorum atque exulum multitudine, quibus omnis spes in manu & audacia esset, illos sub imperium accepit: mox vrbem condidit cum Remo: eúmque pòst vt solus regno potiretur, interemit. En tyrocinia & rudimenta præclara Romuli.

VIII.

VIII. THEOREMA.

Moses perinde Iudæam occupauit, vt Gotthi partem Imperij Romani vsurparunt.

CVVM populi (inquit Machiauellus) fame, bello, aut seruitute, in patria infestantur, plerumque nouas sedes quæsitum eunt, quibus noua indunt nomina. Sic Hebræorum populus seruitute oppressus ab Ægyptiis, ducem Mosem sequutus, partem Syriæ insedit, cui Iudææ nomen imposuit: sicut Gotthi & Vandali Imperium occidentis occuparunt. Similiter Maurusij, vetus Syriæ gens, quum Hebræos valida manu ex Ægypto aduentare sensissent, neque se illis pares fore satis fiderent: relictis suis terris in Africam concessere, vbi pulsis incolis nouas sedes nacti sunt. Quod ex Procopio probari potest, qui in vita Belisarij scribit se in Mauritania regione Africæ quasdam columnas hisce literis insculptas vidisse, *Nos Maurusij, qui fugimus à facie Iesu latronis, filij Naue.*

Comm lib. 1 cap. 8.

QVI malè cœpit, cum mirum non est malè pergere. Finxit iste Mosem vi & armis regnum in populares inuasisse: nunc gradu illo facto porrò pergit, & suadere nititur eum, manu contracta, latrocinij verius more quàm belli alienam regionem occupasse, neque alio iure Iudæam obtinuisse quàm quo Gotthi & Vandali Liguriam, Hispaniam, & alias Imperij Rom. prouincias potiti sint. Piget me pænitétq. (vti iam antè dixi) istorum tædio fatigare legentium animos, sed neque tam putres lacunæ moueri possunt quin fœteant, neque purgari quin moueantur. Deinde Aulicis minuenda quoque sua opinio est, qui in rebus politicis tractandis libros istos tanti faciunt, vt quidquid moliũtur ad istam normam, velut ad Cynosuram aliquam, dirigant. Agè ergo Augiæ stabulum istud purgemus. Primùm scimus Iudæam prius Canaan dictam esse, à Canaane filio Cham, filij Noah, ex cuius stirpe Cananæi veteres illius regionis incolæ orti sunt. Deinde portioni quoque eius, Palæstinæ Pelisthæos nomen fecisse, qui à Pelisthim vno ex filiis Canaanis genus & appellationem ducentes, Cananææ & ipsi gentis ac nominis erant. Ceterum ea etiam illius pars Iudæa dicta est, quam Iuda; quæ super ceteras tribus dignitate eminebat, Cananæis deletis, occupauerat: nomine deducto à Iuda stirpis autore & Patriarcharum principe. Sed nusquam legimus ætate Mosis ei regioni Syriæ nomen fuisse, aut nomine Syriæ Cananæam comprehensam esse. Nam tum ea regio, quam Syriam dixerunt posteriores, Aram vocitabatur (ab Aramo filio

Ioseph.lib.1. Antiq.cap. 11.14.

filio Sem filij Noah) cuius metropolis erat Damascus. Quamquam posterior ætas Syriæ appellatione Assyriam quoque complexa sit, quæ tum Assuris vnius ex filiis Sem nomen gerebat. Itaq. non minus Geographiæ & historiæ ignoratione quàm pietatis odio labitur, quum dicit Syriæ partem à Mose subactam esse, cuius tum ne nomen quidem erat inuentum. Sed vnde historias aut aliquid liberalioris disciplinæ discere potuit iste scriba Florentinus, qui nihil ferè tractaret præter schedas forenses, aut aliquas fortè tabulas & commentarios Reipubl. Itaque sua ista præclara theoremata non exemplis insignioribus Græcis aut Latinis, sed tenuibus & obscuris (puta è Genuensi aut Florentina Rep. Pontificibus, Ducatu Mediol. & minutis Italiæ principatibus, petitis) ferè confirmat & illustrat. Nisi quod nonnulla è Tito Liuio obiter spargit: sed Deus bone quàm ineptè! Ceterum non ex Machiau. sed ex Mose discimus terram Canaan sæpe à Deo Abrahæ & ipsius stirpi promissam fuisse: ibique Abrahamum posterósque eius tam diu habitasse, donec Iacob cum familia ex Canaan famè depulsus in Ægyptum Dei veluti manu traheretur. Quum igitur Hebræi, Dei mandato, Ægypto egressi, patrum suorum sedem repetiuerunt, sibi à Domino toties & posteris suis promissam, an iniustè aliena inuaserunt, vt Gotthi & Vandali? Immò non aliena sed sua pro suo iure vsurpare illis licuit, atque inde expellere Cananæos, vt iniustos & malæ fidei possessores, à quibus hereditate sibi à Deo attributa (qui cæli terræque dominus est)

iamdiu fraudarentur.

Mauri è Media, non è Syria aut Phœnicia, oriundi.

QVOD de Maurusiis attexit, mera est fabula. Nomina victarum à se gentium Moses & Iosue sedulò enumerant: de Maurusiis mirum silētium. Neque apud vllum probatum scriptorem Maurusios vllos in Canaan habitasse legimus. Mauros verò illos siue Maurusios qui Africæ partem proximè Hispaniam occupant, non è Palestina sed è Media transuectos esse, Sallustius, rerum Romanarum florentissimus autor, memorat. Sed nomen eorum paulatim Libyas corrupisse, barbara lingua Mauros pro Medis appellantes. Ego Sallustio ita scribenti potius quàm isti beluæ crediderim.

Sall. in Iugurth.

QVOD ad titulum illum, *Nos Maurusij*, inscriptum columnis attinet, scribit equidē Procopius Maurusios vrbem Tingen in Numidia cōdidisse, ibíque duas columnas è lapide candido erexisse cum eiuscemodi titulo Phœnicum litteris insculpto. Procopius tamen eum se titulum nec vidisse nec legisse refert (quod de suo addit Machiauellus) neque verisimile esset columnas è lapide tenero & candido duo mille quingentos annos & amplius (qui fluxerunt ab ætate Iosue ad tempora Procopij) durare potuisse. Immò etiam si è silice essent aut quouis lapide durissimo, inter tot bella & calamitates quibus Africa concussa & totus orbis versus est, tot annorum tabe corruptæ & consumtæ essent. Deinde nec alij scriptores antiquiores & grauiores Procopio, quum de rebus Africæ agunt, eius tituli mentionem vllam faciunt: & parū credibile est Maurusios suæ fugæ, vt memorabilis

Proc. lib. 4. de bello Vandal.

morabilis

morabilis facti, famam ad posteros propagare voluisse. Sed mirari nemo debet si Procopius, qui & Sophista & Rhetor & Græcus erat, licentius in eo fingendo sibi indulserit: quum eodem loco scribat Maurusios, Phœniciæ gẽtem, metu Iosue & Israelitarum, relicta patria in Africam migrasse: eámq. multitudinem ex Iebusęis, Gergesæis & aliis populis qui in Bibliis memorãtur, collectã fuisse. Verùm à sacra historia refellitur, quæ neque Iebusæos, neque ceteros Cananęos qui cladi superfuerant, è patria eiectos fuisse narrat, sed tributarios Israelitis factos. Itaque nec Machiauello, ac ne Procopio quidem ipsi, quem ille autorem laudat, magis ea de re crediderim, quàm somniis Rabinorum qui Romanos ab Idumæis, Germanos etiam à Cananæis, ortos esse fabulati sunt. Quod quidem ita à me dictum accipi velim vt aliis in rebus autoritatem Procopij non immi nuam, quem ceteroqui fide dignum existimo: præsertim in iis historiis quas de bellis & rebus sua ætate gestis à Iustiniano Cæsare & ipsius legatis, Belisario, Narsete, & aliis, conscripsit.

Iud. cap. 1. & 3.

IX. THEOREMA.

Religio à Numa inuecta præcipua fuit caussa Romanæ felicitatis.

Comm. lib. 1. cap. 11.

ROMVLVS (inquit Machiauellus) per omne regni tempus Romanos armis & bello exercuit. Itaq. efferatis militia animis, ille populus, Martius, ferox, horridus, sanguineus, omnis humanitatis & ciuilitatis expers, effectus erat. Numa Romulo succedens tractari ferocem populum, nisi mitigatis & cicuratis pace animis, quum videret non posse, excogitandam sibi aliquam Religionem ratus est, splendidis ceremoniis ornatam & venerabilem: quum sine Religione politiam aliquam & societatem tueri inter homines impossibile esse iudicaret. Itaque simulatque regnum adeptus est, sacris instituendis & sacerdotibus creandis animum adiecit. Ea se omnia ab Egeria dea accepisse simulās. Quod ita prosperè cessit, vt meo iudicio (inquit) Religio à Numa instituta Romanę felicitatis vna pręcipua caussa fuerit. Quippe ea res in bello militum animos spe atque audacia implebat: ordines seruare, &

re, & in castris quietos consistere: domi bonos tueri, improbos euertere, plebis motus sedare, & eam in obsequio officióque prorsus continere, docebat. Porro cauendum est Principi ne quod Numa potuit id se assequi posse desperet, néve animum despõdeat, quòd imperet hominibus perspicacibus & acutis, qui non facilè patiantur se in nouam superstitionem induci. Nam verè testari possum (inquit) Florentinum populum imperitum & rudem non esse: persuasit tamen frater Hieronymus Sauanarola, quũ Florentiæ concionaretur, decem millibus Florentinorum, sibi cum Deo arcanos congressus esse, & sibi ab eo reuelari, quę publicè pronunciaret.

IMPVRVS iste Atheismi doctor, & Lucretij fraterculus, postquam quidquid inerat pietatis eiecit ex animo Principis, &,

Relligionum animos nodis exsoluere pergens,

Deum & omnem ipsius cultum aspernari docuit: nunc tamen vt ipsius statum firmet, ad excogitandam nouam quamdam concinnam & speciosam Religionem instruit, quemadmod. à Numa factum est: minimè quidem vt illi fidem adhibeat, sed vt subditos, iniecto Religionis metu facilius in officio contineat. Excudi porro nouũ aliquod Religionis spectrum difficilé non

esse, Sauauarolæ & Florentinorum exemplo probat. Certè mirum esse non debet, istum Luciani discipulum omnes religiones pari audacia despicere, & ex eius officina nihil prodire quod diabolicam impietatem non sapiat: sed mirum est istum legisse Numam præ ceteris, cuius exemplũ in religione fabricanda imitãdum Principi proponeret. Nihil enim maius Numa religioni addidit, quàm quod Fidei erexit templum & sollenne instituit multis ceremoniis venerabile, vt populum ad fidem tutandam & periurium fugiendum induceret. Legem quoque tulit, vt qui de re aliqua inter se ambigerent ad ædem Fidei conuenirent: ibíq. controuersiam omnem, aduocatis viris bonis, & sanctissimo fidei iureiurãdo præstito, componerent. Præterea quum Termino, tamquã Iustitiæ & Pacis præsidi, tẽplum & sacra instituisset, populo persuasit, eius caput qui alienorum agrorum limites transferre aut tollere ausus esset, diis inferis sacrum & deuotum esse: vt suis contenti esse, alienis abstinere, assuescerent. At contrà Machiauellus quibus præceptis Principem instituit? Neque Principi neque vlli fidem vsquam seruandam esse, nisi vtilitatis suæ gratia: Principi artem fallendi notam esse oportere, neque vlla religione debere cohiberi, quominus, si opus erit, peieret: Si prouinciam subegerit, colonias erigere, & veteres cultores ex auitis possessionibus pellere. Atqui, Machiauelle, hæc Religioni à Numa institutæ è diametro repugnant. Sed quum hæc videlicet ea præscribi ignorares, eam imprudens & aliud agens laudabas.

Dion. Haly. lib. 2.

NEQVIS tamen existimet Numæ religionem à me propterea vsquequaque probari, quòd nonnulla bona & non pænitenda contineret (qualia erant, Fidem seruare, Periurio abstinere, Aliena non inuadere) hoc addo, non idcirco approbandam esse. Quippe res bonas malarum & falsarum adminiculo, præsertim in Religione, inuehere nō licet. Laudabile erat homines ad fidem seruandam assuefacere: sed Fidem pro numine habere, ei templum erigere, sacra instituere, id verò quum in Dei dedecus verteret, ferendum non erat. Itaque parum Christiana fuit oratio Capelij aduocati Regij in Senatu Parisiensi, quam habuit anno CIↃ. IↃ. XXXV. Nam quum Franciscum I. Galliæ regem laudaret, quòd Religionis curam gessisset, inter cetera dixit: Eorum Ethnicorum qui suam religionem studiosè coluissent, regna & ciuitates secūdo rerum cursu & bonorum copia floruisse. Licet enim in errore & tenebris versarentur, quia tamen eam, veram & bonam esse rati, reuerenter amplecterentur, prosperè agebant. Etsi ne superstitionis quidem stolidæ ludibrium approbat Deus, oratione tamen parum à Machiauelli doctrina abhorrenti Capelius vsus est, quum diceret, Ethnicos secundis rebus esse vsos quòd falsam religionem colerent.

Papon. lib. 1. tit. 1. Arest. 8

VERVM vt Machiauellum de re planè incognita iudicium ferre doceam, veluti cæcum de coloribus, hîc opportunè luculentam historiam inseram. Anno IↃ. LXIX. ab Vrbe cond. P. Corn. Cethego, M. Bebio Tamphilo, COSS. in agro L. Petilij scribæ sub Ianiculo, dum cultores

Liu. Annal. lib. 40.

agri altius moliuntur terrã, duæ lapideæ arcæ inuentæ ſunt, operculis plumbo deuinctis. Eas arcas quum ex amicorũ ſententia dominus aperuiſſet, quæ titulum ſepulti regis habuerat, inanis inuenta, ſine vllo veſtigio corporis humani aut vllius rei, per tabem tot annorum omnibus abſumtis: in altera duo faſces candelis inuoluti ſeptenos habuere libros, non integra modò ſed recentiſsima ſpecie: ſeptem Latini de iure Pontificio erant, ſeptem Græci de diſciplina ſapientiæ, quæ illius ætatis eſſe potuit. Primò ab amicis, qui in re præſenti fuerunt, libri lecti. mox pluribus legentibus quum vulgarentur, Q. Petilius prætor vrbanus ſtudioſus legendi eos libros à L. Petilio ſumſit. Lectis rerum ſummis, quum animaduertiſſet pleraque diſſoluendarum religionum eſſe, L. Petilio dixit, ſeſe eos libros in ignem coniecturum eſſe. prius quàm id faceret ſe ei permittere vti, ſiquod ſeu ius ſeu auxilium ſe habere ad eos libros repetendos exiſtimaret, experiretur: id integra ſua gratia eum facturum. Scriba tribunos plebis adit, ab tribunis ad Senatum res eſt reiecta. Prætor ſe iuſiurandum dare paratum eſſe aiebat, libros eos legi ſeruaríque non oportere. Senatus cenſuit ſatis habendum quod prętor iuſiurandum polliceretur. libros primò quoq. tempore in Comitio cremandos eſſe. Itaque in conſpectu populi cremati ſunt. Nunc libenter ex Machiauello quæſierim, qui libris Numæ numquam inſpectis eius religionẽ tanti facit, vtrùm veriùs iudicium de ipſius doctrina ferre poſsit quàm Petilius aut ſenatus Romanus? Sed quid
iſtam

istam beluam moror, cuius non magis est de Religionibus sententiam dicere, quàm asini de concentu musico?

PORRO in Hieronymo Sauauarola Dominicano non tantũ esse momenti vt eos in nouam religionem perduceret, Florentini re ipsa docuerunt. Neq. is aliam illis religionem quàm Romanam prædicabat: nisi quòd vitia increpans vltionem & pœnas cælitus venturas minabatur: inter alia prænunciabat Regem Galliæ in Italiam venturum vt Italiæ tyrannos multaret. Adhæc diuinitus sibi patefactum esse dicebat, oportere statum ecclesiasticum per vim armorum emendari. Plerique rerum nouarum cupidi hæc pronis animis audiebant: alij contrá. Inter hæc Carolus VIII. expeditionem Neapolitanam suscipit. tum omnes Hieronymum laudibus ad cælum ferre, & diuinam eius sapientiam admirari. Sed in eo per incommodè id accidit, quòd Rex neque tyrannos sustulit, neque quidquam tanto apparatu dignum egit. Tum non tantùm hominum de Hieronymo concepta opinio minui cœpta est, verùm etiam nonnullis subesse dolum orta suspicio est: vt impostorem esse & sceleratum, atq. in flumen præcipitandum, palam dicerent. Verùm tanta erat ipsius ad vulgus autoritas, vt nemo quidquam aduersus ipsum moliretur. Sed quũ nihil de pristina libertate remitteret, diceretq. fore vt rex iterũ in Italiã reuerteretur & negotiũ sibi à Deo commissum perficeret: nisi faceret, impẽdere illi grauissimas pœnas, ea res Põtificis & Ducis Mediolanensis animũ vehementer offendit. Quippe

Comin.li.8. cap.19.

periculum esse ne Rex his vocibus solicitatus iterum in Italiam irrumperet, quod summopere me tuebant. Itaq. crebris litteris instant & hortantur Florentinos vt de Hieronymo supplicium sumant, vt de hæretico & impostore.

Sed inter alios qui Hieronymũ aggressi sunt, submissus est, vt multi dicebant, monachus Franciscanus (Franciscanis autem immortales inimicitiæ sunt in Dominicanos) qui cum illo cœpit rixari, & facto conuicio hæreticum vocabat ac impostorem, qui cum Deo fingeret sibi esse colloquium. Ea contentio sic exarsit, vt diceret velle se demonstrare, esse hominem nefarium & hæreticum: nisi faciat, non recusare flammas & vltimam pœnam: atque hæc omnia coram magistratũ dicebantur. Quum autem Hieronymus flammam atque supplicium refugeret, quidam eius familiaris paratum se esse dicebat, ipsius caussa periculum subire: & ex Franciscanis inuentus est, qui idem profiteretur. Ad constitutã diem quum ambo venissent, stipati sui ordinis monachis, Dominicanus præferebat manibus azymum panem consecratum, quod Corpus domini vocant. Franciscani autem & magistratus vrgebant vt à se deponeret: ille pertinaciter recusabat. itaque re infecta domum reuerterunt. Paulo post tamen Hieronymum cum duobus sociis, mandato à Pontifice accepto vt de causa cognoscerent, Florentini cremarunt. Neque alia supplicij causa fuit, quàm quòd motus & dissensiones in Republ. excitasse, & quidquid de rebus futuris prænunciasset, id ex senatoribus, suis amicis, cognouisse diceretur.

Controuersiam flammis disceptare parati monachi.

Ad eum

Ad eum igitur modum Florentini Hieronymum acceperūt, quem cum Deo familiariter colloqui crediderant, vt inquit Machiauellus. Nonnullis id fortè initio persuasum erat: sed paulo pòst cum non vsquecò autoritate vel industria valere docuerunt, vt illis vel Religionem Numæ, vel aliam quamuis, persuadere posset. Quippe plerisque eorum nec veræ nec falsæ religionis studium erat.

X. THEOREMA.

Felix est homo quamdiu Fortuna illius ingenio & naturæ indulget.

FORTVNA (inquit Machiauellus) magno alicui amni conferri potest, qui si violentius inundauerit, cum strage obstantia quæque perrumpit: sin verò aut suo flumine feratur, aut lenibus tantùm stagnis extra ripas effusus sit, molibus, aggeribus, & reliquis eiusce modi obiicibus, coerceri potest. Sic Fortuna aliquando tam violento impetu exundat, vt ei nulla virtus obsistere valeat: sed malis quæ rapidior ista vis intulit mederi pòst Virtus potest: tum etiam moderatas neque nimis violentas Fortunæ vires sustine- Cap.25. De Principe. Comm. lib. 3. cap. 29.

re. Itaque Principem felicem iudico, cui id obtigit vt naturam, mores & instituta tempori congruentia habeat: infelicem contrà, qui res suas aliter gerit, quàm ratio temporis pati possit. Quippe diuersitas temporis efficit vt duo diuersis artibus & viis ad eundem finem & euentum perueniant: duo verò contrà iisdem rationibus & adminiculis vtentes contrarios exitus assequantur. Itaq. qui consilio & ratione vtetur, si in id tempus fortè inciderit vbi virtute sit opus, prosperè haud dubiè ei cedent omnia: sin mutetur tempus, seipsum pessumdabit, nisi mores & instituta suis contraria induerit. Iulius Pontifex omnia impetu & celeritate summa gerebat, & quidem euentu prospero: multis contrà præceps festinatio infausta est. Itaque sic statuo, Homines tamdiu esse felices quamdiu Fortuna ipsorum ingenio & naturæ indulget: sed simulatque dissidere incipit, confestim ex summo fastigio ad imum deuolui. Ceterum quos euertere statuit, excæcare solet: & scit legere idoneos homines, quos ad arbitrium in volubili illo suo globo verset. Ferè autem ad iuuenes se applicat, minus consultos, & feruidos: in eo ingenium feminarum imitans, quæ adolescentibus ferè magis delectantur

quæ

quæque calcaribus potius quàm blanditiis admotis ad obsequium impellendæ sunt.

PROFANAM istam theologiam, quam ex Poetarum fabellis Machiau. hausit, vti veram esse sibi persuasit, ita quoque ceteris persuadere nititur. Nugantur poetæ Fortunam deam quamdam esse, quæ res secundas & aduersas pro arbitrio dispenset:

Te facimus Fortuna deam cæloq; locamus, inquit ille. Atque, vt id ab ea inconsideratè & temerè fieri significent, linteo caput illi obuoluunt, ne dignos ab indignis discrimine vllo distinguat. Deinde propter lubricam & ancipitem inconstantiam pilæ versatili insistere cogunt, vt nusquam firmo gradu consistat: vti cecinit Horat. Iuuenal. Sat.7.

Fortuna sæuo læta negotio
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi nunc alij benigna.

Hor.Od. 29.carm. lib.3.

Eas nugas nobis obtrudit Machiauellus, scilicet vt credamus bona vel mala contingere hominibus, prout Fortuna ipsorum naturis ingeniisve æqua aut iniqua est. Deinde quum adolescentibus inconsultis & rapidis faueat, debere homines incósideratæ & cæcæ temeritati plus quàm rationi fidere vt Fortunam in manu habeant. Quorsum hæc omnia, nisi vt homines semel accepto in animum Dei & paternæ ipsius prouidentiæ contemtu, omnem ipsius cultum & obsequium exuant? Nam simulac quis prosperos successus non esse Dei benedictiones, sed Fortunæ beneficia: cala-

mitates cōtrà non Dei iudicia, sed Fortunæ tela, esse sibi persuaserit, & cæco eius impetu volui ac reuolui res humanas, quid superest nisi vt omnem Dei amorem metúmque abiiciat? Huc huc iste, Lucianicæ scholæ columen, Principes ac ceteros omni ope adducere molitur.

SED multa aduersus eam pestem alexipharmaca habemus in Scripturis, quibus docemur nihil sine Dei prouidentia contingere. Immò afflictiones ipsas nobis salutaria esse remedia, ne nimiò secundarũ rerum flatu elati præcipites ruamus. Deniq. nihil verè mali à Deo patre clementissimo nobis infligi posse. Sed quum mihi profanum hominem profanis testimoniis conuincere propositum sit: Primùm illi saniores omnes Philosophos oppono, qui nihil temerè fieri, sed omnia ab aliqua caussa efficiente cōtingere, censuerunt, etiamsi plerumque illa nobis sit incognita. Distinctione quidem hîc vtuntur, dum Deum Primam & summam caussam esse dicunt, arbitrum & moderatorem caussarum inferiorum, quas Secundas vocant. Quibus etsi multa tribuunt, quæ summo autori asignari debuerant, rerum tamen omnium caussam & fontem, mediatè seu immediatè, ad Deum ipsum referunt. Fortunæ quoque aliquando & ipsi vocabulum vsurpant, non quòd aliquam deam eo nomine velint intelligi, sed ne à vulgari loquendi vsu abhorreant, ea quorum ratio in Dei consilio latet, Fortuita esse & Casu euenire dicunt.

Deus summa & princeps omniũ rerum caussa.

SCITE verò in hanc sententiam Plutarchus, Poetas magnam iniuriam Fortunæ facere dicit, quum

Plut. in lib. de Fortuna.

quum cæcam illam & temerariam vocant, quæ vi del hominibus se applicet, priusquam illos norit. Nam (inquit) nos ipsi cæci sumus, neque eam nouimus: quum Fortuna nihil aliud sit quàm euentuum caussa quam nos ignoramus. Itaq. Stoici, quum secundas omnium rerum caussas non magis nossent quàm ceteri philosophi, propriis tamen vtebantur vocabulis, & omnia ad Prouidentiam Dei referebant, quam vocabāt Fatum. Multū quidem aberat Stoicorum dogma de Fato à vera cognitione Prouidentiæ Dei, quā nos profitemur. Alligabant enim Deum Stoici caussis secundis, vt sine illis operari non posset: Nos Deum constituimus ita vtentem caussis inferioribus, vt nulla necessitate id faciat: immò citra illarum adminiculum liberrime quidquid decreuit, exsequi possit, illásque nonnumquam, quando visum fuerit, mutare.

TIMOTHEVS Cononis filius, quum res ipsius egregiè gestas æmuli assignarent Fortunæ, atque in tabulis dormientem pingerent, Fortunam autem vrbes reti implicantem: ægrè id tulit, quasi ab obtrectatoribus spoliaretur rerum gestarum laude sibi non Fortunæ debita. Itaque quum aliquando in concionem progressus res gestas multis verbis exposuisset, ad extremum addidit, Nullam earum rerum partem (ciues) Fortuna sibi vendicare potest. Huic tam importunæ ambitioni Timothei (inquit Plutar.) dij succensuerunt. Itaque nihil deinceps insigne gessit, sed aduersa ei omnia ceciderunt: donec tandem ab infesto populo in exilium pulsus est. Ex ea historia col- Plut in Sylla.

ligere possumus, veterum Ethnicorum id fuisse consilium, vt quod vulgò tribui Fortunæ solebat, id totum reipsa deorum fauori & gratiæ assignarent: tantum abest vt illam pro numine colerent.

Comin. lib. 4. cap. 12. COMINAEVS de Conestabili Comite S. Pauli agens, cuius quamquam magnæ opes erant, tristissimus tamē exitus fuit, quæstionem insignem mouet, eamque non tantùm dextrè sed etiam prè dissoluit: Quid hoc loco (inquit) dicemus de Fortuna? Vir ille arcem habebat munitissimam, & rebus omnibus instructam: ingenio & rei militaris scientia valebat: Carolum Burgundum & Ludouicum XI. longo & familiari duodecim annorum vsu nouerat: & ingentem vim auri possidebat. Statuendum igitur est Fortunam illam fallacem ei repentè infensam & aduersam extitisse. Sed reuera hæc à Fortuna non proueniebant, neq. aliud est Fortuna quàm figmentum poeticum. Quin potius ita iudicandum est iratum ei fuisse Deum, quòd per omnem vitam totus in eo fuerat vt perpetuum inter duos illos Principes bellum aleret: Quippe in eo positam esse putabat materiam ac veluti segetem suæ dignitatis. Ergo extremæ ignorantiæ esset, credere Fortunam adduxisse virum longè prudentissimum eò dementiæ vt eos Principes aduersum se concitaret, qui tanta erant studiorum & voluntatum dissimilitudine, vt toto vitæ tempore nullam vmquam in rem vno animo consenserint præterquam in ipsius mortem. Non tātùm probabile sed certissimum quoque est, non aliam Fortunam manum hîc admo-

Fortuna figmentum poeticum.

uisse

uisse præter Deum, cuius gratiam amiserat. Hæc sunt Cominæi verba de ista ipsa Fortuna loquentis: quæ quidem non minus probum & Christianum hominem redolent, quàm Machiauelli doctrina germanum Porphyrij discipulum, vel Epicuri porcum.

IAM ànnon extremi ingenij est quòd dicit Fortunam temerariis & inconsultis fauere? Legerat fortè illud, *Audentes Fortuna iuuat* & probauerat: sed istud Liuij multo verius, Euentu doceri fortes Fortunam iuuare: non legerat, nec viderat prudētissimum illum scriptorem ab ipso dissentire. Is enim de clade ad Thrasimenum lacum accepta scribens, dicit eam nulla alia caussa magis accidisse quàm temeritate Flaminij consulis, quam ingenio eius insitam Fortuna prospero ciuilibus bellicísque rebus successu aluerat. Itaque iam ante ipsum prœlium satis apparebat ferocē & rapidum in consiliis; nec deos nec homines consulentem, temerè omnia & præproperè acturum. Hæc clades ciuitatem ad dictatorem dicendum compulit Q. Fabium Maximum, qui ea ratione bellum administrauit, vt tuta semper calidis & temerariis consiliis anteponeret. Itaque, Romam fortè sacrorum caussa reuocatus, non imperio modò sed consilio etiam ac propè precibus egit cum magistro equitum Minutio, quē legatum ad exercitum relinquebat, vt plus consilio quàm fortunæ cōfideret, & se potius ducem quàm Sempronium Flaminiúmque imitaretur. Haud paruam rem esse ab toties victore hoste vinci desisse, & ab continuis cladibus respirasse.

Liu. Annal. lib. 22.

„Temeritatem, præterquam quòd stulta sit, infeli-
„cem ad id locorũ fuisse. Et alio loco. C. Sempro-
„nius Consul (inquit, de Volsco bello agens) cui
Liu. Annal. lib. 4. ea prouincia sorte euenerat, tamquam constantissimæ rei Fortunæ fretus, quòd victoris populi exercitum aduersus victos duxisset, omnia temerè ac negligenter egit. ergo fortuna, vt sæpe aliâs virtutem sequuta est. Ita igitur sensit Fabius Maximus, ita Liuius: longè sapientius meo iudicio quàm iste Sophista, qui nobis persuadere conatur Temeritatem prudentiæ anteponendam esse, si Fortunæ fauorem consequi volumus. Quippe euentus omnes, quos fortuitos vocamus, à Deo ipso dantur, qui Prudentiam, quæ ipsius quoque donum est, potius quàm Temeritatem secundat. Nam siquando fortè Deus sanis consiliis aut prudentiæ nostræ nõ benedicit, id adeò ex eo oritur, quòd ex ipso non pendemus, qui omnis sapientiæ fons est, & rerum bene gestarum gloriam sollertiæ nostræ, non ipsi, tribuimus.

COM

COMMENTARIVS TERTIVS, IN QVO TRACTATVR DE POLITICA Reipubl. administratione, quæ à Principe constituenda est.

PRÆFATIO.

SVPERIORIBVS libris Machiauelli Theoremata quæ ad Consilium & Religionem pertinebant, ordine digessimus, & abundè docuimus non alium eius doctrinæ scopum esse, quàm vt Principem doceat priuatis consiliis Rempubl. administrare, de sua vnius sententia omnia gerere: ceteris qui aut cōsilij copiam præbere, aut vera monere possint, aures clausas habere: deinde pietatem & religionem omnem exuere. Nunc tertiam partem aggredimur, quæ de Politia est, & multa capita in se complectitur. Continet enim Theoremata de Pace, bello, fide, promissis, iureiurando, clementia, sæuitia, liberalitate, auaritia, constantia, ceterísque virtutibus aut vitiis quæ in illustribus & politicis viris in vtramque partem considerantur. His de rebus ita scribit Machiauellus, vt satis appareat eum nihil aliud agere quàm vt tyrannicis artibus Principem imbuat. Earum quidem adeo se peritum & consultum esse reipsa ostendit, vt Bartolum quoque superet. Nam Bartolus in

co tractatu quem de Tyrannide scripsit (etsi iuris omnis humani consultissimus) singula huius quæstionis capita non tam accuratè persequutus est vt iste; quamquam alioqui ex Bartolo optimam partem Tyrannicæ istius scientiæ haustam in contrarium detorsit. Siquidem Bartolus de ista Tyrannidis occupandæ & exercendæ arte ita disserit, vt crimen intestabile atque omni ope arcendum putet. Sed paucis, si libet, vtrumque simul conferamus, vt inde liquidò appareat quod Bartolus meritò ad iniustitiam & malitiam Tyranni retulerat, id à Machiauello compilatum, & ad iusti Principis officium translatum, esse. Primùm Bartolus duas species Tyrannorum statuit, quarum vnam Iuris, seu tituli: alteram Exercitij siue vsus, vocat. Tyrannus titulo, is est (inquit) qui sine vllo iure, aut iniquo & minimè legitimo titulo, principatum inuadit. Tyrannus exercitio siue vsu, is est qui legitimũ quidem ius ad principatum habet, sed eum iniustè & contra leges exercet. Inde actionum decem species enumerat, quibus is se Tyrannum prodit. Primò, quum potentes & insigneis viros de medio tollit, ne aduersus tyrannidem insurgant. Secundò, quũ vexat atque opprimit sapienteis & probos, ne vitia ipsius vulgo enuncient ac nudent. Tertiò, quum literarum studia abolet, ne sapientia edisci queat. Quartò, quum cœtus & conuentus honestos licitósque prohibet, metu nequid aduersus se moliantur. Quintò, quum exploratores & emissarios passim habet, sinistros hominum sermones de se veritus. Sextò, quum inter subditos disi-

Tyrãnorum duæ species.

Tyrannidis notæ.

diſsidia & parteis fouet, vt alij alios metuant, & neutri aduerſus ipſum conſpirent. Septimò, quũ ſubditos in ſordibus atque egeſtate continere nititur, vt labore occupatis quidquam machinari non vacet. Octauò, quum bellum alere ſtudet, vt ſubditos quotidie magis ac magis atterẽs, ſuas opes viribus firmet. Nonò, quum externis magis q̃ popularibus fidens, peregrina cuſtodia ſemetipſum ſepit. Decimò, quum diſsidentibus ſubditis, vnam in partem potius quàm in alteram inclinat. Has decem actionum ſpecies Bartolus argumentis è iure ſumtis certiſsimas Tyrannidis notas eſſe probat: ſed præſertim his tribus Tyrannum prodi docet, quũ diſsidia inter ciues alit, quum eos pauperat, quum in eorum corpora & fortunas ſæuit. Itaque demum ſtatuit eiuſcemodi tyrannis obſequium non deberi: ſed è magiſtratu deturbandos eſſe. Iam ex his decem Tyrannidis notis, nónne totidem Theoremata elicuit Machiauellus? Nónne Principem ſuum ex iis erudit, vt virtute inſigneis viros, & patriæ amantes tollat, factiones & diſcordias foueat, ſubditos in egeſtatem redigat, bellum alat, & cetera edat, quibus Tyrannum Bartolus agnoſci prodidit? Minimè dubium igitur eſt quin Tyrannum informare cogitauerit, ſed ita vt quæ ex Bartolo compilarat, multo ampliora auctioráque redderet. Nam ex ſuo addidit: Non debere Principem alio vti conſilio quàm ſuo, neque pati vt quis rerum veritatem ipſi referat: non iuſiurandum, non fas, non fidem, non religionem, habere: ſed ſæuum, verſipellem, perfidum, immi-

tem, extrema nequitia insignē, esse oportere. Ita Bartolum Machiauellus in arte Tyrannica tradenda multùm post se reliquit. Neque hoc vtriusque inter se cōparandi causa à me dicitur. Quippe Bartolus eo scripto Tyrannidem nudare & damnare voluit: eam verò in lucem atq. in vsum educere, & specie officij Principis Tyrannicam artem tradere, Machiauello consilium fuit. Sed neque Bartolus Machiauello, neque Iurisconsſ. præstantissimus vili scribæ aut chartulario Florentino, conferendus est. Nunc ad institutum pergamus.

I. THEOREMA.

Bellum iustum est, quibus necessarium: & pia arma, quib. nulla nisi in armis spes est.

Cap. 25. de Principe.

MACHIAVELLVS Laurentio Medici suadens vt principatum Italiæ inuadat, hoc illi Axioma proponit. Docet enim Italiam ad nouum Principem suscipiendum paratissimam esse, propterea quòd in extremas calamitates inciderit, quæ vel miserrimam Hebræorum in Ægypto seruitutem superent. Sperasse infelicem illam prouinciam se liberatum iri à Principe (Carolum VIII. designat

designat) quem sibi à Deo missum esse existimaret: sed reipsa & euentu apparuisse illum à Fortuna reiectum & destitutum esse. Itaque nullam ei iam reliquam spem esse, vt aliquando vindicetur in libertatem, nisi in vna illustri Medicum domo: quæ subnixa ope Ecclesiæ cui præsidet (Leonem x. significat) & freta sua virtute fortunáque Dei præsidio fulta, tantum opus tutò & fidenter aggredi possit. Ipsúmque adeò Laurentium magnificum & illustrem virum id facilè assequuturum, Cæsaris Borgiæ & Agatholis exempla imitantem. Italiam quidem nihil nisi res nouas spectare: Italos viribus, & corporis animíque alacritate, ceteras gentes anteire. Attamen (inquit) quum prœlio decernendum est, numquam intersunt: sed in ignauia & secordia imperatorum eius rei culpa est. quippe rei militaris periti haud libenter imperium cuiusquam patiuntur, & omnes peritos se esse putant. Postremò Laurentium monet opportunam illi occasionem offerri occupandæ Italiæ, vt eam misera seruitute oppressam liberet. Illud porro inceptum iustissimum fore: bellum enim iure susceptum videri, quod necessarium sit: armáque legitima & pia esse, vnde, alia omni spe incisa, salus petenda est.

HOC vno Machiauelli Theoremate, tamquam face, externa & ciuilia bella per totum orbem accendi possunt. Nam si hoc Principibus persuasum fuerit, licere alium aggredi propterea quòd subditos malè habeat, numquam illis bellorum seges & caussæ deerunt. Nulla igitur iusta caussa Laurentio erat vsurpandæ Italiæ propter Principum & tyrannorum sæuitiam. Quid enim aliud foret, malum malo & tyrannidem tyrannide pellere? quum nullum ius Medicibus esset ad dominatum Italiæ. Tyrannos enim non tantùm vocarunt antiqui, Caligulas, Nerones, Commodos, & ceteros, qui subditos crudeliter tractarent: sed eos quoque qui Republica occupata, & oppressa libertate, ciues tamen moderato imperio regebant: cuiusmodi Iul. Cæsar, Hiero Syracusanus, Triginta tyranni Athenarum ciuitati à Lacedæmoniis impositi, fuere. Itaq. alienæ regionis principatũ inuadere Princeps nõ potest ad quem nullum ius nisi vim habet, quin tyrannidis opinionẽ nomẽnq. subeat: vtcumq. dicat se cum incolis & indigenis clemẽter agere velle. Cõmunis tamen societas & iustitia non prohibẽt, quominus Principi, cui iure tyrannidem coercere liceat, auxilium suppeditet: quia Principes Principibus communi officio obstricti sunt, vt iis opem ferãt qui iure ac legitimo ordine tyrãnidi sese opponunt.

Nemini, nisi iustis de caussis, bellum inferri debet.

ROMANI multis exemplis id verũ æquúmq. esse confirmarunt: quũ se alienis bellis immiscere nollent sine iure & legitimo titulo. Samnites (gens opibus armísq. valida) quum Campanos ad

uerso

uerso prœlio fregissent, coegerunt ad petendum Roma auxiliũ, quia nulla propinquior spes erat. Itaq. legati in senatum introducti multis verbis docuerunt, quàm vtilis foret Romanorum rebus Campanæ societatis accessio: quantum vrbis amplitudine, quantum agri vbertate, ceteris superiores essent: ea omnia Romanorum fore, neq. vllam fore coloniam quæ Campanos obsequio & fide erga ipsos superaret. Itaq. se à Romanis amicitiam in perpetuum, auxilium in præsens, petere. Hæc & similia quum orassent, nihil tamen à Senatu impetrare potuerunt, nisi vt legatos ad Samnites socios atque amicos Romani mitterent, precatum nequa vis Campanis fieret. Ad ea princeps legationis (sic enim domo mãdatum attulerat, inquit Liuius) Quandoquidem, inquit, nostra tueri aduersus vim atque iniuriam iusta vi non vultis, vestra certè defendetis. Itaq. populum Campanum, vrbémq. Capuam, agros, diuina humanáq. omnia, in vestrã, Patres Conscr. populíq. Romani ditionem dedimus: quidquid deinde patiemur, dedititij vestri passuri. Tũ in Senatu iam fides agi visa, deditos non prodi; bellũmq. aduersus Samnites susceptum est, quod sine iusto titulò Romani à Campanis in se numquam vertissent. Liu. Annal. lib. 7.

MEMORABILIS certè est Martiani Cæsaris sententia, Donec liceret in pace viuere, non decere Principem arma sumere. Quippe neq. arma induenda Principi, nisi vt patriam potius defendat quàm vt aliena oppugnatũ eat: neq. bellum suscipiendum est, nisi prius iustum sit néc ne maturè consultatum fuerit. Bella enim (ait Cominæus) Pomp. Lætus in Marciano.

inceptu & prima specie læta sunt, exitu perdifficilia. Itaq. priusquam tertium & vltimum bellum Punicum susciperetur, in senatu Rom. diu multúmque tanta res agitata est, atque inter M. Porcium Catonem & Scipionem Nasicam senatus principes (quorum alter sapientissimus vir in ciuitate habebatur, alter optimus vir etiam à senatu iudicatus erat) variis sententiis certatũ. Cato suadebat, vt bellũ indiceretur Carthaginiensibus, qui exercitum specie cõtra Masanissam regem, reipsa contra Romanos, comparatum in finibus haberent. Nasica contradicente; legatos mitti Carthaginem placuit, qui specularentur quid agerent, castigato eorum senatu, quòd contra fœdus exercitum & nauales materias haberent. Sed Gisgo, Amilcaris filius, homo seditiosus qui tunc in magistratu erat, ita senatum bellum aduersus Rom. suadendo concitauit, vt legatos quominus violarentur fuga explicuerit. Id nunciantes, infestum iam senatum Carthaginiensib. infestiorem fecerunt. Quum Cato suaderet vt iis bellum indiceretur: Nasica, nondum iustam sibi caussam bellandi videri, & nihil temerè faciendum: Catonis sententiá peruicit, vt cum Carthaginiensibus, quòd contra fœdus naues haberent, & extra fines exercitum eduxissent, quódq. Masanissæ socio arma intulissent, bellum gereretur. Sed bello indicto diuersis quoque sententiis inter eos certatum est de tollenda aut seruanda Carthagine. Cato delendam esse censebat, quòd grauis aduersaria & pristinis cladibus erudita imminerét Romæ, & subinde fidem frangeret. Nasica

Florus lib. 4.

suadebat

ſuadebat relinquendam, tum vt metus hoſtilis in bonis artibus ciuitatem retineret: externum timorem maximum cõcordiæ eſſe vinculum: tum ne Romanæ iuuentuti deeſſet materia acuendæ virtutis. Medio inter vtrumque temperamento Senatui placuit vt parceretur Carthaginienſibus, ſi primùm armis traditis, deinde claſſe exuſta & relicta vrbe, mox procul à mari x. millibus nec minus remoto loco oppidum cõderent. Id quum Conſules in Africam tranſuecti ex autoritate Patrum imperarent, indignitate rei Carthaginienſes ad bellandum compulerunt. Ita tertium bellum initum eſt, & Carthaginis ipſius exſcidio terminatum.

MEMORATV quoq. digna eſt ſententia Cancellarij Rupefortij, qui regnante in Gallia Carolo VIII. cùm magiſtratum gerebat. Conſilium dabant multi Regi adoleſcenti vt aduerſus Franciſcum vltimum Britanniæ ducem bellum ſuſciperet, eiúſque Ducatum armis inuaderet. Cancellarius monebat, iura quæ Rex ad eam ditionem obtinendam haberet, nondum bene certa eſſe atque explorata, & accuratè eſſe inſpicienda priuſquam bellum indiceretur. quippe Tyranni eſſe alienam ditionem vſurpare. Itaque ex eius ſententia miſsi ſunt legati ad Ducem, qui monerent vt deligerentur vtrimque arbitri docti & rerum periti homines, qui de Regis & ipſius iure diſceptarent. Id factum: ſed inter hæc Franciſcus moritur: Rex Annam ipſius filiam & heredem ducit: ita finita eſt controuerſia. Annal. in ann. 1488.

IDEM ille Rex Carolus, priuſquam Neapoli- Annal. in ann. 1493.

tanam expeditionem susciperet, Præsides Parlamentorum, cum Cancellario & Principibus regiæ stirpis, in consilium aduocauit, iussítq. dispicere, an aliquid iuris haberet in Siciliam & Neapolim. Illi inspecta prosapia & stirpe regum Siciliæ ac Neapolis, eorúmque testamentis, statuerunt eorum regnorum hereditatem ad Regem pertinere. Itaque ex eo responso suscepta expeditio est. Vnde apparet Machiauelli vanitas, qui fingit Carolo consilium fuisse occupare Italiam, ni fortuna inuidisset. Quippe neque hoc destinarat animo, neque vllas Italiæ vrbes cepit, nisi quæ ad transitum opportunæ erant: sed ea spe ac lege vt redderet, sicuti postea reddidit. Poterat quidē, si vellet, multò speciosiorem titulum Italiæ vsurpandæ prætendere, quàm Laurentius Medices: quando illam olim Carolus Magnus Galliæ rex in ditione habuerat. Sed non ea Regibus nostris consuetudo, ditionis alienæ dominium in se transferre, aut quidquam sibi adiudicare, sine iusto titulo.

Froiss. lib. 1. cap. 245. 257. CAROLVS V. cognomento Sapiens, crebris nobilitatis & plebis Aquitanicæ precibus fatigatus vt eam prouinciam recipere vellet quam tum Angli tenebant: noluit tamen eam rem, nisi consultò aggredi. Itaque à prudentibus & peritis rerum viris iussit inspici conditiones pacis quæ inter patrem suum & regem Angliæ facta erat. quippe sibi esse significatum nonnulla ab Anglo contra fœdus facta esse. Neque satis habuit id ipse certò & exploratè scire, sed subditos quoque suos, earum præsertim regionum incolas quæ tum

tum Anglicę ditionis erát, ea de re doceri voluit. Itaque circum oppida & præcipuas vrbes Aquitaniæ concionatores cum iis mandatis dimittit. Illi pro ſuggeſtu ius Regis exponunt, & iuſtam cauſſam cur eas prouincias ab Anglis occupatas vendicare ſibi & regno vellet. Id tantùm valuit, vt paucis diebus plurima caſtella, ſexaginta vrbes & amplius, ab Anglo ad Gallum deficerent.

QVAMOBREM Princeps ditionem in quam nullum ius habet, ſpecie pellendę tyrannidis, aſſerere ſibi nullo pacto debet. Sed hîc moueri poſsit quæſtio: An liceat Principi pro Religione bellum ſuſcipere, id eſt, vt homines in ſuam religionem cogat. Ea facile diſſolui poteſt, ſi res ęquitate definiatur. Quum enim Religio in iis approbandis ſita ſit, quæ ad Dei cultum pertinent: approbatio autem ex perſuaſione & fide oriatur: perſuaderi homines armis & minis non poſſunt, ſed docendo, monendo, argumentis & teſtimoniis, quæ paulatim ad aſſentiendum illiciunt. Sed ſiquis malit eam quæſtionem maiorum exemplis expedire, ea in vtramque partem occurrunt. Nam (vt ex noſtris Annalibus páret) Clodoueus 1. Carolus Magnus, & aliquot alij Galliæ reges, non aliam ob cauſſam Saracenis Ethnicíſque arma intuliſſe videntur, quàm vt Chriſtianos eſſe vi & malo ſubigerent. Itaque victi bello, & nulla adhibita inſtitutione baptiſati, ſimulatque rebellandi facultas obuenerat, qua facilitate Chriſtianam religionem induerant, eadem exuebant. Id confirmat lepida hiſtoria Rabbodi Friſiæ ducis. Is enim quum iam veſtes exuiſſet vt baptiſaretur.

An Principi liceat quem quam armis ad ſuam Religionem ſuſcipiendam cogere.

Annal. in ann. 718.

& alterum pedem in baptisterium mersisset, percontatus est ab Senonensi Archiepiscopo, vbinam plures haberet propinquos & amicos, In Paradisone an apud inferos. Archiepiscopus, Apud inferos, inquit, quoniam maiores tui baptisati non sunt. Tum ille pedem aqua educens, Ergo
" (inquit) ad inferos ire malo cum propinquis &
" amicis, neque tanti mihi est baptisari vt ab illis
" seiungar. Ita profanus homo baptismo repudiato abiit. Atqui tũ ad Christianismi professionem sufficere videbatur exterior baptismus, & eò sæpe armis, veluti obtorto collo, trudebantur Ethnici.

Froiss. lib. 4. cap. 18. & 19. ITAQVE veteres nostri reges crebras expeditiones in Orientem & Africam aduersus Saracenos & Turcas susceperunt amplificandæ religionis, atque vt mortis Domini nostri pœnas ab infidelibus expeterent. Aliquando tamen ab illis didicerunt, inconsulto zelo eiuscemodi bella abs se suscipi. Quum enim Carolo VI. regnante, Dux Borbonius exercitum Gallicum in littora Africæ exposuisset, vt bellum aduersus barbaros & infideles gereret: Saracenorum imperator præconem ad Ducem misit sciscitatum, cur in armis aduersum se, quídve petentes, venissent. Dux Borbonius, primoribus conuocatis, quum eam rem ad consilium retulisset: responderi placuit præconi, Eò venisse vt vlciscerentur mortem Christi filij Dei & veri Prophetæ, quem maiores ipsorum iniusto supplicio affecissent. Hoc renunciato Saracenis respõso, remisere extemplo præconem ad Ducem & proceres, ipsorum querelas deferen-

deferentem: Se immeritò accusari & ad pœnam exposci, eos malè auditum accepisse, qui credidissent ad suam gentem sceleris eius culpam pertinere: quippe non Saracenos sed Iudæos Christum cruci affixisse: ac si æquum esset posteros maiorum peccata luere, enimuerò Iudæos vlciscerentur qui inter Christianos viuerent. Nostri quum ad hæc quod aptè pro tempore responderent, nihil haberent, nihilo tamen segnius bellum gesserunt: sed quum pestilentia in exercitu orta esset, nulla re memorabili gesta, & magna copiarum parte amissa, domum redire coacti sunt.

ANNO CIↃ. CCCC. LIII, Papa per totum orbem Christianum bellum in Turcas publicè indici iussit ad vlciscendam Christi mortem, & Turcas in religionem Christianam cogendos. Sed eum literis monuit Turcarum princeps crucifixum fuisse à Iudæis Christum: se verò non ex Iudæorum sed Troianorum stirpe genus ducere, à qua Itali quoque se ortos ferunt. Itaque suum & eorum potius officium fore Troiæ ruinas reparare, & Hectoris sui aui cædem in Græcos vlcisci, quàm inter se bello certare. Se quidem id iam aggressum magnam Græciæ partem in potestatem suam redegisse. Ceterum credere Christum magnum & nobilem Prophetam fuisse: sed numquam imperasse (quantum quidem intelligeret) vt homines ad suscipiendam suam legem vi & armis adigerentur. Neque se profectò quemquam cogere vt Mahumetis legi credat. Tali propè forma literas Turca ad Papam scripsit, multo certè æquiores quàm bullas Pontificis. Quippe non

Monstrel. lib. 3. cap. 68.

violentia armorum Christus, sed prædicatione & doctrina, Euangelium suum tradi voluit.

Froiss. lib. 2. cap. 132. 133. lib. 3. cap. 24. QVVM propter Schisma pontificium Christiana Respubl. discessisset in partes; aliis Vrbanum aliis Clementem sectantibus: alij alios (vt verisimile est) extra viam salutis esse credebant, & inuicem (sicuti Annales memorant) canes, incredulos, infideles, alij alios vocabant. Quando enim (inquiebant) non nisi vnum Numen in cælis est, non plus vno in terris quoque esse decet. Qui Clementis erant, Clementem verum Numen illud terrestre esse contendebant. Vrbani fautores, Clementinos, sicuti à vero Deo ita à Fide aberrare affirmabant. Ita tum Fides (vt Historici nostri, qui communi errore impliciti erant, scribunt) cõcussa & labefactata, parum à ruina aberat. Nam & prætextu huius dissidij Rex Angliæ, qui caussæ Vrbani fauebat; regibus Galliæ & Castellæ, Clementinis, bellum inferre aggressus est. Qui Clementis sectam fouebant; nihilo minoribus animis Vrbanianos insectabantur: immo ipsum quoque Vrbanum Perusiæ obsederunt, & cepissent, nisi is fuga se eripuisset. Galliæ Rex in Italiam irrumpere decreuerat, vt Vrbani partes bello frangeret: sed mutato consilio Schismati potius finem imponere statuit. Itaque conuocato sollenni Rhemos conuentu, cui Sigismundus Cæsar ipse interfuit; decretum communi consilio factum est, quo Papæ ambo monerentur, vt se nouo Põtificis creationi subiicerent: suum illis ius conseruatum iri: si parere nollent, fore vt Principes Christiani eorúmq. subditi vtriusque

triusque obedientiæ se subducerent. Itaq. quum neuter in Concilij potestate esse & parêre huic decreto vellet, vtrique potestas abrogata est, in Concilio Pisano, Cæsaris & Regis autoritate, & nouus Pontifex dictus Alexander v. Ita bella Religionis ergò intra eum finem coercita & prorsus exstincta sunt.

Ceterum istius forte Schismatis tempore disceptanda erat quædam controuersia inter Galliæ Regem & Ducem Britanniæ.& eius rei caussa Turonibus indictus erat conuentus. Ibi Ducem nonnulli è Consilio regio summonuerunt, minus esse obsequentem Regi, quòd diuersæ ab eo religionis esset(Rex enim Clementis,Dux Vrbani caussæ,studebat)neque decere vassallum diuersam à suo Principe religionem sequi. Ad ea Dux prudenter respondit: Id neq. Rebellionem neque Inobedientiam iure vocari posse,neque se quemquam conscientiæ suæ arbitrum, præter Deum,habere:ceterũ Vrbano Papa inniti, quòd ante Clementem designatus esset. Plerique Consiliarij Regis,sed tenuiores,in discrimine illo Religionis hærebant: sed Biturigum & Burgundiæ duces non tanti esse illud iudicarunt,vt fœdus cũ Duce impedire posset. Itaq.ex eorum sententia, non tantùm Rex fidem futuræ cũ Duce amicitiæ sanxit, sed domesticum quoq. fœdus publico adiunxit,pacta filio Ducis in matrimonium filia. Froiss.lib.4. cap.33.

Hoc exemplum Christiani Principes imitari debent,neq.propter discrimen religionis inuicẽ dissidere:sed eius rei summũ arbitrium ad Deum ipsum deferre.Neq.ab iis ad vllã religionẽ armis

adigendi ſubditi, ſed molliores viæ tentandæ ſunt, enodandi errores, & ex Dei verbo via rectior aperienda eſt. Sed præſertim quum hæreſeos conuicti non ſunt, etiamſi adulatores inſtigent, numquam tamen bello ſunt perſequendi. Memoratu dignum eſt exemplum Ludouici XII, cui Patris populi cognomen impoſitum eſt. Incendebant eum Cardinales & Epiſcopi aliquot aduerſus Merindolanos & Cabrerienſes (reliquias videlicet Albigenſium Chriſtianorum, qui olim propter Chriſtum diu multûmque vexati ſunt) quippe veneficos, inceſtos, hæreticos, ac proinde tollendos, eſſe. Merindolani & Cabrerienſes ſubodorati quæ Cardinales & Epiſcopi in ſe conſilia coquerent, mittunt ad Regem legatos, & innocentiam ſuam tutantur. Eos legatos aditu regis Cardinales prohibere conabantur, Regem monentes ne illis pro ſe dicendi apud ſe poteſtatem faceret: Iure Canonico prohiberi ne quis cum hæreticis communicet. Tum Rex, Etiamſi, inquit, mihi in Turcam aut diabolum bellum ſuſcipiendum eſſet, eos tamen prius audire vellem. Dignum prorſus Rege reſponſum. quippe inauditum & indefenſum quemquam damnare, ſceptro & iure abuti eſt. Ergo accitos legatos Ludouicus introduci iubet: illi reuerenter exponunt, Merindolanos & Cabrer. Euangelium, Biblia, Symbolum Apoſtolicum, Dei præcepta, Sacramenta, agnoſcere atque amplecti: ceterum nec Papæ nec ipſius doctrinæ credere. Si ſecus eſſe Rex deprehenderet, ſe nullum ſupplicium recuſare. Ea itáne ſe haberent an ſecus Rex ſcire voluit.

Molinæus de Monarc. Franc. nu. 155

luit. Itaque ea de re Adamo Fumæo libellorum supplicum magistro, & M. Paruo Dominicano, qui illi à confessionibus erat, quæstionem mandat. Illi ea in loca profecti, & quæstionibus perfectis reuersi, ad Regem referũnt, illis in locis Infantes baptisari, articulos Fidei & Decalogum doceri, Dominicos dies religiosè coli, Dei verbum exponi: veneficia & stupra apud eos nulla esse. ceterum se in ipsorum templis neq. imagines neque ornamenta Missæ vlla reperisse. His auditis, Rex eósne præcipiti iudicio damnauit? Minimè: sed iureiurando addito, Me, inquit, & cetero populo meo meliores illi viri sunt. Ad hunc modum Principes aduersum sycophantarum calumnias protegere eos qui errorum conuicti nõ sunt & patienter tolerare debent.

NVNC ad inceptum redeo. Superius enim à me dictum est, Non facilè neque temerè Principi suscipienda esse bella, contrà quàm suadet Machiauellus: immò siqua fortè coactus inierit, omnibus æquis & honestis conditionibus quam-maturrimè fieri possit finienda. Quippe nonnumquam Princeps qui æquas pacis leges fiducia virium recusat, aut mox pœnitere, aut in deteriore sua fortuna pacem facere, cogitur. Nam modici sæpe duces potentissimos Principes & magnos exercitus parua manu fudere.

Princeps omnes vias mutandi pacebelli quærere debet.

INSTRVCTIS vtrimque exercitibus in Pictonum agro Angli & Galli stabant in eius pugnæ casum qua rex Ioannes captus est: sed priusquam acies manum consererent, Princeps Cambriæ progressus ante signa, colloquio petito,

Fross. lib. 1. cap. 161. Annal. in ann. 1356.

æquissimas pacis conditiones tulit: Se videl. quæcumq. ex quo Burdegala profectus erat, oppida ceperat, ipsásque adeò manubias & omnem à suis captam prædam restituturum. Rex contendebat vt Princeps & quatuor præterea totius exercitus nobilissimi se ipsius potestati permitterent. Princeps potius quàm se vltro Regi dederet summo cum dedecore, prœlij fortunam experiri maluit. Itaq. parua Anglorum manu aduersus maximas Gallorum copias contendens, Rege ipso multísque aliis proceribus captis aut interfectis, insignem victoriam tulit. Ea clades regnum adeò vi rib. & pecuniis exhausit, vt coriacea moneta clauo argenteo transfixa in vsum adducta sit: & multas præterea calamitates in Galliam inuexit. Quę non euenissent, si Rex maluisset miti & facili exitu ei bello finem imponere, quàm se ac regnum in vnius horæ discrimen dare.

Annal. in ann. 1451. Monstrel. lib. 3. cap. 8. & 34.

PRVDENTIVS ergo Carolus VII, qui Aquitaniam & Normaniam Anglis eripiens, nullam vmquam conditionem, nullum fœdus, abnuebat. Quippe suorum sanguini parcens sua recipere sine bello malebat: ac si Angli iustam pacem æquis legibus dedissent, non recusasset. Sæpe enim illis Aquitaniam aut Normaniā obtulit, dum sibi summum ius in eas prouincias relinqueretur: sed quū id Angli peruicaciter abnuerent, & sub eius clientela viuere aut ei aliquid in se iuris esse nollent, expulsi vniuersa Gallia, excepto Calesio, dū omnia tenere vellent omnia amiserunt. Itaq. dum rex ille sapiens moderato consilio & ratione potius quàm impetu & armis bellum administrat, adeò versa fortuna est vt oppida, castella, arces, vltro in eius fidē & potestatē venirent: ac multo plus leni

illa via breui profecit quàm tres Reges continui perpetuis bellis consequi possent. Quare sæpe dicebat, velle se semper tentare an pax componi posset, priusquam armis decerneret: vt Deo propitio rem gereret,

PLENAE sunt eius generis exemplis Romanæ historiæ. Nam quæ res maximè Carthaginienses, Persea, & Mithridatem, subuertit? quid Antiochum Asiæ, & Philippum Macedoniæ, reges depressit, nisi quòd æquas & honestas pacis leges à Romanis oblatas in meliore sua fortuna non acceperunt, malueruntque experiri quantum iure nixa vis posset? Modica enim vis æquo & iure freta magnas sæpe vires, sed iniustas, euertit. Cuius rei ea ratio esse videtur, quòd ij quibus ius & bona caussa pia ac iusta arma induerunt, quum ab aduersariis fiducia virium elatis, vel æquissimis latis conditionibus, pacem impetrare non possint, ab desperatione versis in furorē animis longè acrius pugnant, quàm qui in aciem solam superbiam ferunt. Sed ea maximè caussa est, quòd Deus, victoriarum arbiter, plerumque bellorum exitus secundum ius & fas dare consueuit.

VERVM ante omnia Principi ea potissimùm bella sedanda sunt, quæ in ipsius ditione vel à subditis vel à peregrinis mouentur. Nam externa quidem & longinqua bella sæpe non modò non noxia sed etiam vtilia sunt, vt iuuentus, quæ otio & voluptate corrumpitur, per laborem in castris vsu militiā discat. Qua in re potissimùm spectāda sunt popularium ingenia, an, sicuti pleraque Gallorum, ad bellum sua sponte & natura prona sint. Tum enim necessariò armis occupandi & exercendi sunt, quò natura eos ducit: ne ex-

Domestica & intestina bella in primis Principi sedanda sunt.

terni belli inopia ſecum ipſi decertent. Etenim ſi (quemadmodum ait Salluſtius) Regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, vt in bello, valeret, æquabilius atque conſtantius ſeſe res humanæ haberent: neque aliud aliò ferri neq. mutari ac miſceri omnia cerneres. Itaque bellis externis ſubditorum animos durare & acuere non modò Principi ac Reipubl. ſalutare eſt, ſed etiam neceſſarium. Domeſtica verò aut inteſtina bella ope omni exſtinguenda ſunt: quum ciuibus & patriæ bellum inferre, non ſecus ac viſcera ſua lacerantem, ſit contra naturã. nam vt ait Homerus:

Hom. Iliad. 9

Flagitioſus is eſt, ſceleratus, inutilis, excors,
Quiſquis amat populis bella inteſtina mouere,
Quæ mala tanta ferunt ſecum, cauſáſq. malorum
Innumeras ſine fine ſerunt ciuilibus armis.

Adhæc, Princeps cogitet ciuilia bella multo periculoſiora eſſe peregrinis, & ciuium inter ſe diſsidiis plus ſuas & Reip. opes atteri vno anno, quàm triginta annis per externa bella.

Liu. Annal. lib. 2. Dion Hal. lib. 8.

LEGERE in eam ſententiam iuuat inſignem orationem legatorum Rom. ad Marcium Coriolanum, qui iniuſtè Roma pulſus in Volſcos exulatum abierat. Quum enim vrbem obſideret, & miſsi ad eum quinque oratores de pace eſſent, omnes conſulares, & ei ante exilium gratiſsimi, M. Minucius vnus ex legatis, concedentibus collegis, ita exorſus eſt: Non ignoramus, Marci, affectum te iniuria à plebe, apud quam nefarij criminis reus peractus iniuſtè è patria pulſus es: nec miramur ſi indignè fers hoc infortunium. Sic enim natura comparatum eſt vt læſus ei qui ſe læſit in

sit infensus sit. Illud miramur, non discernere te in quos vindicare debeas, nec moderatè pœnas exigere: sed eodem loco habere innoxios & noxios, amicos & inimicos, mouereq́. naturæ leges immobiles, & cõfundere fas, ne tui quidem ipsius memorem, quis aut è quib. natus sis. Venimus à Rep. legati è patriciis natu maximi, tuíque studiosissimi, afferentes violati iuris expostulationem mixtam precibus, accepturíque vicissim conditiones pacis quas velis renunciari populo: simúlque monituri quid in rem tuam fore putemus. Ac primùm vt de iure dicamus, conspirauit in te plebs à tribunis irritata, conatíque sunt te indemnatum necare ij quibus terrori eras. Id ne fieret nos senatores prohibuimus. Postea à tribunis dies tibi ad populum dicta est, quòd in senatu plebi maledixisses: restitimus hîc quoque, nec passi sumus te vel sententiæ dictæ vel orationis habitæ pœnas luere. Postremò quũ de te iudicium populo permissum esset, tunc quoque senatus tibi adfuit, multis pro te fusis precibus. Quid ergo tibi mali fecimus nos patricij? Cur nos bello petis, quorum tantum fauorem in tua caussa expertus es? Immò ne plebem quidem vniuersam te expulsum voluisse satis apparet, quando omnium suffragiis damnatus non es. quamobrem ne his quidem iure esse hostis potes, à quibus absoluebaris. Sed vt nos omnes odio apud te digni simus, quid de te meritæ sunt feminæ ac pueri? quam aduersum te concionem habuerunt? cuius eorum suffragio eiectus es? quibus nunc imminet periculum captiuitatis aliarúmque miseria-

rum quæ ſolent euenire vi captis vrbibus. Deinde qua iniuria laceſsitus monumẽta maiorum, aras deorum, templa, delubra, quónam merito ipſorum offenſus, ſpolias, exuris, ſubuertis? Equidem indignum arbitror viro cui quantulacumque virtutis cura eſt, vel amicos cum inimicis confundere, vel iram in delinquentes implacabilem gerere, eos præſertim qui iam ſatis pœnarum luerint. Præterea tuúm eſt præſenti potentiæ fauore numinum adiutæ moderari, cogitaréq. quàm mutabiles ſint fortunæ vices, quàm nihil in rebus humanis ſtabile. Licet autem tibi nunc honeſtiſsimis cõditionibus pacem componere, & in patriã toties armis abs te defenſam reuerti: atque honeſtiſsimam nominis tui memoriam relinquere. Quòd ſi ſimultatẽ exercere pergas, aut fruſtra laborabis populi R. potentiam præſertim Volſcorum ope ſubuertere: aut ſi voti compos euadas, habeberis omnium mortalium miſerrimus: matricida diceris, filiorum interfector, patriæ malus genius: nec ad ſacra, nec ad epulas, nec ad domeſticũ larem, admittet te quiſquam iuſtus ac pius: ac ne ipſis quidem carus eris in quorum gratiam iſta feceris. Hæc & alia reputans Marci reſipiſce, deſine meminiſſe acceptæ à patria iniuriæ, & lætus reuertere domum ad amplexus matris gratiſsimos, officia coniugis ſuauiſsima, ſalutationes liberorum dulciſsimas, teq. ipſum reſtitue ornamentum ingẽs patriæ, quæ te tantum virum educauit & genuit. Hæc legati ad Marcium. qui quũ eius animum nõ flexiſſent, peruicere matronæ vt mater eius & vxor, duos paruos

paruos ex Marcio secum filios ferens, in castra irent, & quam armis viri defendere vrbem non possent, mulieres precibus lacrymísque defenderent. Vbi in castra ventum est, mater, vxor ac liberi amplexi, fletúsque ab omni turba mulierum ortus, & comploratio sui patriæque, fregere tamdem virum. Complexus inde suos dimittit: ipse retro ab vrbe castra mouens, bellum patriæ inferre desiit.

CETERVM vetera exempla calamitatum quæ ex bellis ciuilibus acciderunt proferrem, nisi recentia essent, nisi nimiùm ipsi experti essemus, quantũ ea reipublicæ iuxta ac priuatæ detrimentum afferant. Quo detestabilior est istorum impietas qui in patria oppugnãda & vexãda pergũt. Pudeat eos Coriolano ethnico homine deteriores esse, qui etsi irarũ plenus & exilio irritatus esset, flexit tamẽ animũ, & patriæ, quam oppugnatũ venerat, aliquãdo placatus est. Isti cõtrà pietatis erga cõmunẽ parentẽ immemores & laxantes frena odiis, propinquos, amicos, vicinos, patriam vexant, lacerãt: deniq. id agunt vt Remp. quam à maioribus florentem acceperunt, effœtam posteris & enectam relinquant. Attamen, quasi hoc vnum desit malis, nos etiam (si Deo placet) violatæ patriæ accusamur. Sed an ij quæso, qui nihil alienum, nihil nisi suum, postulant, qui Regnum de integro legibus ac moribus conditum & pristino splendori restitutum cupiunt, hostes patriæ appellari debent? Quid porro iure magis hominibus suum est, quàm sua cuique cõscientia & vita? Et (dicet aliquis) vitam vobis tutò degere licet:

insuper offertur conscientiæ libertas. nam de reformando & corrigendo Regno verba facere, Maiestatis crimen est. At quæ nam nobis fides datur nos tutò victuros? Quos manus ciuili sanguine alit, quos ad noua paricidia inuitat priorum impunitas, eorum scilicet, sicut oues luporum, præsidio ac tutelæ committimur. Quæ porro conscientiæ libertas offertur? Nempe vt liceat Machiauelli religionem profiteri, id est sine religione, sine pietate, sine libero & vero Dei cultu, suum more viuere. Id verò nos non libertatem, sed maximè seruam seruitutem, vocamus. Quòd si de sanandis Reipubl. vitiis & morbis verba facere, Maiestatis crimen est: eos qui publicum bonum procurant, Maiestatis reos esse necesse est: contrà quàm & ipsa ratio & omnes leges pronunciant. Sed si fortè qui hodie viuunt homines, hostes patriæ eos esse iudicent, qui nihil nisi incolumitatem illius & conscientiarum libertatem omnibus votis exoptant: at Deus & Veritas vincent, & suum cuique decus aut dedecus rependet posteritas.

VERVM etsi bella ciuilia exsecrari, tot malis quæ nostra hæc ætas vidit & videt, iampridem didicimus, duo tamen maximè insignia exempla è memoria antiqua repetam. Ciuile bellum inter Marium & Syllam exortum vrbem & vniuersam Italiam ciuium sanguine impleuit. Nam quum inuicem vterque Roma potitus esset, fœdum in modum alter in alterius amicos victoriam exercuere. Ita multi innoxij atque illustres viri proscripti & interempti sunt. Sed inter ea quæ eo bello con-

c. in Syl. Mario.

lo contigerunt maximè memorabile & lugubre fuit, quòd prœlio, quo apud Ianiculum aduersum Cinnam pugnatum est, ignorantes concurrerunt duo fratres, alter ex Pompeij exercitu, alter ex Cinnæ. Pompeianus victor quum occisum à se hostem spoliaret, agnito fratre, ingenti lamentatione edita, rogo ei exstructo, ipse supra rogũ se transfodit, & eodẽ igni consumtus est. Sed multo etiam plures mortales omni genere calamitatis absumsit funestum illud inter Pompeium & Cæsarem accensum bellũ: mox ab Triumuiris, Octauio, Antonio & Lepido, aduersus Brutum & Cassium continuatum: demum inter Octauium & Antonium finitum. Triginta duos annos durauit hoc bellum, & tam latè fusum est vt totum propè orbem, quàm longè patebant imperij Romani fines, commouerit. Tantam certè cladem inflixit, vt ab initio eius vsque ad quartum C. Cæsaris consulatum, centum septuaginta millia ciuium Romanorum consumserit. Et quota hæc fuit pars eorum qui pòstea, qui per reliquam Italiam atque omnes prouincias, exstincti sunt? Ita tum bellis ciuilibus tantum sanguinis perditum, tot hominum millia perierunt, vt eorum numerus iniri non posset. Sed in primis atrox & intestabilis societas fuit quam iniit Octauius cum Antonio & Lepido, qui se Triumuiros Reip. constituendæ cum summo imperio in quinquennium renunciarunt. Nam quum proscriptionem ac cædem inimicorum ciuium edi vellent, vt inimicos vlciscerentur, amicos quoque prodebant. Cæsar quum pro Cicerone excipiendo aliquam,

Florus li. 79.

Florus lib. 120.

Plut. in Cæsare.

diu certasset, cum tamdem destituit, vt sæuitiæ & odio Antonij gratificaretur: quum ei vicissim Antonius L. Cæsarem auunculum suum, quem Octauius oderat, condonaret: Lepidus Paulum fratrem. Qua permutatione quid immanius fuit, quum non secus occiderent quos traderet, quàm quos accipiebant? Ea igitur proscriptione, Triumuirorum iuxtà amici ac inimici, plurimi equites, CXXX. senatores, interemti sunt. Sed ne Antonius quidem tantam immanitatem, cuius præcipuè autor erat, inultam tulit. Nam contracto aduersus Octauium bello, nauali prœlio ad Actium victus, seipsum gladio transegit: sæuitiam in Ciceronem & alios sæpius expertam in semetipsum vertens.

Monstrel. lib. 1. cap. 79. 80. 81. 159. 191. 198.

II PORRO triginta duos annos intestinis dissidiis laceratum Imperium Romanum nemo mirabitur, qui legerit inter duas in Gallia familias Aurelianensem & Burgundicam, totos sexaginta annos, duas propè hominum ætates, perpetuis bellis certatum. In quibus nihil sæuitiæ omissum est, præsertim à Parisiensibus, qui Burgundi partes fouebant. Illi Conestabilem, illi Cancellarium Galliæ obtruncarunt: & vtriusque corpus plurimis ludibriis vexatum passim per vicos raptarunt. Illi multos præterea, Proceres, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & tria fermè millia illustrium virorum custodiis extracta, crudeliter mactarunt. Dux sæuienti turbæ Capiluchius sese obtulit, Parisiensis carnifex. Sed earum quoque partium fautores, crudelitate nondum expleta, Anglos in Galliam vocarunt, qui ea propè potiti

titi sunt: Carolum VI, aduersus filium, Gallorum alteros in alteros, armarunt. Immò, nequid inausum relinquerent, supplicia quoque in defunctos composuere. Nam extortis à Papa bullis, Aurelianensis domus clienteis excommunicationibus atq. interdictis mortuos iuxta ac viuos persequebantur. Nam sicuius Aureliani, seu is morbo, siue in prœlio, seu in vinculis, mortuus esset, corpore potirentur Burgundici, sepultura prohibebant: Itaq. in exquilias insepulta cadauera lupis & feris abiiciebantur. En præclaros fructus bellorum ciuilium, quæ vbi semel efferatis odio animis in morem vertere, in scelera quamuis immania & nefanda prorumpunt.

QVAMOBREM sapiens Princeps nulli neque rei neque labori parcet: vt dissidia intestina mature sopiat: atque ea in re exempla Caroli VII & Ludou. XI. prudentium Galliæ regum, imitabitur. Carolo VII adhuc Delphino, Ioannes Burgundiæ dux (vir ambitiosus & vltioni properus) Ludouico, Caroli VI regis fratre, per insidias interfecto, Regnum armis peregrinis & ciuilibus impleuerat: Regem (cui propter morbum mens aliquantum immutata erat) cum regina in potestatem suam redegerat, vt Delphino bellum inferret. Hæ satis iustæ & idoneæ caussæ visæ sunt Delphini familiaribus vt aduersus Ducem audax aliquod facinus moliretur, idque adolescenti facile ab illis persuasum est. Itaque Carolus nuntium ad Ducem mittit, vt colloquendi secum potestatem faceret: se quidem pacem optare: superesse, si ea illi quoque cordi sit, vt locum & tem-

Monstrel. lib. 2. cap. 175. 176. 180. 181. 182. 183. 186. 187.

pus opportunum deligant, quo congredi & de pacis conditionibus simul agere possint. Itaq. mutuo consensu dies finitur, locus designatur: Monterellum (oppidum situm ad Yonæ & Sequanæ confluentes) venit Dux, quum fidem à Carolo accepisset. Ibi quum Delphinum salutaret, ab eius comitibus circumuentus & cum nonnullis clientibus trucidatus est. Eius filius Philippus fœdam patris cædem adeo indignè tulit, vt ex eo tempore omnia moliri cœperit quibus eam vlcisceretur. Itaq. iam antè cœpta bella ciuilia in longum trahi: Angli per speciem alienæ persequẽdæ iniuriæ, in Gallia res suas agere; Normaniam, Lutetiam, Picardiæ magnam partem, sibi adiungere. denique tantum progredi vt Aureliam quoq. obsiderent. Inter has rerum moles Carolus VI. moritur. Carolus VII. regni hereditatem adiens, sed eius magna parte exutus, Regulus Biturigum per ludibrium vocitabatur. Sed is sapienter cogitans fore vt breui, si longius bella serperent, cetera quoque amitteret, totus in pacis studium versus, omni ope tentauit vt cum Philippo in concordiam rediret. Itaque missis ad eum legatis, Conestabili, Cancellario, & amicorum præcipuis, nunciari iubet: Se vltro ab eo pacem petere, agnoscere abs se prauo consilio patrem ipsius Ioannem per scelus interemtum: si ea tum prudentia esset qua nunc polleret, aut id infectum reddi posset, numquam se tantum nefas admissurum aut permissurum fuisse. sed tum deterrimo consilio vsum & adolescentem fuisse. Ceterum se, quacumque ratione vellet, satisfacturum illi, mul-

multámque quam is diceret, sibimet irrogaturum:immò petiturum ab eo veniam gratiámque tanti sceleris per legatos,qui vicem eius obirent. Præter hæc se dono dare illi Comitatus,Matisconensem,Altisiodorensem,& Boloniensem,oppida S.Iangonij, & Barij ad Sequanam, multásque alias ditiones: tum ipsi ac subditis officium & obsequium personale,quod sibi, tamquam vassalli & clientes regni Galliæ, deberent,id quamdiu viueret remittere. Sineret ergo se propter Christum exorari, ac concordiam redderet. Tanti Principis tã demissa & supplici oratione ac precibus Philippi animus adeo mollitus est,vt de pace secum agi sineret,quæ tamdem in Attrebatum oppido facta est. Eò omnium Christianorum principum, Concilij Basiliensis & Pontificis legati venerant,ad quatuor millia equitum. Iis omnibus æquæ & honestæ visæ sunt leges quibus Rex pacem petebat. Itaque ipsius legati (Dux Borbonius,Comes Richemontius Conestabilis, Archiepiscopus Rhemensis Cancellarius, Fayettanus Mareschallus, & aliquot alij proceres) in conspectu omnium nomine Regis principis sui gratiam perpetratæ cædis, & patris eius contra fas & ius gentium interemti, à duce Burgundiæ petiuerunt: & fassi Regem id iuuenili temeritate & prauo consilio impulsum admisisse,orarunt vt omni deposito odio sincerè cum eo redire in gratiam vellet. Dux Burgundiæ pronunciauit se omnem iniuriam Regi condonare, tum propter venerationem mortis & passionis D. N. Iesu Christi, tum quia plebis Gallicæ misericordia

cum caperet: tum etiam vt Concilij & Papæ & Christianorum Principum monitis morem gereret, qui merebantur vt hoc ab se impetrarent. Sed præterea Duci datum est, vt in eos animaduerteretur qui patrem ipsius interfecissent, aut quorum consilio Rex etiamtum Delphinus, ad id facinus impulsus esset. Regem ipsum daturum operam vt quæreret ei noxæ affines & in potestate haberet. Ad hunc modum ergo Carolus VII. tempestiue summittendo animos & culpam agnoscendo domestica bella sustulit: ex quo tempore omnia ei adeo prosperè euenerunt, vt externis aduersum Anglos finem quoque imponeret. Quod à Deo haud dubiè profectum est, qui plerumque humiles ac demissos attollit, & deiicit superbos. Neq. se infra decorum summittit Princeps aut in ordinem cogit, si Maiestatis suæ grauitatem facili comitate & modestia temperet, quæ (vt Plutar. in Phocione inquit) omnium concentuũ maximè concinna & delectabilis temperatura est. Nam si Rex tum eiuscemodi homines habuisset in consilio, quales plerique hodie sunt Regum consiliarij, quid dixissent? Enimuerò infra vassallum se demittere, gratiam delicti petere, debitum obsequium ei remittere, indecoras Regi res esse. Nullam Principi cum subdito pacem faciendam esse, qua non integrum suum decus conseruet: eas pacis leges dedecori esse: omnia potius extrema pati debere, quàm vllam pacem admittere, nisi qua subditi se prorsus ac sua omnia illius fidei ac potestati permitterent. Nam quomodo id non diceret, quum hodie vociferari ausint

ausint, parū decorum fore Regi, si præter exercitium Religionis & instaurationem Iustitiæ quædam pignora suæ fidei det subditis, vt pro certo habeant se tutò victuros? Carolo tamen VII omnes Principes suæ stirpis, Regni primores, Principum externorum legati, suaserunt vt multo duriores & iniquiores leges pacis acciperet, & accepit. Scilicet inter tot & tam illustres viros, quorum nonnulli eruditissimi (vt qui à Concilio, ab Academia Parisiensi, & Parlamentis delecti fuerant) omnes vsu rerum periti erant, nemo adeo prudentia & ingenio pollebat vt isti, qui nihil ferè præter Machiauellum tenent.

LVDOVICVS XI, initio Regni, remouit à muneribus Reip. & dignitatibus proceres & amicos Caroli VII patris sui, qui multis sæpe locis belli domísq. rem Gallicam forti ac fideli opera iuuerant: ac vltimæ sortis homines extulit. Inde bellum (vulgò Boni publici appellatum) exortum est, querentibus iis à quibus bellum illud bono publico susceptum erat, perditam Reip. administrationem, propterea quòd Rex probis & illustribus viris reiectis, extremæ fortunæ & nullius virtutis homines proueheret. Sed breui Regem pænituit. Itaq. vt errorem mature corrigeret, benignè ad se accitos proceres & veteres patris sui amicos beneficiis reconciliare instituit: eos pristinis honoribus, aut amplioribus, ornat, denique illis Boni publici curatoribus, quidquid publicè aut priuatim petiuerunt, concedit. Si Machiauellistas in consilio habuisset, dixissent, minime decere Regem pacis conditiones à subditis accipe-

Comin. lib. 1 cap. 5. & 10. & seq.

re, aut iis qui aliquando inimici fuissent fidere, multo minus dignitatibus reconciliatos augere. Hoc tamen illi prosperè euenit, & eorum quibus cum post hostiles inimicitias in gratiam redierat fideli opera deinceps vsus est. Immò scribit Cominæus, Ludouicum hac prudentia & modestia è summis rerum difficultatib. emersum, se & Regnum seruasse: quod fortè amissurus erat, si ineptis & insipidis Machiauelli consiliis ac rationibus vsus esset. Quippe omnes actiones nónne ex fine æstimandæ sunt? Quod dedecus est Principi, si quantumuis parua & humili ratione, placidè subditos in officio côtineat, & statum suum firmet? Quid interest vtrum in superiorem locum gradibus ligneis an lapideis ascendas, dum eò peruenias?

Pax sanctè seruanda est. VERVM ne illud quidem satis est, si Princeps sedulò incumbat vt Pacem restituat patriæ. Quippe facta, religiosè seruanda est: nisi fortè pace insidiosa, tamquam reti, vti volumus, quo incautos & securos capiamus. Sed qui in ea sententia sunt, (vt tota Machiauellitarum natio) næ illi venerabile Fidei nomen haud magni pendunt: aduersus quos alio loco dicemus. Nunc vt Pax firmè & constanter seruetur, vtilem & commodam iis esse oportet quibuscum facta est, vt eam non tantum libenter sed studiosè etiam colant. Duram & perniciosam cordati viri diutius ferre non possunt.

Liu. Annal. lib. 8. QVA in re Rom. senatus sapiens moderatio memoria digna est. Priuernates ab Romanis obsessi, priusquam vltima vis adhiberetur, sese in de ditionem

ditionem Consuli permiserunt. Itaque eorum legatos ad pacem petendam Romam ire placuit. In senatu quum ipsa per se res anceps esset, prout cuiusque ingenium erat, atrocius mitiúsve suadentib. tum incertiora ómnia vnus ex Priuernatibus legatis fecit, magis conditionis in qua natus esset, quàm præsentis necessitatis memor: qui interrogatus à quodam tristioris sententiæ autore, quam pœnam meritos Priuernates censeret: Eam, inquit, quam merentur qui se libertate dignos censent. Cuius cum feroci responso infestiores factos videret Consul eos qui antè Priuernatium caussam impugnabāt, vt ipse benigna interrogatione mitius responsum eliceret, Quid si pœnam, inquit, remittimus vobis, qualem nos pacem vobiscum habituros speremus? Si bonam dederitis, inquit, & fidam & perpetuam: si malam, haud diuturnam. Tum verò minari, nec id ambiguè, Priuernatem, quidam: pars melior senatus ad meliora responsum trahere, & dicere viri & liberi vocem auditam. an credi posse vllum populum aut hominem denique in ea conditione, cuius eum pæniteat, diutius quàm necesse sit, mansurum? Ibi pacem esse fidam, vbi voluntarij pacati sint: neque eo loco, vbi seruitutem esse velint, ibi fidem sperandam esse. In hanc sententiam maximè consul ipse inclinauit animos identidem dicēdo, eos demum qui nihil præter quàm de libertate cogitant, dignos esse qui Romani fiant. Itaque & in senatu caussam obtinuere, & ex autoritate Patrum latum ad populum est vt Priuernatibus ciuitas daretur.

Dionyſ. Halyc. lib. 6. NEC minus memoranda T. Largij in ſenatu ſententia de fœdere cũ Latinis renouando, quod tamen ipſi fregerant, & victi à Romanis fuerant. Is enim moderatè fortuna vtendum cenſuit, præcipuam laudem dicens, vt ſingulorum, ita ciuitatum, non corrumpi felicitatibus, & bona ſua ferre æquo & modeſto animo. Omnes enim proſperitates inuidioſas eſſe, præſertim quæ à proſtratis & obnoxiis iniuriam non abſtineant. Neque fortunæ nimis credendum, cuius verſatilem inconſtantiam ſuo malo bonóve toties experti ſint: nec cogendos aduerſarios ad extremum periculum, quod plerumque inuitis ex deſperatione addat animos. Verendum etiam ne publicum odium ſibi contrahant omnium in quos affectent imperium, ſi peccantibus acerbos ſe præbeant atque implacabiles: obliti quibus artibus ad tantam claritudinem euaſerint. Omnibus præterea hominibus innatum libertatis deſiderium: neq. indignandum ſi libertati atq. imperio aſſueti populi veterem dignitatem retinere cupiant. Quòd ſi rerum bonarum cupidos, deinde ſua ſpe fruſtratos, malum immedicabile maneat, breui omnes homines mutuis cladibus interituros. Optimum deniq. & firmiſsimum eſſe imperium, quod ſubditos beneficio magis quàm pœna in officio contineat. illius enim beneuolentiã, huius timorem, eſſe comitem, quidquid autem timeatur, id naturali neceſsitate exoſum eſſe omnibus. Poſtremò ad egregia maiorum exempla imitanda eos hortatus eſt, qui clementer potius conſulendo victis, quàm victoriam acerbè exercendo: & captas vr-

bes nouis colonis frequentando quàm diruendo, imperium ex paruo magnum fecissent. Summa sententiæ fuit, censere vt renouaretur pristinum fœdus cum Latino nomine, abolita omni præteritarum offensarum memoria. Hęc Largij sententia, Seru. Sulpitio, qui post eum rogatus est, & ceteris propè omnibus assentientibus, in senatu vicit, vt omnium saluberrima. Atque ea sola, si ratio, non libido, hodie in rebus humanis dominaretur, dux & magistra Principi esse posset, docerέque si firmam & tutam pacem esse velit, eam demum dandam esse quæ lubenter ab omnibus seruetur. Seruabitur autẽ, si cum ea æqua & moderata libertas, idoneis fidei pignoribus adiunctis, concessa fuerit.

CETERVM veteres externis bellis, pacis fiducias & pignora, Obsides dare solebant: sed artissimum vinculum pacis Fides publica erat & Iusiurandum, de quibus aliâs agemus. In secessionibus & discidiis intestinis sedandis alia quædam præter fidem & iusiurandum adhibebant. Nam vt omnibus satisfieret, inter vtrosque munia & dignitates æqualitate quanta maxima poterant diuidebant. Quod Romæ sæpe factum est, quoties plebes à nobilitate oppressa secesserat. Quippe tum Patres Cõsulatum, Censuram, Præturam, sacerdotia, & ceteras dignitates cum plebe communicando, eiusemodi motus sedabat. Ita Romæ plebeiis iuxtà ac nobilibus honores promiscui esse cœperunt, nullúmq; fastidiebatur genus, in quo virtus eniteret, donec à potentibus suffragia pretio corrumperentur. Neque enim mirum est, si paucorum arbitrio belli domíque Respubl.

Pacis fiduciaria pignora.

agitetur, & parti ciuium neq. spes neq. aditus ad honores pateat, omnia odiis & suspicionibus misceri & duas ex vna ciuitates fieri. Nam quibuscum in re publica nulla honorũ societas est, quænam in priuata amicitiæ esse potest? Itaq. Romæ quum plebes in Sacrum montem secessisset, & à Patribus missi essent de concordia reconcilianda oratores, qui publica fide & iureiurando interposito cauerent necui fraudi secessio esset, si plebs redire in vrbem & in concordiam vellet: quidam L. Iunius Brutus tertij ordinis nomine illis ita respondit: Plebeius ordo non dubitat quin Patricij quas fertis concordiæ conditiones seruetis, neque plura promissorum & conuentorum pignora quàm fidem & iusiurandum vestrũ postulat. Veremur tamen futurum tempus & tyrannicos quorumdam animos ne iras seruent, quas per occasionem in plebem effundant. Vna porro est securitas omnibus qui potentiores timent: si certum sit, etiamsi lædere illi velint, nocendi potestatem eis defore. Quamdiu enim malis lædendi facultas relinquitur, illico simul adest voluntas. Itaque concedite nobis creare annuos magistratus aliquot nostri ordinis, qui nullam aliam potestatem habeant, nisi vt oppressis iniuria plebeiis & vim patientibus succurrant, nec patiantur quemquam fraudari iure suo. Hoc à vobis precibus contendimus præter illa quæ vltro dedistis, si non verbis sed reuera de pace agitur. Æquum hoc plebis postulatum Patribus visum est: concessúmque in conditiones, vt plebi sui magistratus essent: néve cui Patrum capere eum magistratum liceret. Hanc originem habuit

Dion. Hal. lib. 6.

tribunicia poteſtas: quamdiu ea bene tribuni vſi ſunt, Reipu. vtilis ac ſalutaris: vbi ea abuti ac in libidinem vertere cœperunt, pernicioſiſsima. Quod & ceteris quoque magiſtratibus ac poteſtatibus vſuuenire ſolet.

SED pacem fidam & diuturnam eſſe non poſſe, ſi victis ſuperbè ac duriter imperitetur, Saguntini ſuo exemplo docuerunt. Oppugnabantur ab Annibale acriter, neque auxilij ab Romanis, neq. obſidionis ſuſtinendæ diu ſpes erat: & triſtes conditiones vt ab irato victore ferebantur. Alorcus Hiſpanus, publicè Saguntinis amicus atque hoſpes, ſe eius pacis interpretem fore pollicitus, Saguntum ingreſſus eſt. Vbi inter alia: Pacem ad vos, inquit, affero magis neceſſariam quàm æquam. Vrbem vobis Annibal, quam ex magna iam parte dirutam, captam ferè totam, habet, adimit, agros relinquit locum aſsignaturus in quo nouum oppidum ædificetis: aurum argentúmque omne publicum ac priuatum ad ſe iubet deferri, &c. Hæc victor hoſtis imperat, hæc, quamquam ſunt grauia atque acerba, fortuna veſtra vobis ſuadet. Equidem haud deſpero quum omnium poteſtas ei à vobis facta ſit, aliquid ex his rebus remiſſurum. Sed hæc patienda cenſeo, potius quàm trucidari corpora veſtra, rapi trahíq. ante ora veſtra coniuges ac liberos, belli iure ſinatis. Verùm quum Saguntini pacem quæ libertate emeretur iniquiſsimam iudicarent, mortem prætulerunt, potius quàm vt viui in Annibalis poteſtatem venirent. Itaq. primores, priuſquam reſponſum daretur, argentum aurúmque omne

Liu. Annal. lib. 21.

ex publico priuatóque in forum collatum, in ignem ad id raptim factum coniicientes, eódem plerique femetipsos præcipitarunt. ceteri, vrbe capta, nullum antè finem pugnæ quàm morientes fecerũt. Ita viri fortissimi miserrimo genere leti absumi maluerunt, quàm libertatem seruili pace mutando cum dedecore viuere.

Pax tolerabilis violari non debet.

SED quemadmodum Pax iniqua & seruilis diu seruari non potest, ita magnopere peccant qui commodam & tolerabilem frangunt. Ea certè res florentem & præpotentem Carthaginiensium ciuitatem pessumdedit. Nam quum à Romanis sæpe victi, sæpe fidem fallerent & fœdera cum iis icta violarent, tamdem deleta est Carthago. Mouit ea res maximè Romanos, quòd toties fœdera violantibus credere tutum non esset: præsertim quum non duriores pacis conditiónes, sed eas tantùm accepissent, quibus caueretur ne rebellarè aut crescere possent.

Liu. Annal. lib. 33. & lib. 44. Plu. in P. Æmilio.

SED quàm religiosè bona Pax colenda sit, Philippi & Persei Macedoniæ regum exempla in primis documento sunt. Philippus Ætolis, Romanorum amicis & sociis, arma inferebat. Eum Romani, misso primùm Læuino, deinde Sulpitio in Macedoniam compulere. Mox quum bienniũ res neglectæ in Græcia fuissent, Philippus desertos ab Romanis Ætolos, cui vni fidebant auxilio, quibus voluit conditionibus ad petendam & paciscendam pacem subegit: & paulo pòst cum P. Sempronio Rom. imperatore congressus, pacem cum Romanis fecit. Sed quum Philippus socios populi Romani armis lacesseret, & Pœnos hostes

ftes eiusdem auxiliis & pecunia iuuisset: preces quoque Atheniensium, quos agro peruastato in vrbem compulerat, Romanos excitarunt ad renouandum bellum. Sed aduersis aliquot prœliis fractus Philippus pacem à Rom. petiit & impetrauit. Eámque quamdiu vixit ita coluit, vt bis in die legum eius pacis capita legeret, & obedienter omnia faceret aduersus Romanos, nequā mouendi belli caussam præberet. Nisi quòd iam eo viuo Macedonici vltimi belli semina iacta sunt: sed dum Romani belli consilia secretò agitat morte interceptus est, & Perseo regnum reliquit, quem infestissimum esse senserat Romanis. Itaq. Perseo hereditarium bellum tradidit, quod ille mox alere & fouere omnibus consiliis cœpit. Habebat inter intimos amicorum Onesimum quemdam virum nobilem, qui pacis semper autor ei fuit, monuítque, sicut pater eius Philippus institutum vsque ad vltimum vitæ diem seruabat quotidie bis in die fœderis icti cum Rom. perlegendi, vt eum morem, si non semper, crebrò tamen vsurparet. Postquam deterrere eum à bello nequiit, primò subtrahere se per alias atque alias caussas, ne interesset iis quæ nō probabat, cœpit, postremò quum suspectum se esse cerneret, & proditionis interdum crimine insimulari, ad Romanos transfugit. Post hæc Perseus magna vi pecuniæ contracta, & præter Macedonum copias x. millib. mercenariorum militum conductis, singulas fœderis leges paulatim violare & summa vi bellum parare cœpit. Itaq. quum id bellum L. Paulo Æmilio cons. mandatum esset, is in Mace-

doniam profectus, Perseum acie vicit, Macedoniam in potestatem Pop.R. redegit, & bellum quindecim diebus perfecit. Rex quoque in Samothracum templo cum liberis captus, & in triumpho à Paulo ductus, in custodia exstinctus, est. Hic ergo fuit exitus Persei, in quo Philippus & Alexander magnus Macedonum reges effulgebant, quum Romanorum vim bello experiri quàm fidem in pace maluisset: idémque finis inclyti per Europæ plerumque atque Asiam omnem regni.

EQVIDEM Princeps qui sedulò reputauerit quantum in Pace boni sit, eam quoad eius fieri posit, certè in suis finibus, seruabit. Quippe res omnes pace crescunt & florent, bello ac discordia dilabuntur. Anton. Pio imperante, quum ille pacem adeo amaret vt malle se vnum ciuem seruare quàm mille hostes interficere, diceret, Prouinciæ omnes non tantùm omni rerum & bonorum copia, sed virtute quoque & bonis artibus, florebant. Tum erant in honore litteræ, ac Iuris prudentia in primis: neque ea tantùm docebatur, sed rerum quoque præsens effectus & summa vbique iustitia erat. Præterea amplissimis operibus extruendis Pius delectabatur. nam & Amphitheatrum Nemausi, vnde oriundus erat, (quod hodie Arenas vocant) & Templum Adriani patris honori dicatum, & sepulcrum eiusdem, excitauit: & Amphitheatrum Romæ, templum Agrippæ, pontem sublicium, multáque aut vetustate consumta aut incendio hausta restituit. Multas etiam ciuitates pecunia adiuuit, vt opera vel

Capitol. in Pio.

noua

noua facerent, vel vetera instaurarent: Traiani munificentiam verè regiam & Principe dignam imitatus, qui multa eáque apprimè necessaria ædificauit, vias, portus, ædificia publica, pontes: & Pomtinas paludes lapide sternendas locauit: bibliothecas instruxit, multáque alia fecit quibus immortalem nominis sui famam redderet. Quippe eiuscemodi pacis edendis operibus Principes non minus quàm victoriis & triumphis diuturnam ad posteros, magis certè prosperam, sui memoriam relinquunt. Franciscus I (felicis memoriæ Princeps) instauratis in Gallia literis plus laudis adeptus est, quàm quilibet auorum bellis & tropæis. Nam (vt inquit Horatius) litteræ,

Pli. in epist. ad Traian.

Per quas spiritus & vita redit bonis
Post mortem ducibus, -

eam de se bene meritis gratiam rependunt, vt eos ab obliuione, tamquam à morte, vindicent: ceterorum, qui litteras nullo honore dignati sunt inornata virtus, velut inertia, siletur.

IAM siquæ comparatio & contentio facienda est magnifici status & paratus, quem Princeps in pace tueri potest, cum eo quem belli tempore induere necesse est, tantum interest quantum inter lucem & tenebras. Eius rei luculentum exemplum Philippo Valesio regnante apparuit. Nam quum longa pace florerent tum Regni opes, Philippus quatuor aut quinque reges sæpe in comitatu habuit, qui illum ob magnificentiam colerent, reges Boemiæ, Scotiæ, Aragoniæ, Nauarræ, Balearis insulæ maioris, multósque Duces, Comites, Barones, & Prælatos, quibus sumtum ferè

omnibus præbebat, vt re ipsa ostenderet Galliæ regem veluti Regum regem esse. Certè vt tantæ regij paratus magnificentiæ sufficeret, ingentes sumtus faciebat: sed ipse largus animo, & quum diues longa pace populus munificentiam Regis æquaret, par etiam opibus erat. Ea tempestate Angliæ Rex in Galliam traiecit, vt Philippo hominium & fidelitatis iusiurandum præstaret propter ducatum Aquitaniæ, quem diu Angli beneficio Galliæ regum feudi iure tenuerunt. Anglus spectata aulæ Gallicæ opulentia, & Regem tot regibus, ducibus, comitibus & proceribus, cinctum miratus, fidem atq. hominia ei sine vlla dubitatione præstitit, & longè quidem aliter quàm animo destinauerat. In Angliam reuersus palàm dicebat, nullum existere suo iudicio Imperatorem aut Regem, qui tam magnificam principalis fastigij speciem tueri posset quàm Rex Galliæ soleret. Vbi nunc aurea illa tempora? Quàm diuerso itinere pergimus? quantum absumus ab illis? Eò certè numquam nos bella ciuilia reducent, sed bona & sancta pax, Iustitiæ & omnium Ordinum & officiorum reformatio: quæ in tam deformem statum lapsa sunt, vt nisi aliquando corrigantur, populum perpetua miseria vrgeri & arrodi necesse sit. Populo ad inopiam redacto quæ aut Regi, aut Nobilitati, aut Ecclesiæ, opes diuitiæ ve esse possunt? Nam Regij dominij fructus, tributorum collatio, Nobilitatis & Ecclesiæ census ac reditus, denique Regni opes, vnde nisi Plebis laboribus sustentantur?

His satis superque agitatum hoc de Bello dogma

gma iudico: neque vel punctum quidem adderem, nisi operæprecium esset lepidum istius scribæ stylum ingeniúmque attendere. Nam in popularium laudes incurrens, quibus ob egregias corporis & animi dotes eximium decus tribuere velle visus fuerat; illis repentè, velut de industria præuaricans, grauissimam ignauiæ secordiæque notam inurit, quum dicit eos prœliis numquam interesse. Sed caussa qua mox tantum dedecus velare properat, etiam cetera vincit: quum addit eius rei culpam inertiæ imperatorum assignandam esse. Perinde ac si diceret, omnes eorum imperatores imbelles, timidos & ignauos esse, qui militum animis formidinem potius quàm virtutem iniiciant. Quod quàm verum sit, non laboro. Hoc certè constat, ex omnibus Transalpinis ducibus, quotquot in Gallia per hosce quindecim annos bellum gessere, neminem præclari facinoris aut bellicæ virtutis gloriam manu meruisse: Magna quidem illi inanium specie, & magnifico apparatu: ac si bellum gereretur gesticulationibus & verbis, bellatores primi: à prœliis tamen & vrbibus obsidendis in vniuersum abstinent. Hoc illis testimonium virtutis grauis in primis, autor & locuples reddit ipse Machiauellus.

II. THEOREMA.

Princeps, vt animum penitus à desiderio pa-

cis abstrahat, insigni aliqua iniuria violare aduersarios debet.

Com.lib 3. cap.32.

QVVM natura homines (inquit Machiauellus) vlcisci eos ament à quibus læsi sunt, indè fit vt qui alicui iniuriam intulerunt, præsertim si ea insignis est, ei vix vmquam possint fidere. Omnes enim inimico reconciliato diffidunt, & ab eo sibi metuunt. Itaque ne Princeps animum ad pacem vmquam inclinet, néve cupido eum incessat reconciliandæ cum aduersario gratiæ: suadendum ei est vt insigni aliqua iniuria aduersarium violet. nam eo facto numquam aut se illi credere, aut cum eo redire in gratiã, volet.

Sam.lib.1. cap.16.

NON magis ouum ouo simile est, quàm hoc consilium eius geminum quod Achitophel Absalomo dedit: vt nullo ad pænitendum regressu, immortaliũ cum patre inimicitiarum caussam contraheret, & spe pacis incisa regnum perpetuis discidiis & turbis misceret. Is enim suaserat Absalomo, vt palàm Dauidis patris coniuges incestaret, quo probro nullum fœdius imponi poterat, vt ipse & qui eius sectam sequuti essent, sumtis ab desperatione animis, inexpiabile bellum aduersus Dauidem gererent. Sed quem exitum habuit tam fœdum inceptum? Scilicet consilij huius artifex & autor

Achitophel laqueo sibi ipse gulam fregit: seu animum eius obruerant ira & rabies ob consilium spretum, seu metus ne Dauid ab eo pœnas expeteret. Breui quoque oppressus Absalom adeo nefandi cupidè accepti cõsilij tam maturum quàm meritum supplicium luit.

SIMILEM propè exitum inuenit Tolumnius Rex Veientium, quo impulsore Fidenæ colonia Romana ad Veientes defecerant. Nam vt maius defectioni scelus adiicerent, legatos Romanos, caussam noui consilij quærentes, iussu Tolumnij interfecerunt. Quippe is obstringi Fidenatium populum, ne respicere spem vllam ab Romanis posset, conscientia tanti sceleris, voluit. Itaque cum Fidenatibus, ab caussa tam nefanda bellum exorsis, atrox prœlium gestũ est. Erat inter equites tribunus militum A. Cornelius Cossus, qui quum Tolumnium tota acie volitantem cognouisset: Hiccine est, inquit, ruptor fœderis humani violatórque gentium iuris? iam ego hanc mactatam victimam legatorum manibus dabo. Calcaribus subditis, infesta cuspide in vnum fertur hostem, quem quum ictum equo deiecisset, cuspide ad terram affixit. tum exsangui detracta spolia, capútque abscissum victor spiculo gerens, terrore cæsi regis hostes fudit. Liu. Annal. lib. 4.

CAMPANORVM maiores quum receptos in fidem aduersus Samnites defendissent Romani, & cum ipsis ciuitatem quoque Rom. communicassent: illi tamen superbi atque infideles socij post cladem Cannensem Romanum imperium adeo spreuerunt, vt eam calamitatem in rem Liu. Annal. Lib. 23. & 26.

ſuam vertere ſtatuerint, & fœdere icto cum Annibale Italiæ imperium ſibi deſpondere auſi ſint. Sed primum Romam legatos mittunt, poſtulantes vt ſi rem Romanam adiuuari vellent, alter conſul Campanus fieret. Indignatio inde in ſenatu orta: ſummoueri à curia iuſsi ſunt, miſſúſq. lictor qui ex vrbe educeret eos atque eo die manere extra fines Romanos iuberet. Itaque ingens inde ira ſuperbæ ſuopte ingenio genti orta: nec tantùm ad Annibalem ab Romanis defecere, ſed alia inſuper ediderunt facinora. nam præfectos ſocium ciuéſque Romanos alios, plebs repentè omnes comprehenſos, velut cuſtodiæ cauſſa, balneis includi iuſsit: vbi fetore atque æſtu anima interclusa fœdum in modum exſpirarent. Capua paulo pòſt à Conſulibus Rom. ſumma vi obſideri cœpta eſt. Prius tamen quàm vrbem circumuallaſſent, Conſulibus litteræ à P. Cornelio prætore miſſæ, vt priuſquam clauderent Capuam operibus, poteſtatem Campanis facerent, vt qui eorum vellent, exirent ab Capua ſuáſque res ſecum auferrent. liberos fore ſuáque omnia habituros, qui ante Idus Martias exiſſent. poſt eam diem qui que exiſſent quíque ibi manſiſſent, hoſtium futuros numero. Ea pronunciata Campanis, atque ita ſpreta vt vltro dicerent contumelias minarentúrque. Annibal ad Capuam obſidione liberandam, Romam, caput ipſum belli, petere ſtatuit. Neque tamen propterea inde abſceſſum eſt: & nihilo ſegnius Capua ab Romanis oppugnabatur. Digreſſo ab Roma Annibale, edictum Proconſulis ex s. c. propoſitum & vulgatū eſt apud Campanos,

panos, vt qui ciuis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset. Nulla tamen facta transitio est, metu magis eos quàm fide continente: quia maiora in defectione deliquerant quàm quibus ignosci posset. Vocato tamen senatu, quum ceteri de legatis mittendis ad Imperatores Romanos agerent: Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis autor fuerat, populi Rom. clementiam experturum se negauit. neque enim sibi placabiles fore, aut Capuæ Romanos parsuros, cui infestiores quàm Carthagini, essent. Itaque seipsum cet erósque qui idem sentirent, ab audiendis videndísque omnibus acerbis & indignis quæ victos manerent honesta morte vindicaturum. Vibium Virium septem & viginti fermè senatores domum sequuti sunt, epulatíque cum eo & quantum facere potuerunt alienatis mentibus vino ab imminentis mali sensu, venenum omnes sumserunt. Inde misso conuiuio dextris inter se datis, vltimóque complexu collacrymantes suum patriæque casum, omnes antequam aperirentur Romanis portæ exspirarunt. Tam miserabile spectaculum nónne satis documento est quàm nefandum & perniciosum sit Machiauelli consilium, Exsecrabilis videlicet & implacabilis odij caussam quærere? Ecquis Princeps est, cui non aliquando necesse sit, cùm aduersario vel inferiore in gratiam redire? Ac si reconciliatio numquam non tempestiua atque opportuna, immò necessaria, est, cur impius nebulo hîc omnem eius spem mentionémque exstingui atque opprimi vult? Neque temerè succenseo. nam qui huius consilij

Reconciliatio gratiæ semper vtilis atque opportuna.

vſum atque effectum lugubrem in Gallia non viderunt, nihil viderunt.

Sall. in Catil. LVCIVS Catilina, vir ingenio malo prauóq. quum opprimendæ Reipubl. consilium cepiſſet, multos Romæ nobiles adoleſcentes, atque alios ſui ſimiles, in familiaritatem illexerat. Sed cogitans coniurationem ſibi procedere non poſſe, niſi participes eius conſilij multos faceret, periculúmque eſſet ne re inter multos vulgata omnia emanarent: populares ſceleris ſui horrendo aliquo iureiurando ſibi obnoxios fidóſque reddere ſtatuit. Itaq. oratione vniuerſos cohortatus, humani corporis ſanguinem vino permiſtum in pateris circumferri iuſsit: inde quũ poſt exſecrationem omnes deguſtaſſent, dicitur aperuiſſe cõſilium ſuum, atq. eò id factum dictitaſſe, quò inter ſe magis fidi forent, alius alij tanti facinoris conſcij. Itaque mirum quàm inter participes coniurationis taciturnitate omnia cohibita ſint: donec Fuluiæ meretrici nobili Q. Curius, Fuluia Ciceroni, conſilia Catilinæ prodidit. Mox quoque per Allobroges, quos in eius belli ſocietatem pellicere Lentulus tentauerat, coniuratio omnis patefacta, & de coniuratis ſupplicium ſumtum. Catilina, quum belli fortunam tentaſſet, pugnans cum ſuis confoſſus eſt. Denique omnium qui ea Machiauelli doctrina vſi, nefando aliquo ſcelere diremtis belli commerciis, ſpem omnem concordiæ gratiæque abruperunt, tragici & horribiles ſemper fuerunt exitus.

III.

III. THEOREMA.

Princeps in prouincia ſubacta, præſertim in locis natura aut manu munitis, colonias collocare debet, atque inde veteres incolas expellere.

NVLLVM præſentius conſilium eſt (inquit Machiauellus) vt prouincia aut ager recens captus ſeruetur, quàm ſi in eum Coloniæ deducantur, veterib. expulſis incolis, & miſſis cò habitatum nouis colonis, qui ſubditi & clientes ſint Principis. Nam ita Princeps facilè eius poſſeſſionem retinebit, vt neq. multo ſumtu, neque præſidiis prouinciam oneret: neque quemquam offendet, præter indigenas quos ſuis ſedibus eiecerit. Sed ne inde quidem quidquam metuendum erit. nam illi pauci, quippe minima incolarum portio, inopes & extorres, nullam nocendi facultatem habebunt. Ceteri qui in patria remanſerint, nihil noui molientur, veriti ne propter rebellionem cum reliquis eiiciantur. Nam quum vel conciliandi ſint homines ſpecie quadam clementiæ, nimis

oneribus opprimi non debent qui in prouincia relinquuntur: vel quum penitus euertendi sint, eiici & pelli debent incolæ eorum locorum in quibus statuuntur Coloniæ. Quippe iniuriæ ita homini inferendæ sunt, vt nihil reliqui fiat, vnde vltionem metuas. Hoc præceptum studiose olim obseruabant Romani. nam quum in omnes prouincias à se domitas Colonias deducerent, earum adminiculo ita tenuiores fouebant, vt non paterentur crescere: potentiorum verò opes debilitarent.

DISTINCTA bonorum ac rerum proprietas, qua quisque fortunarum suarum dominus ac possessor sine controuersia esse debet, legibus naturæ ac iure gentium instituta est, quæ iubent vt suum vnicuique reddatur. Ea porro distinctio commercia & contractus venditi, emti, commodati, locati, mandati, & similia, inter homines fouet, quæ vincula sunt societatis humanæ. Quippe ea ex communi vita sublata, interiret omnis commerciorũ vsus inter homines atque omnis consociatio. Etsi enim poetæ & nonnulli philosophi promiscuam bonorum communitatem & aurea Saturni secula celebrant: quis tamen, si paulum modò iudicio valeat, non videt, nihil inde sequi posse nisi vt industria languescat: secordia, ignauia, discordia & omnium rerum permistio, in Rempubl. irrumpant, sicuti docet luculenter Arist. in Politicis.

Proprietas bonorum, iuris naturalis est.

Itaque

Itaque ius illud naturale religiosè obseruandum est & vnusquisque in fortunarum suarum possessione retinendus. Immò ius illud ita sanctum generi humano esse debet, vt ne Principi quidem violare illud aut abrogare liceat. Atque eam illius autoritatem & sanctimoniam ius diuinum affirmat, quando Dei verbo damnatur Achabus rex Israelis, quòd Nabotho, quamuis subdito & clienti, auitam vineam extorserit. Huic rei quoque Iuris ciuilis regulæ concinunt, quibus præscribitur ius naturale & gentium nullo ciuili iure violari aut antiquari posse. 1. Reg ca. 21.

Ex quibus apparet quàm absurdum & iniquum sit hoc consilium, quum suadet Machiau. Principi vt ciues suis vrbib. patresfamiliâs suis ędibus, incolas auitis agris & sedibus expellat, atque eorum fortunas nouis colonis attribuat, vt eo præsidio noui principatus opes confirmet. Hoc enim si faceret Princeps, primùm contra omne fas ac ius gentium peccaret. Deinde indigenarum aduersus se concitaret odia, ita breui dominatum ditionémq. amitteret. In voluntaria enim obedientia & beniuolētia ciuium Principis status incolumitas & firmitas sita est. Nam dicere eos tantùm infensos fore, qui eiecti essent, ceteros metu quieturos, nugatorium est. Quippe quod alteri contigit, quisque ne itidem sibi eueniat, formidat. Præterea non solùm incommoda aut iniuriæ quibus ipsi lædimur: sed eæ quoque quibus parentes, propinqui, amici, ceteríq. quibuscum nobis aut patria aut religio communis est, afficiuntur, magnopere nos offendunt. Ter-

tiò certum eſt,quos Princeps penatibus eiecerit, inexpiabili aduerſus eum odio incenſos, numquam quieturos donec aliquam vlciſcendæ iniuriæ opportunitatem inuenerint. Neque arbitretur Princeps nihil ab exulibus & miſeris ſibi mali metuendum eſſe. nullus hoſtis, quamuis tenuis, contemni debet. Quàm à paruis initiis creuit Sertorius? Eques ille Romanus, ſine autoritate, ſine imperio, quum partes Marij quibus ſtudebat, acciſas in Italia ſentiret, in Hiſpaniam conceſsit. Ibíque proſcriptorum, exulum, Hiſpanorum, aliorúmque quos ſimilis fortunæ caſus conglobauerat, manu contracta, bonam Hiſpaniæ partem occupauit. Aduerſus eum Sylla Q. Metellum conſulem miſit: qui à Sertorio ſæpe eluſus, & multis prœliis fatigatus eſt. Itaque quum is aduerſus Q. Sertorium impar videretur, à ſenatu Cn. Pompeius in Hiſpaniam cum imperio conſulari miſſus eſt: vbi à Sertorio bis prœlio victus & propemodum interfectus eſt. Itaque Pompeius (quem Sertorius per ludibrium Syllæ diſcipulum vocabat) potius à Sertorio quàm ille à Pompeio deletus eſſet, niſi à ſuis interfectus eſſet Sertorius. Attamen ille gregarius propè miles, quum neque ærarium, neque pecunias ex publico, neque imperium niſi voluntarium, haberet, magnus dux euaſit, & aduerſus duos imperatores Pompeium & Metellum ſæpe par, & frequentius victor, non Romanæ virtuti ſed ſuorum fraudi ſuccubuit. Quis erat Spartacus? Paſtor, Thrax, mox ſeruus, qui ergaſtulo fracto & collecta gladiatorum manu, florentiſsimas Romani impe-

Plut. in Sertorio. & Craſſo. Florus lib. 3. ca. 22.

imperij opes lacessere ausus est. Itaque quum is multos prætores & proconsules prœlio vicisset, id bellum Crasso, postremò Pompeio, mandatum est. Quis Eunus & Cleon? Serui quoque ipsi qui contracta agrestium seruorum manu ad LXX. millia, copiis iunctis contra populum R. bellum sæpe gesserunt. Quis Viriatus? Primùm in Hispania ex pastore venator, ex venatore latro, mox iusti exercitus dux quoque factus, Lusitaniam vniuersam occupauit, tantúmq. terrorem is hostis intulit, vt consulari & duce & exercitu aduersus eum opus esset. Is quum dolo non armis à proditoribus, Seruilij Cæpionis consilio, interemtus esset: ea victoria, quia emta erat, à senatu non probata est. Sed ne ipsius quidem morte disiectus exercitus, à Romanis venia impetrata, agros etiam fertiles, quos coleret, cum Valentia Hispaniæ vrbe, ne inopia coactus ad latrocinia verteretur, obtinuit. Nostra memoria Philibertus Aurengiæ princeps, Antonius Læua, Andreas Auria, Marchio Mantuanus, & ceteri de quibus alio loco, qui à Francisco I. defecere, num plus illi nocuerunt quàm vires Caroli V.? Illi tamen ad Regem collati, multo eo inferiores erant. Quamobrem Princeps sapiens nullum vmquam hostem paruum aut spernendum putabit: cauebítq. ne quem quam iniustè lædat, ne aduersum se inimicos concitet. quippe inimicitiæ, etiam non arcessitæ aut quæsitæ, vltro & facillimè parantur.

CETERVM Romani non eo consilio deducebant colonias, vt tamquam arces aut præsidia victarum à se gentium ceruicibus imponerent, Liu. Annal. lib 10. & li. 27. & lib. 38.

(quemadm. ait Machiauellus) sed vt exundantem multitudine Vrbem turbida & seditiosa fæce exhaurirent. Nam (quemadmodum M. Valerio & Q. Appuleio coss. accidisse Liuius memorat) Romæ plebem quietam & exoneratam deducta in colonias multitudo præstabat. Ceterum noui coloni quidem in agros bello captos & qui Rom. populi facti erant mittebantur: veteres tamen coloni sedibus non pellebantur, neque fortunis spoliabantur: sed Romani indigenis permisti cum illis habitabant, in tectis quæ aut ipsi extruebant, aut quæ publica populi Romani facta erant. Propagabant quoq. illi colonias nonnumquam stirpis augendæ caussa, non vt iis velut arcibus aut munimentis imperium firmarēt. Nam neque in omnibus prouinciis, neque in locis munitissimis, eas collocabant, sed frequenter in fertilissimis. Immò ne ipsæ quidem coloniæ in fide & obsequio semper manebant: vt post cladem Cannensem accidit: quo tempore duodecim coloniæ Rom. & munera militiæ & imperium Romanorum detrectarunt, & quantum in se fuit prodiderunt Annibali. Reipsa enim ciues in alias sedes traducti facilè degenerant, & mores eius regionis quam colunt induunt. Sic Alexandria in Ægypto, Seleucia in Assyria, Babylon in Mesopotamia, coloniæ Macedonum, Tarentum, colonia Lacedæmoniorum, breui in mores & ingenia indigenarum versæ & oblitæ suæ originis, in luxum & mollitiem degenerarunt.

Liu Annal. lib. 40.

Sed hoc loco memorabilis Philippi Macedonum regis calamitas prætermitti non debet, in quam

in quã ob id maximè incidit quòd maritimarum Macedoniæ vrbiũ ciues eiicere & transferre aliò aggressus est. Is enim iam tum consilia de bello Rom. secum ipse volutans, primùm omnem ferè multitudinem ciuium ex maritimis ciuitatibus cum familiis suis in Emathiam traduxit: Thracibúsque & aliis barbaris vrbes tradidit habitandas: fidiora hæc genera fore ratus in Romano bello. Ingentem ea res fremitum in tota Macedonia fecit: relinquentésque penates suos cum coniugibus ac liberis pauci tacitum dolorem continebant: exsecrationesque in agminibus proficiscentium in regẽ, vincente odio metum, exaudiebantur. His ferox animus, omnes homines omnia loca suspecta habebat, postremò negare propalam cœpit, satis tutum sibi quidquam esse, nisi liberos eorum quos interfecisset, comprehensos in custodia haberet & tempore alium alio tolleret. Eam crudelitatem fœdam per se fœdiorem vnius domus clades fecit. Herodicum principem Thessalorum multis antè annis occiderat, generos quoque eius postea interfecit. in viduitate relictæ filiæ, Archo & Theoxena, filios paruos habentes. Quarũ Theoxena superstes sorori, quum suum sororísque filios in eadem cura haberet, posteaquam regis edictum de comprehendendis liberis eorum qui interfecti essent accepit, ad rem atrocem animum adiecit, ausáque est dicere, se sua manu potius omnes interfecturá, quàm in potestatem Philippi venirent. Poris eius vir mentionem tam fœdi facinoris abominatus, Athenas deportaturum eos ad fidos hospites dixit, comitémq. ipsum fugæ futurũ esse. Ita nauim cõ-

scendunt: sed regij qui præerant custodiæ portus lembum armatum ad pertrahendam eam nauim miserunt, cum graui edicto ne reuerterentur sine ea. Quum iam appropinquabant, ferox interim femina ad multo antè cogitatum reuoluta facinus, venenum diluit, ferrúmque promit, & posito
„ in conspectu poculo strictísque gladiis, Mors, in-
„ quit, vna vindicta est: viæ ad mortem hæ sunt: quâ quemq. animus fert, effugite superbiam regiam. agite iuuenes mei, primùm qui maiores estis, capite ferrum: aut haurite poculũ, si segnior mors iuuat. Et hostes aderant & autor mortis instabat. alij alio leto absumti, semianimes è naue præcipitãtur. ipsa deinde virum comitem mortis complexa, in mare sese deiecit: naue vacua dominis regij potiti sunt. Huius facinoris atrocitas nouam velut flammam regis inuidiæ adiecit, vt vulgò ipsum liberósque eius exsecrarentur: quæ diræ (inquit Liuius) breuī ab omnibus diis exauditæ vt sæuiret ipse in suum sanguinem effecerunt. Nam paulo pòst legitimum filium Demetrium (egregiæ indolis principem) falsis criminibus ab altero filio, sed pellice orto, Perseo, circumuentum veneno sustulit. Mox quum Demetrium à Perseo fraude & insidiis petitum cognouisset, & Perseum regni hereditate depellere vellet: curis & vigiliis, quum identidem vmbræ & species insontis interemti filij eum diris agitarent, cum exsecratione alterius exstinctus est. Perseus, quum regnum scelere partum inuasisset, bellúmque aduersus Romanos mouisset, ab illis victus, captus, & in triumpho ductus est,
& in

& in custodia mortuus. Ita horribiles illæ diræ exsecrationésque, quas multitudo suis penatibus & agris eiecta in Philippum iecerat, effectum habuere. Hoc vno exemplo audito, nónne horrescere comas oportet Principi, quoties de pellendis suis sedib. incolis apud eum mentio fit? Non desunt tamen hodie Machiauelli fraterculi, qui palàm dicere audeant, veros Galliæ incolas nonnullis saltem locis pelli in rem fore, missis in eorum locum bonis ac fidelibus (puta Italis & Langobardis) colonis. Immò quantum hodie abest, quin Lugdunum colonia Italica facta sit? Nam prӕterquam quòd maxima pars ciuium Italici sunt, ceteri quoq. incolæ ad eorum mores, victum, cultum, linguam etiam, sese paulatim accommodant. Neque aut vix adeò vllum vel vilissimum opificem in ea vrbe reperias qui non iam Italicum idioma meditetur & garriat. Quippe Magnifici isti Machiauellitæ neminem intueri vel audire solent, nisi qui sermone ipsorum vti didicerit: ita scilicet & sibi & linguæ suæ autoritatem parantes. Sed nobilissimæ quoque vrbes, Lutetia, Massilia, Gratianopolis, & complures aliæ, nónne istis Magnificis plenæ sunt?

IIII. THEOREMA.

Princeps in prouincia nuper victa eos quibus mutatio graui damno est, omnes subuer-

tere debet, atque eorum qui prius in ea dominabantur familiam ac sobolem ab stirpe tollere.

HOMINES (inquit Machiauellus) lubenter dominos mutant, rati melius fore. Itaque hæc spes eos ferè in defectionem impellit: sed sæpius frustratur, quum nihilo meliorem conditionem suam esse experiantur. Quare vt defectioni obuiam eat Princeps, quos ob graue damnum acceptum mutatione offendi animaduerterit, omnes tollere debet. Nam omnibus sani iudicij hominibus persuasum esse opinor (inquit) vllum Principis aut Ciuitatis statum diuturnum esse non posse, nisi qui illi infesti sunt ob ingens detrimentum in rerum nouatione acceptum, de medio tollantur. In quo malè rebus suis consuluit Rex Galliæ Ludouicus XII, & tam breui spatio ducatum Mediolanensem amisit quàm prius subegerat. Quippe Mediolanenses opinione sua decepti, & frustrati commodis quæ ab ipso sperabant, superbum noui Principis dominatum ferre non potuerunt. Peccauit ergo in eo, quòd non eos sustulit quibus ea mutatio detrimento

mento & offensioni erat: tum quòd non stirpem omnem Sfortiarum exstinxit. Sed non ita Cæsar Borgia. Nam quum Flaminiam occupasset, Seniores & nobilissimos quosq. quos opibus & bonis exuerat, quorum potiri potuit, morte adfecit: pauci discrimen effugerunt. Itaque præstat Borgiæ quàm Ludouici regis exemplum imitari. nam optimorum imitatio non semper prosperè euenit. Quippe Pertinaci & Alexandro Seuero clementiam & bonitatem Marci Antonini repræsentare exitiosum fuit: & Caracallæ, Commodo, Maximino, expressisse Seuerum.

NEQVIS dubitaret hoc Machiauelli esse consilium, vt tyrannum informet, nó vt Principem bonis artibus imbuat, tyrannicum hîc præceptum tradit, illi planè compar quod à Thrasybulo Milesio Periandro Corinthiorum tyranno, & à Tarq. Superbo Romanorum rege Sexto Tarq. datum est. Nam Periander, quum principatum Corinthi inuasisset, ad quem nullum ius præter vim habebat, occultas coniurationes veritus, nuncium ad Thrasybulum Milesium familiarem suum misit, orantem vt ipsi consilium daret quónam modo firmum sibi tutúmque principatum præstare posset. Huic nuncio Thrasybulus nihil respondit, tantùm iussum vt se sequeretur, in segetem farris messi ma-

Diog. Hal. lyc. lib. 4.

turam abiit, ibíque inambulans ſpicas eminentiores vellere & manibus terere cœpit: neque alio reſponſo reddito nuncium ad Periandrum remiſit. Periander facilè intellexit quæ eſſet illius mens: Corinthiorum ſcilicet potentiſsimos qui mutatione ſtatus offendebantur, vt quiſque maximè emineret, euellendos & tollendos eſſe. Eadem arte Sextus Tarquinius Tarquinij Superbi filius Gabios cepit: Nam quum vi capi non poſſent, fraude ac dolo aggreſſus eſt, & patris in ſe ſæuitiam intolerabilem conquerens, Gabios ex compoſito transfugit. Benignè ab Gabinis excipitur: vetant mirari ſi qualis in ciues, qualis in ſocios, Tarquinius, talis ad vltimum in liberos eſſet: ſibi verò gratum eius aduentum eſſe, futurúmque credere breui vt illo adiuuante, ab portis Gabinis ſub Romana mœnia bellum transferatur. Inde in conſilia publica adhiberi cœptus: dux ad vltimum belli legitur. Itaque poſtquam ſatis virium collectum ad omnes conatus videbatur: tum è ſuis vnum ſciſcitatum Romam ad patrem mittit, quídnam ſe facere vellet: quandoquidem vt omnia vnus ipſe Gabiis poſſet ei dij dediſſent. Huic nuncio nihil voce reſponſum eſt. rex, velut deliberabundus in hortum ædium tranſit, ſequente nuncio filij. ibi inambulans tacitus ſumma papauerum capita dicitur baculo decuſſiſſe. interrogando exſpectandóque reſponſum nuncius feſſus, vt re imperfecta redit Gabios. Sexto vbi quid vellet parens, quídve præciperet taciti ambagibus páruit, primores ciuitatis, criminando alios apud populum, alios ſua ipſos inuidia op-

Liu. Annal. lib 1.

dia opportunos interemit. Eminebat inter ceteros Antistius Petro suæ ciuitatis facilè princeps. eum oblato falso crimine insontem oppressit. quippe arguebat coniurasse eum cum aliquot consciis, vt rem Gabinam & se seu viuum seu mortuum Tarquinio regi traderet. Ac super cetera falsas literas ad Antistium signo adulterino Tarquinij regis signatas, in ipsius domum clam illatas, protulit. Itaque Antistius, atroci in eum omnium inuidia orta, à Gabinis lapidibus coopertus est: ceteros qui initæ cum Antistio societatis accusabantur, Sexti libidini permittunt. Ita multi palàm interfecti, alij in exilium acti sunt, absentiúmque bona iuxtà ac interemtorum diuisa fuere. Largitionis inde, prædæque & priuati dulcedine commodi, sensus malorum publicorum adimi: donec orba consilio auxilióque Gabina res regi Romano traditur. Verùm tamen tandem & hoc tyrannicum facinus & cetera quæ nefariè alia super alia ausi sunt, Tarquinios Romano regno & publicis ceruicibus depulere. Ita dum ranam piscantur, murænam amittunt. Neq. verò multo felicius euenire solet ceteris, qui contaminata & nefanda Machiauelli disciplina vti volunt.

NAM si consideremus quónammodo res præclaras gesserint, non minuti isti tyranni Borgiæ, sed ætatis suæ maximi Principes & imperatores, Cyrus, Alexander Magnus, Cæsar, Carolus Magnus, longè aliis artibus pacis & belli vsos esse comperiemus, quàm quas Machiauellus docet. Quippe nihil sæuitiæ aduersus summos aut infi-

mos, nisi quantum ius aut necessitas belli poscе-ret: sed victis populis clementissimè vtebantur, statum publicum immotum, omnia quieta & integra, religionem, rempublicam, libertatem, mores & iura, sinebant: quum sibi summum tantùm ius & Principum nomen honorémq. sumerent. Itaque multi vltro sine vllo certamine semetipsos illis dedebant. Quamobrem Ludouicus rex regio planè & generoso consilio illorum Principum clementiam imitatus est, quum Mediolano potitus est. Nam quòd postea amisit, ex eo ortum non est quòd à sæuitia, quòd à stirpe Sfortiarum tollenda, abstinuit: sed ab inconstantia Mediolan. populi, & occultis Iulij II. Pontificis ac Venetorum consiliis & machinis, quum tantum Principem sibi vicinum esse nollent. Id ita se habere Gallicæ & Italicæ historiæ testantur.

» OPTIMORVM Principum imitatio (inquit) » non semper prosperè euenit. Itaque præstat scelerata improborum facinora sibi proponere ad imitandum. Quid hoc monstro vel imperitius vel nequius fingi potest? Nam edocere Principem vt scelera imitetur, quia feliciter cadunt: quid aliud est quàm hortari vt mercatores & prætereuntes, prædonum more iugulet, quoniam prædones ex sanguine & præda quæstum faciunt? Si Machiauellus de prospero impiorum successu ab exitu iudicium faceret, ánnon vberem illum & faustum omnium rerum prouentum, nihil aliud esse cerneret quàm iter quo Deus illos ad exitium trahit? sicut alibi pluribus exemplis demonstrauimus. Sed in exemplis quoque citandis

quàm

quàm crassum & non *μνημονικὸν* sed *φυικὸν ἁμάρτημα* prodit? Caracallæ(inquit)Commodo & Maximino Seuerum imitari non profuit. Euge euge Lysiteles, iam palmam feres. Commodus (opinor) ante Seuerum imperauit (quippe Commodo Pertinax, Pertinaci Seuerus successit) nec fortè Seuerum nouit, Afrum hominem & humili loco ortum. quem ergo Seuerum imitari poterat? Caracalla & Maximinus sola Seueri vitia & nullam eiusdem virtutem imitati sunt. Itaque mirandum non est si sæuitiam eius exprimere illis exitiosum fuit. Seueri quidem plurimæ virtutes extiterunt. nam & is bonarum artium studiosus fuit: viros doctos fouit & auxit: bonas leges condidit: ius populo incorruptè reddidit: barbaros domuit, pacatam Rempubl. reliquit. Earum virtutum Caracalla eius filius nullam habuit, quantumuis eius virtutes extollat Machiauellus. Neq. vllum eius laudabile factum scriptores memorant, nisi quòd à pueritia militari vitæ assuetus, deliciarum minimè appetens, laboris patiens, erat: ceterum intestabilis & omnibus vitiis refertus. Maximinus Caracallam planè retulit, nisi quòd Caracalla nobili genere ortus erat: iste semibarbarus homo & qui à pueritia opilio fuisset. Pertinaci & Alexandro Seuero imitari Marci Antonini mores nocuisse, quum scribit Machiauellus, eorum historias vel non legit vel non attendit. Nam Pertinacem à militibus occisum, quòd parcior & illiberalior esset: & Alexandrum propter matris Mammææ auaritiam, sordes & parcimoniam erga milites, inuisum & interfe-

Spart. & Dion in Seuero & Caracal.

Capitol. in Maximino.

Capitol. in Pertin.

Lamprid. in Alexandro

Herod. lib. 6.

Capitol. in Marco. ctum referunt. Quibus vitiis Marcum Antoninum laborasse nemo scribit: sed liberalem, ab auaritia alienum & ea in re, sicut in ceteris, verè philosophum extitisse memorant. Itaque melius sibi & suæ famæ consuluisset iste scriba Machiauellus si tabulis Florentiæ tractandis operam potius dedisset, quàm tam inepta interpretatione inquinandis & corrumpendis historiis.

V. THEOREMA.

Qui sine vlla dimicatione ciuitatem aut prouinciam vlcisci volet, eam malis moribus impleat.

Com. lib. 2. cap. 55. & lib. 3. cap. 19.

CIVITATES aut prouinciæ bello victæ (inquit Machiauellus) mirificè vlciscuntur victores, quum eos comiter accipiũt & malis moribus corrumpunt: quippe eos tali arte ad victoriam hosti ex se tradẽdam præparant. Quemadmodum Capuæ Annibalis militibus accidit. Nam otium diuturnum & voluptates immodicæ ita eorum corpora & animos eneruauerunt, vt deinde nihil præclarum gesserint. Hæc deprauatio vsu uenire solet, quum corruptæ gentes frequenti commercio & vsu sese aliis immi-

ſcendo, integros populos externorum & malorum morum velut contactu inficiunt. Itaque natio Germanica integrè & conſtanter mores patrios ſeruauit. quippe rara illis cum finitimis commercia: migrare in aliena, aut exteros in ſuas ſedes accipere, non conſueuerunt: ſed patrio ſemper victu, cultu, fortunis ſuis & moribus contenti, importatis non vtuntur. Ita Hiſpanorum, Gallorum, Italorum, quibus nullæ gentes magis corruptæ ſunt, conſuetudine vitata, eorum mores & vitia non didicerunt.

VERIUS eſt hoc Theorema quàm vellem, neq. refellendi animo hîc inſerui. Nam, vt vetera omittam, eius rei quotidie exempla cernimus. Quippe Gallia noſtra in mores, ingenia, vitia, peregrinorum tota verſa eſt, quorum arbitrio Reſpubl. belli domíque agitatur: qui ſoli cum ſuis magiſtratus & dignitates aliáque omnia tenent. Neque pluribus tantùm Gallis mens adeo fracta eſt, vt externos animorum habitus induant, ſed vt linguā quoque Gallicam faſtidientes, peregrinam meditentur & garriant. Sed ſi hanc vlciſcendi artem quam Machiauellus hîc docet conſiderabimus, tum iis qui ea vtuntur, tum iis aduerſum quos exercetur, pernicioſiſsimam eſſe deprehendemus. Liu. Annal. Capua ipſa exemplo ſit. Nam Campani quidem lib. 23. exercitum Annibalis nimiis bonis & deliciis ef-

Nam vnde Galli Atheiſmum, præpoſteram Venerem, perſidiam, ſæuitiam, fenebres artes, & ſimilia vitia, hauſerunt, niſi ex Machiauello & Machiauellitis ipſius popularibus? Itaq. pro ſuo iure iactare inter ſuos poſſunt, ſe bella à maioribus noſtris Italiæ illata præclarè vltos eſſe.

VI. THEOREMA.

Stultum eſt exiſtimare apud Principes nouis benefactis veterum iniuriarum obliuionem induci.

CAESAR Borgia (inquit Machiauellus) viuente Alexādro VI, pontifice, patre ſuo, principatum Flaminiæ vſurpauit, quæ dominij Eccleſiæ eſt, & dux Valentinus eſt numcupatus. Ea vſurpatio, quam fauore & autoritate patris ſubnixus aggreſſus erat, multos Cardinales offendit, in iis Cardinalem S. Petri ad vincula. Poſtea tamen mortuo Alexandro cōſenſit vt is Pōtifex deſignaretur: vnde mox eū pænituit. Nā nouus iſte Papa (qui Iulij II nomē ſumſit) ſumtis extēplo armis, recuperare cœpit q̄ Borgia occuparat:

quamquam is ipsius electioni fauisset. Quod numquam facere debuerat, neq. pati eum Pontificẽ dici qui ipsi esset inimicus. Quippe noua benefacta veterum iniuriarum obliuionem numquam inducunt. Itaq. Borgia, qui in ceteris rebus egregiè sese agitauerat, in creatione Iulij turpiter lapsus est, & ipse sibi ad exitium viam strauit. Haud dissimili via errauit Seruius Tullus Roman. rex, quum duas filias duob. Tarquiniis iunxit, qui de regno litem mouebant, & iactabant ab eo iniustè vsurpari. Nam non modò ista affinitas inuidiam, quæ aduersus Seruium eos stimulabat, exstinxit, sed alteram quoque è filiabus ad moliendam patri necem impulit.

QVAE hîc de Borgia à Machiauello narrantur, paulum à verò videntur deflectere. Nam Sabellicus scribit, quum agerentur Comitia Iulij II, conclusum fuisse in arce Pontificia Borgiam, vt inimicorum impetum effugeret. Iam parum credibile est, eum cui velut in custodia delitescendum erat, propter magnam vim inimicorum quam sibi conciuerat, multum habuisse autoritatis in electione Papæ. Sed demus ita esse, & Iulium Borgiæ gratiâ subnixum ad Papatum ascẽdisse: mox veterum iniuriarum recordatione quas à Borgia acceperat eius beneficij memoriam obliterasse.

Quorsum

Quorſum hæc? Nempe (inquiet aliquis ex Machiauelli familia) quum omnes Principes eodem exemplo agant, illis fidendum non eſſe. En dignam Principe doctrinam! Si quemquam offendiſti, ne illi vmquam fidito. Si te aliquis offenderit, ne illi vmquam reconciliator. Quid ſi in concordiam & gratiam rediero? Caue tibi vlla gratia, vlla pax, aut amicitiæ ſpecies, illum tibi fore fidum perſuadeat. Exſecrabilis planè doctrina: debere adeo altas radices agere odia vt nullis neque officiis neque beneficiis euelli aut eruncari poſsint. Sed Machiauelli proprium hoc dogma non eſt: Machiauellitis omnibus hoc inſitum, quibus honorificum videtur odia implacabilia & inimicitias immortales gerere. Neque vlla re ferè magis delectantur quàm vltionis libidine explenda. Si corpore inimici ad pœnam potiri poſſunt, fœdum & barbarum in modum trucidant, trucidando iniuriam ab eo acceptam muliebriter exprobrant: lacerãt omnib. probris & contumeliis, vt animum ſimul & corpus vexent: ac nonnumquam os & manus ipſius cruore oblinunt: eúmq. adeò ſubigunt deuouere ſemetipſum Satanæ, vt corpore mactando animã quoque, quantum in ſe eſt, perdant. Vtinam miſera noſtra Gallia (quæ nimiùm iam peregrinis moribus & Tranſalpinis vitiis inquinata eſt) hac immortali & inexplebili vlciſcendi libidine numquam ardeat. Nam quæ pax aut concordia eſſe poſsit vel inter propinquos & affines, ſi offenſæ nulla re, quàm vltione, reſtingui poſsint? Pudeat Chriſtianos homines non tantùm barbaris vel

Vlciscendi libido implacabilis, iuri naturali contraria.

Ethnicis sed ipsis quoque brutis animantibus immitiores esse. Canis ab homine læsus, si panem porrexeris, mitescit, & ei quoq. blanditur à quo cæsus est. Equus, taurus, etiamsi stimulaueris aut verberaris, simulac fœnum apponis, placatur. Itaque qui vltionem iure naturali licitam esse defendunt, vel bestiis testibus refelluntur. Docet quidem naturæ ipse sensus hominem ceteráque animalia, vt quum vis vltro infertur, vim vi quantum possunt propulsent: verùm minimè præcipit, post vim illatam quærendas esse vlciscendi opportunitates ad compensandam iniuriam. Quippe hoc nô est repellere iniuriam, quæ iam illata propulsari nequit, sed nouam inferre. Imò ius quoque illud naturale, quo vim vi repellere licet, ex æquo & bono interpretari debemus: nempe vt eo tantùm vtamur quum nulla alia ratione vis arceri potest. Qua in re vel ferarum ipsarum exempla intueri licet. Nam lupus, aper, vrsus, quamdiu locus ipsis ad fugiendum patet, venatorum vim vi propulsare non solent: nec vix vmquam, donec in angustias cogantur. Itaque vltionis appetentiã iure naturali velle defendere impudentis ignorantiæ est. quando illi perspicuè repugnat, ac potissimùm implacabilibus illis odiis, quę nullis nouis beneficiis elui possunt. Fortè mihi dicet aliquis ex lanistæ istius ludo, Machiauellum hîc tantùm agere de Principibus & summæ fortunæ viris, apud quos nouis benefactis veteres iniuriæ aboleri nequeant: cui suffragatur illud Homericum,

Hom. Iliad lib. 1.

Perpetuò regis metuenda est ira minori,

Qui

Qui quamquam malè dissimulat, bilémque molestam
Concoquit, & pœnam præsens in tempus omittit,
Non tamen imbibitæ semel obliuiscitur iræ:
Supplicio dum facta graui commissa rependat.

Sed demus iras atque odia altius descendere in pectora Principum, ac diutius ibi hærere quàm in priuatorum & tenuium animis: an propterea sequitur Principem inexorabilem esse debere, & nullis neq. officiis neq. beneficiis posse placari? Ne ipse quidem Homer. in Principum ingeniis aliud annotare voluit, quàm quòd iniurias tamdiu dissimulare & premere norunt, donec vlciscẽdi opportunitas euenerit. quod quidem à multis sæpe fit & sæpe factum est. Sed illud non dicit, nullis obsequiis, nullis precibus, nullis suppliciis veniam gratiámque à Principibus impetrari posse. Præterea illo loco Homerus de Regibus iræ impotentibus agit, qui animo & violentis affectibus imperare nequeunt: qualem ibi Agamemnonem describit. Nam bonorum & sapientum Principum exempla non desunt, qui quum violentos animi motus & appetitus rationi parére cogerent, perpetuam vlciscendi libidinem non modò non patiebantur diutius in animo suo consistere, sed iniurias quoque vltro obliuiscebantur. Quippe iudicabant immanes istos affectus, preterquam quòd anxium animum cruciant præcipuæ quoque virtuti Principis, Clementiæ videl. ac bonitati, prorsus esse contrarios: virtuti (inquam) quæ non modò tutum verùmetiam gratum Principis statum præstat: quæ potissimum Boni Principes, procliues ad ignoscendum.

eminere ac elucere debet in priuatis offensis, quemadmod. Iustitia in publicis: sicuti alio loco fusius dicemus. Quamquam & in publicis iniuriis nonnumquam vtilitas publica à Principe impetrare debet, vt obliuionem earum & Clementiam adhibeat.

QVA in re Q. Fabij Maximi sapientissimi viri sententia memoria digna est. Quum enim post Cannẽsem cladem Romana res erigi & refici cœpit, multi sociorum qui ad Annibalem defecerant quòd de imperio desperassent, ad Romanos redierunt. Inter ceteros Cassius Altinus Arpinus in Rom. castra clã nocte venit, promittens, si sibi præmium foret se Arpos proditurum esse. Quum eam rem ad consilium retulisset Fabius consul, Q. Fabij filius: Altinus pro transfuga verberandus necandúsque videri, ancipitis animi, communis hostis: qui post Cannẽsem cladem, tamquam cum fortuna fidem stare oporteret, ad Annibalem discessisset, traxissétque ad defectionem Arpos: tum postea quam res Romana, contra spem votáque eius, veluti resurgeret, turpius videatur nouam referre proditionem. Contra ea Fabius consulis pater, Temporum oblitos homines in medio ardore belli, tamquam in pace libera de quoque arbitrari & agere aiebat: quum illud potius agendum sit, si quo modo fieri posit, ne qui socij à populo R. descifcant. Quòd si abire ab Romanis liceat, redire ad eos non liceat, cui dubium esse quin breui deserta ab socijs Romana res, fœderibus Punicis omnia in Italia iuncta visura sit? Itaque eum reditum approbandum, & Arpinos in so-

in societatem recipiendos, sibi videri. Fabio ab omnibus assensum est, & Arpi sine vllius, præterquam vnius perfugæ & proditoris, clade Romanis restituti sunt.

Sed ne inter ipsos quidem Principes & summos viros implacabiles inimicitias esse debere, illustre exemplum ex Liuio referam. Inter M. Æmilium Lepidum & M. Fuluium Nobiliorem nobiles inimicitiæ erant sæpe multis & in senatu & apud populum atrocibus celebratæ certaminibus. Sed quum illi Cẽsores creati essent, ad eos senatorum principes cum agmine ciuitatis venerunt, inter quos Q. Cæcilius Metellus verba fecit: Non obliti sumus, Censores, vos paulo antè ab vniuerso populo R. moribus nostris præpositos esse: & nos à vobis admoneri & regi, non vos à nobis, debere. Indicandum tamen est, quid omnes bonos in vobis aut offendat, aut certè mutatum malint. Inimicitias per annos multos vobis ipsis graues & atroces geritis: quæ periculum est ne ex hac die nobis & Reipubl. quàm vobis grauiores fiant. Has vt hodie finiatis simultates, quæsumus vos vniuersi: & quos coniunxit suffragiis suis popul. R. hac etiam reconciliatione gratiæ coniungi à nobis sinatis. Non modò simultates, sed bella quoque finiuntur: ex infestis hostibus plerumq. socij fideles, interdũ etiam ciues fiunt. Vulgatum illud, quia verum erat, in prouerbium venit: Amicitias immortales, inimicitias mortales, esse debere. Illi de iniuriis alteri ab altero illatis questi: tamen ambo significare, si alter vellet, se in potestate tot Principum ciui-

Liu. Annal. lib. 40.

Amicitiæ immortales, inimicitiæ mortales, esse debent.

tatis futuros. Omnibus instantibus qui aderant, dextras fidémque dedere, mittere verè ac finire odium: deinde collaudantibus cunctis deducti sunt in Capitolium: & cura super tali re Principum, & facilitas Censorum egregiè comprobata ab senatu & laudata est.

ITAQVE boni & honesti viri non est odia in perpetuum recondere, vti Machiauellus docet, sed facilè ac libenter in concordiam redire. Neque tantum ad reconciliandam gratiam proni ac faciles esse debemus, sed odisse quoque vim ad vlciscendum paratam, tamquam illicitam & indecoram ei qui boni viri existimationem quærere ac tueri cupit. Immò (vt inquit Sallustius) „bono vinci satius est, quàm malo more iniuriam vincere, & victoria ex libidine sua vti. nam ea res plerumque magnas ciuitates pessumdedit, dum alteri alteros vincere quouis modo, & victos acerbius vlcisci, volunt.

Sall. in Iugurth.

DEINDE non tantùm apud Principes egregios nouis benefactis veteres iniurias deleri oportet: sed recentes quoq. offensæ plus quàm antiqua merita valere nō debent. Exempla eius rei multa suppeditat Liuius: hîc vnum inseremus. Cærites, Romanorum socij, Tarquinieñsibus iuncti per populationem Romanos lacessiuerunt. Tarquiniensibus victis, Cærites, quibus bellum indictum erat, quum pæniteret populationis, legatos Romam ad petendam erroris veniam miserunt. Legati ab senatu reiecti ad populum, deos rogarunt, quorum sacra bello Gallico accepta ritè procurassent, vt Romanos florentes ea

Liu. Annal. lib 7.

sui misericordia caperet, quæ se rebus affectis quondam populi R. cepisset. Eáne meritos, crederet quisquam hostes repente sine caussa factos? aut si quid hostiliter fecissent, consilio id magis quàm furore lapsos fecisse, vt sua vetera beneficia, locata præsertim apud tam gratos, nouis corrumperent maleficiis? Itaque Cęre sacrarium populi R. diuersorium sacerdotum, ac receptaculum Romanorum sacrorum, intactum inuiolatúmque crimine belli, hospitio Vestalium cultísque diis darent. Mouit populum non tam caussa præsens, quàm vetus meritũ, vt maleficij quàm beneficij potius immemores essent. Itaq. pax populo Cæriti data: indutiásque in centum annos factas in Senatusconsulta referri placuit. Vetus meritum nouam iniuriam extinguit.

EADEM animi moderatione vsus Franciscus I. Galliæ rex, Rupellanis pepercit, anno 1541. Rupellani aliquos Regios ministros tributum impositum sali exigentes, violarant. Sed peccatum agnoscentes, à Rege supplices veniam petiere. Rex oratione graui & Christiano Principe digna admonitos, in gratiam accepit. Is ergo ita disseruit: Officium subditorum erga Principem tanti momẽti est, ciues & subditi mei (nam quando erroris piget iure ita vos appellare possum) vt qui illud violant, crimen non tantùm scelere sed exemplo etiam perniciosum admittant. Quippe omnis aut Monarchiæ aut Reipubl. status his duobus maximè continetur: Legitimo videlicet Principis imperio in subditos, & Fideli obsequio subditorum. Si alterutrum sustuleris, vt in homine nisi animus imperium corpori, corpus animo Bellaius lib. Comm. Reip. status Bene imperandi & obedienter imperium faciendi officio continetur.

seruitium præstet, vitam interire : ita publicum statum corruere, necesse est. Deum ego supplex oro, cui Regni ius acceptum debeo ac refero, vt mihi imperij legitimè erga vos exercendi mentem det ac facultatem. Possem ego in vos pro meo iure animaduertere, nisi laus quæ clementiam sequitur, magis quàm seueritatis decus Principem decerct. Itaque quum & veniam petatis supplices, & maiores vestri fideli sæpe opera superiores reges adiuuerint, recentis maleficij vestri obliuisci malo quàm meritorum veterum. Non libet mihi erga vos ea exempla edere quæ Cæsar in Gandauenses statuit: quorum ceruicib. arcem cum præsidio imposuit, quorum sanguine manus fœdauit. Ergo ille suorum beneuolentiam amisit: ego beneficio & clementia potius quàm malo & pœna vos contineho. Vtinam tam facilè vos obliuiscamini eorum quæ in me ausi estis, quàm ego non meminero: si vos erroris verè pœnitet, satis superq. pœnarum habeo. Deum igitur rogo & obsecro vt vobis eius sceleris gratiam faciat: nam quod ad me attinet, ego sincerè ignosco, & vos non pœna tantùm sed crimine quoque libero. Sub hanc orationem tam moderati & clementis Regis, vniuersa plebs lacrymarum plena clamorem tollere & fausta omnia illi precari: Viuat Rex: Deus nobis tam bonum Principem diu incolumem præstet. Mox Regis ipsius imperio, campanæ strepere, tormenta fulminare, ignes passim, lætitiæ signa, excitari cœperunt.

Sæuitia omnem ex animis subditorum in Principem beneuolentiam eiicit.

Ac tantum abest vt boni Principes ad vlciscendum festinent, vt siquam vltionis libidinem

Qui Magistratus insignia induit,

 priuati

priuati haberent, eam prorsus deponant Principatum adepti. Sic Adrianus quos in priuata vita inimicos habuerat, Imperator tantum neglexit: vt vni quem capitalem habuerat, factus Imperator diceret, Euasisti. Ludouicus XII, dux Aurelianus, priusquam Rex esset, multis difficultatibus conflictatus est. Regnante Carolo VIII, veritus ne Lutetiæ in custodiam traderetur, in Britanniam concessit. Aduersus eum & Ducem Britanniæ qui eum protegebat, exercitus missus est: prœlio inito ad S. Albinum Regis copiæ superiores abeunt: dux Aurelianus captus primò Lusinianum, inde Bituriges, deducitur. Demum omnis illa simultas exstinguitur: postremò ille ad Regnum peruenit. Qui illi fugæ & laborum comites fuerant, suadebant, vt vlcisceretur inimicos qui ipsi ementito Regis nomine atque autoritate, bellum intulerant. Quippe eas iniurias non illi à Carolo, tum adhuc puero, sed ab ipsius tutoribus atque educatoribus, ortas esse, Ludouico Trimulio, & similibus. Sed Ludouicus, vt principem Christianum decebat, memorabile responsum illis edidit: Minimè decet Regem Galliæ (inquit) illatas duci Aureliano iniurias persequi.

odium & vlciscendi libidinem exuere debet. Spart. in Adriano. Annal. in ann 1488. Bellaius Com. lib. 1.

PHILIPPVS, cognomento Audax, Galliæ Rex, leni ingenio fuit, pacis amans, facilis ad ignoscendum. Comes Fuxius arma in illum mouerat: rogatu tamen generi eius Comitis ei bonus ille Rex non solùm veniam dedit: ditionem quam occuparat, restituit: sed insuper eum in equestrem ordinem & inter domesticos asciuit. Ita tum scilicet ille inexstincta odia & immorta-

Annal. in ann. 1272.

les inimicitias alebat. Possem huc Augusti Cæsaris, Traiani, Marci Antonini, Constantini, Caroli Magni, D. Ludouici, Caroli Sapientis, Alex. Magni, Cyri, & similium, exempla conijcere. Nam quidquid vsquam egregiorum Principum fuit, ita Clementiam, commendabilem in Principe virtutem, amplexi sunt, vt vlciscendi libidinem fugerent. Sed ea quæ adduxi satis superque probant, nihil minus Principem decere quàm implacabili odio vltionem appetere.

EXEMPLA, quibus Machiauellus vtitur, tyrannorum sunt & improborum hominum. A quibus vt ipse caueri monet, ita cauendum quoque censeo. Nam, vt iram aliquamdiu callidè dissimulent, illam tamē, simulac vlciscendi opportunitas oblata fuerit, haud dubiè nudabunt. Sed non omnes Principes Tarquiniorum aut Iulij II, quos pro omnibus exemplis sumit Machiauellus, similes sunt. Nam Tarquinius, qui Seruij Tulli soceri sui patricidio se inquinauit, vt regnum opprimeret, eo facto & aliis se tyrannum prodidit. Ergo tam fœdis initiis similem exitum habuit. nam regno & patria cum liberis pulsus, extorris, egens, in exilio mortuus est. Iulius II, in tyrannorum quoque & perfidorum numerum referendus est. Nam is inter alia, Ludouici XII. facilitatem ludibrio habuit. Eripuerat bonus ille Rex Bononiam Bentiuolo, multáque alia oppida quæ à tyrannis iniustè vsurpabantur, eáque in ius & ditionem Iulij restituerat, quòd ex Ecclesiæ Romanæ possesionibus essent. Iulius, vt dignam eo beneficio gratiam redderet, promulgatis bullis excom-

excommunicauit, & omnium prædæ exposuit Galliæ regnum, simulque agros & ditiones sociorum eius. Ita Ioannes Albretius rex Nauarræ regnum amisit, rex Ludouicus Mediolanum, & quidquid trans Alpes possidebat. Eam Ludouicus beneficij apud tam impium & perfidum Pontificem locati mercedem & gratiam tulit. Itaque tum Romæ conscriptum est in Iulium Pontificem festiuum epigramma (quod in nostros Annales inclusum est) quo Pasquillus eius Sanctitatem sic compellabat:

Genua cui patrem, genitricem Græcia, partum
Pontus & vnda dedit, qui bonus esse potest?
Sunt vani Ligures, mendax est Græcia, ponto
Nulla fides: in te singula solus habes.

VII. THEOREMA.

Princeps debet sibi proponere ad imitandum Cæsarem Borgiam filium Alexandri VI. Pontificis.

NON possum (inquit Machiauellus) vlla meliora præcepta tradere nouo Principi, quàm si illi proponam imitanda gesta Cæsaris Borgiæ, ducis Valentini, filij Alexandri VI. Pontificis. Nam etsi quæ orsus erat non prospere cessere, non tamen id protsus ipsius Cap. 14. de Principe.

culpa factum est, sed inusitata quadam iniquitate & malignitate fortunæ. Primùm igitur, Pontificis patris sui opera, omnes Italiæ status turbare instituit, vt eos aut certè aliquos commodè opprimere posset. quod facillimè perfecit. Nam impulsu Papæ & Venetorum Ludouicus XII, Galliæ rex, in Italiam transgressus, simulac Mediolanum attigit, auxilia Papæ summisit vt Flaminiam in potestatem suam redigeret: quæ breui in ditionem Borgiæ concessit, propter famā Gallici nominis. Secundò, quum Romæ duæ factiones essent Vrsina & Columnensis, vtraque opibus valida; veritus ne simul iunctæ ipsius inceptis obstarent, Vrsinam blandis pollicitationibus in se traxit, eiúsque & Gallorum ope Columnenses prostrauit. Quo facto, nobiles vtriusque partis viros adeo illexit, benignè sumtus præbendo, muni domus suæ, vrbium præfecturas, & alias amplas dignitates, illis largiendo, vt cuiusque meritum erat: vt breui Vrsini & Columnæ, vtriusque factionis duces, sine comitatu relinquerentur. Mox comiter appellando, donis & blādis alloquiis, specie amicitiæ, Vrsinos Senogalliam inuitatos, posteaquam in potestate habuit, interemit omnes. Itaque vtraque factione oppressa,

pressa, posteaquam nullo aduersante Flaminia tota & Vrbini ducatu potitus est, metu conciliando & reprimendis minutorum eius prouinciæ tyrannorum iniuriis, ei præfectum Remirum Dorcum, hominem sæuum & acrem, summo cum imperio & libero imposuit. Hic acerbè in populum quæstionib. & suppliciis sæuiens, totam prouinciam metu in quiete & obsequio continuit. Quid interim Borgia? Quò persuaderet eam pœnarum acerbitatem suo nec iussu nec consensu institutam fuisse, de improuiso Remirum istum capite plecti publicè iubet. Post hæc, Gallis diffidens, eorum subsidio deinceps vti noluit: sed vt aduersus eorum vires suas opes firmaret Hispanos sibi fœdere iungit, qui tum in regno Neapol. bellũ gerebant, & qui, quòd longius abessent, minus ei nocere poterant, quàm Galli, qui Mediolanum tenerẽt. Præterea primores omnes & nobilissimos quosq. quos læserat, vnà cum omni stirpe & cognatione paucis exceptis exstinxit: ne nouus Pontifex, post ipsius patrem, per eam caussam bellum ipsi inferret, vt nobiles illos, aut eorum propinquos, in suas fortunas reduceret. Quos verò nulla iniuria offenderat, propè omnes sibi adiunxit, vt eorum ope nouum Papam deterre-

tet, nequid aduersum se moliretur. Destinabat animo principatum Hetruriæ, mox etiam totius Italiæ, inuadere. Jam Pisam in fidem & clientelam receperat; Sena & Luca ipsum spectantes nutabant. Inter hæc Alexander Pontifex pater eius moritur, & eius spem immaturè destituit. Itaque dominatu, qui adhuc velut in aere pendens & inchoatus tantùm erat, à Iulio II. Papa facillimè exutus est. Borgia fortunam (quæ initio multùm arriserat) repentè inuidam & aduersam cernens, ęgritudine correptus extremum vitæ diem clausit. In lectulo morti proximus dixit, Se aduersus omnia pericula quæcumque sibi euenire possent, multo antè remedia quæsisse, præterquàm aduersus mortem: quippe numquam cogitasse se tam citò moriturum.

EGREGIAM verò vitam, & vitæ conuenientem exitum, quæ sibi ad imitandum proponant Principes! Est tamen & nonnulla huius historiæ vtilitas, vt perspicua Dei iudicia aduersus intestabiles tyrannos, qualis hic fuit, animaduertamus. Posteaquã enim principatum flagitio & scelere quæsitum malis artibus, aliquamdiu exercuere, Deus eorum destinata & conatus repentino ictu abrumpit, vt infamem vitam pessima morte finiant. Ne-

Cæsar Borgia exemplar iudicij Dei.

que

que ea tantùm pœna defunguntur, vt inter omnium exsecrationes tædio lucis vita excedant: sed quum adeo scelerum vsu occalluerint, vt nullius eos rei magis pæniteat, quàm quòd plura non perpetrarunt, huius vitæ pœnas in illis æterna supplicia excipiunt. Sed ex infelici illo Borgia, (qui moriens cõfessus est nihil sibi aduersus mortem prouisum de qua non antè cogitasset) an poterimus discere, Nos id pridẽ meditatum habere oportere Migrandũ esse hinc vt nos in Dei conspectum sistamus? Vel ipse Horatius profanus poeta, docet nos futuro innitendum non esse, his versibus,

Prudens futuri temporis exitum Hor. lib. 3. Carm. Od. 29.
Caliginosa nocte premit Deus:
Ridétque si mortalis vltra
Fas trepidat. quod adest memento
Componere æquus. cetera fluminis
Ritu feruntur-- &c.

Sed vt omnes intelligant quàm idoneum sit hoc exemplar Principi ad imitandum, quod iste proponit: historiam Cæsaris Borgiæ paulo altius repetam. Erat is spurius Alexandri VI. sed Sabell. Ennead. 10. lib. 9. eum (vt probabile est) in legitimorum liberorum iura asciuit. nam si, iuxta Papæ canones, sacerdotibus ortos ex nothis legitimos Pontifici reddere licet, cur non ex se genitos? Eius pater Alexandri Pontificis natio & liberi. Hispanus erat, qui ante Papatũ Rodericus Borgia nominabatur: sed pòst Alexandri nomen assumsit, vt duorum clarissimorum Principum Alexandri & Cæsaris nominibus ipse & filius insignes, fama & terrore nominis sui terras & maria

implerent. Perueniſſe ad Pontificatum magicis artibus, & cum cacodæmone (qui habitu & forma Protonotarij ei apparuit) pepigiſſe, à nonnullis proditũ eſt. Alij corrupiſſe eum pecunia Cardinalium ſuffragia memorant. Cominæus, æqualis iis temporibus, ſcribit emiſſe illum pecunia eam dignitatem, cui concinit hoc Iouiani Pontani epigramma:

Vendit Alexander ſacramẽta, altaria, Chriſtum:
Emerat ille prius vendere iure poteſt.

Sed vtro modo (quum vtroque potuerit) eò peruenerit, non magnopere intereſt. Ceterum Rodericus extra Cæſarem multos prǽterea habebat ſpurios: & in iis vnum qui Romæ interfectus eſt quum noctu per laſciuiam graſſaretur, eiúſq. corpus ſacco inuolutum in Tyberim proiectum eſt, & craſtina luce inuentum: neque facinoris autor reperiri potuit. Habebat & ſpuriam Lucretiam nomine, quam quum vni ex ſpuriis ſuis iunxiſſet (ſiue quòd eam pro ſua non agnoſceret, ſiue qua alia de cauſſa) inceſto tamen polluit. In eam hoc Actij Sannazarij legimus epitaphium:

Hoc iacet in tumulo Lucretia nomine: ſed re
Thais Alexandri filia, ſponſa, nurus.

Sed præter ceteros ſpurios vnicè dilexit hunc Cæſarem Borgiam. Itaque Pontifex deſignatus ei Epiſcopatum Valentinum in Hiſpania dedit: cúmque mox rubro galero inſignitum, Cardinalem Valẽtinum vocari iuſsit. Sed nóuus iſte Cardinalis, nimia iam fortuna inflatus, maiora moliri cœpit. Nam & Eccleſiaſticum ſtatum abiicere

cere vt Laicum indueret, & arma capere, vt Hetruriam, mox etiam Italiam, occuparet, instituit: immò iam animo & spe despondebat sibi omnium earum gentium principatum, quæ imperio Rom. subiectæ fuerant tempore Iulij Cæsaris. Itaque rubro galero abiecto pro Cardinali Valentino dux Valentinus dici voluit: & malis artibus dolísque quieta mouere aggressus est. Acceperat pro heroico symbolo, CAESAR AVT NIHIL: quasi diceret, Se pro nihilo habere minorem esse Iulio Cęsare. Atque illi tamdem conuenientius fuit hoc symbolum quàm putabat. quum enim ad alterutrum tãtùm aspiraret, nempe vt Cæsar esset, aut planè Nihil, vtrumque fuit: Cæsar nomine, & Nihil, re ipsa. Ceterum quibus artibus destinata exsequi instituerit, Machiauellus ipse suprà narrauit: sed historici præterea eius dolos & consilia primò suspecta, mox nudata, fuisse scribunt: omnésque Italię principes ex primis velut lineamentis deprehendisse, omnia eius & Alexandri Pontificis incepta non aliò spectare quàm vt Italiæ dominatum inuaderent. Itaque eius conatibus maturè obuiam isse. Pontifice quidem eius parente mortuo, ab omnibus statim desertum, vix tutas vsquam latebras perculsum & fractum inuenisse. Nam quoscumque offenderat, & in primis Vrsini, eum ad cædem quærebãt. Fabius Vrsinus Pauli filius (quem Borgia occiderat) quum obuium fortè habuisset quemdam è Borgiæ necessariis, eum atrociter laniauit & eius cruore lauit sibi, vt fertur, manus & ora. Sed insigne de Borgia Sabellici testimonium iudiciúm-

Cæsaris Borgiæ ingentia & vana destinata.

„ que hîc adſcribam: Subit (inquit) nunc illa repu-
„ tatio, quod rarò in aliquo hominum maius vitæ documentum extitit, quàm in hoc Borgia. Potuit is ſecundo à Pontifice contentus eſſe loco, tam amplis ſacerdotiis pollens, quàm eius ordinis in quo fuit nullus quod ſciam alius: in diuitiis & dignitate ampliſsima victurus. Ceterum ſui oblitus, dum Fortunam vt matrem nimis indulgentém fatigat, ſæuam eſt nouercam expertus. In ampliſsimo ordine eſſe noluit, vt in nullo demum eſſet: ſed nihil certè eſt inconſulta felicitate breuius: ſumma faſtidiuit, vt triſtia & calamitoſa optaret. Enimuero inter ſæua hominum odia deſtitutus, quia incolumis aliter eſſe non potuit, beneficij loco poſuit, quòd in pontificia arce ſit cuſtodiri iuſſus, quoad nouus Pōtifex crearetur. En iudicium Sabellici, eruditi ſcriptoris, de vita & geſtis Borgiæ, multum diuerſum à Machiauelli ſententia. Nā Machiauellus ſuadet Principi vt Borgiæ conſilia & actiones imitetur: Sabellicus diſſuadet, docétq, eius hominis exitū documento eſſe debere hominib. ne illius exēplum imitari velint, ne ſimili ruina præcipites abeant.

DissERERE hoc loco pluribdc dolis, perfidia, ſæuitia & ſimilibus artibus, quas Borgia ad res gerendas adhibuit, vt vitæ eius exemplum fugiendum eſſe appareat, nimis longum & ſuperuacaneum eſſet. Nam vel ſenſus ipſe communis docet adeo nefanda eſſe ea vitia, vt quibus ea placebunt ſicuti placuerunt Borgię, haud diſparē quoque exitū inueniant. Primùm, quia tyrannis hanc ferè mercedem Deus perſoluere conſueuit: deinde quum

de, quũ homines publico omnium odio damnatos tyrãnos, non secus ac feras immanes horreãt, singuli solos eos aut inermes captando, & publicæ saluti mactando, de humano genere benemereri student. Quare nemo tam exitiale consilium dat Principi, vt Borgiam imitetur; nisi qui eum in summum fastigium tyrannidis peruehere nititur. quod vnum agit Machiauellus.

SED quod dicit Borgiam Remiro Dorco, ministro suæ crudelitatis, ceruices abscindi iussisse, id vnum eum bene egisse agnosco & fateor. Nam si Remirus nihil ex his sponte à se susceptum, sed Borgiæ paruisse, defenderet, ea caussa non valuisset. Quippe satius erat dignitatem exuere, quàm ea scelera contra omne ius & fas committere. Nam leges quoque ipsæ vetant Edicta Principum, quibus cædem aliquam imperant, obseruari ante trigesimũ diem, vt eo spatio rei, aut eorum necessarij, aut ipsi quoque magistratus, reorũ innocẽtiam Principi probare possint: atque interea desæuiat & deferuescat ira Principis. Legem ea de re à Gratiano, Valentiniano & Theodosio, Cæsaribus, latam, quia memoria digna est, hîc adscribam; *Si vindicari in aliquos seuerius contra nostram consuetudinem pro caussæ intuitu iusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam aut excipere sententiam: sed per dies triginta super statu eorum sors & fortuna suspensa sit. Reos sanè excipiat vinciátque custodia, & exubiis sollertib. vigilanter obseruet, Data XI. Kal. Sept. Verona, Antonio & Syagrio* COSS. Ergo in Remirum, vt hominem nimis promtum exsequendæ

l. Si vindicari C. de pœnis.

ſæuitiæ, iure animaduerſum eſſe, vel ex hac lege apparet. In Gallia quidem ſi locus huic legi fuiſſet, neque reperti eſſent tam properi carnifices, & Rempubl. meliore ſtatu haberemus, & faciliores ad pacem vias.

CETERVM ſi Princeps vnum aliquem eximium proponere ſibi ad imitandum velit, multos reperiet, qui non minus virtute inſignes extiterunt quàm Borgia vitiis fuit. Verùm, quoniam præſtantiſsimi quique homines, homines tamen fuerunt, id eſt, non omnibus numeris abſoluti, ſed aliqua ſui parte debiles ac vitioſi: proponere ſibi potius claros viros quos imitetur, in vniuerſum debet: deinde quod maximè commendabile eſt in ſingulis, id ſeorſum quoque intueri. Exempli gratia. Inter Principum Ethnicorum virtutes, ſpectabilis eſt & imitatione digna Clementia Iulij Cæſaris, qui victoriæ ſuæ ita moderatus eſt, vt eius vim nemo niſi armatus ſenſerit. Poterit quoque Princeps imitari Ciuilem animum & moderationem Augusti in Rep. adminiſtranda, tum eiuſdem diligentiam, quam in pace conſtituenda adhibuit. Nam nihil omiſit vt orbem bellis ciuilibus feſſum pace & otio reficeret: & tanta moderatione egit vt non Monarchiæ ſtatus Romæ ſed Reipublicæ eſſe videretur. Præterea operam dabat vt incorruptè Iudicia exercerentur: neque tantùm ſalutares conſtituendis iudiciis leges condebat, ſed ius quoque ipſe aſsiduè dicebat. Ad hæc doctos viros omni genere honoris & munificentiæ fouebat. Eæ Augusti virtutes dignæ ſunt quas moribus Princeps exprimat. Traiani quoque

Quænam exemplaria ſibi ad imitandum proponere debeat Princeps.

quoque bonitas & lenitudo: Pacis amor in Pio: Sapientia, humanitas, facilitas ad ignoſcendum, & bonarum literarum ſtudium, in Marco Antonino, notari debent à Principe, vt ad ea ſpecula mores ſuos cõponat. Sed ne in Ethnicis nimium immoremur, ſatis multi Chriſtiani Principes, etiam inter Galliæ Reges, ſeſe offerent Principi, non indigni quorum vitas inſpiciat vt ad eorum exempla mores ſuos limet ac perpoliat. CAROLVS Magnus, non minus fortis & bellica gloria clarus quàm Cæſar, etiam in bonos benignus & munificus fuit, continens, lenis, facilis veniæ, pius ac Dei timens: Bibliorum lectionem & librorum S. Auguſtini cupidè audiebat, multos domi pauperes alebat, quibus ipſe quoque accumbentibus miniſtrabat nonnumquam. LVDOVICVS, cognomento Diuus, pius, ſapiens, ius ſumma æquitate reddebat. Sæpe in prouincias mittebat qui quærerent de auaritia, libidine & rapinis magiſtratuum, & quos culpæ obnoxios deprehenderat, in eos ſeuerè animaduertebat. Non prætermittendum videtur hoc loco quod de eo Annales noſtri memorant: Fortè quum aliquando ex Pſalmis Dauidis precum formulas conciperet, interuenit aliquis qui ſupplicaret vt cuidam reo capitis pœnam remitteret. Rex quaſi aliud agens annuit. Sed mox quum incidiſſet in verſicul. Pſalmi 106. ibi, *Beati qui faciunt iuſtitiam in omni tempore:* tum reuocari iuſsit eum cui gratiam conceſſerat, & eam irritam fecit: memorabili edita ſententia, Principem qui punire crimen poteſt nec punit, non minus eſſe reum quà

si ipse id perpetrasset: pium esse opus, non crudele, Iustitiam facere. Erat præterea castissimus, & alienus ab vlciscendi libidine. CAROLVS Sapiens leni & modesto ingenio fuit, qui nihil temerè & calidè, nihil nisi deliberatum & consultum, agebat: subditorum eorúmque tranquillitatis amans. Dei verò etiam metuens, Bibliis legendis oblectabatur: ea quoque legi à populo, & vt legerentur in Gallicam linguam transferri, voluit. Si tres tantùm illos Reges sibi proponat Princeps, habebit verum & propemodum absolutum exemplar omnium earum virtutum quæ in Principe Christiano elucere debent. Inspiciat ergo tamquam in speculum vitas eorum, & ex iis exemplum sumat: non ex isto spurio, profani sacerdotis filio, monstro & omnis nequitiæ exemplari.

An Papa spurios suos legitimos reddere possit.

SPVRIVM voco, propterea quòd nec diuino nec humano iure legitimus erat: quamquam alioqui Iure Canonico legitimos reddere sacerdotum spurios, ac proinde suos, Papa potest, vti supra diximus. Hæc tamen quæstio videtur in dubium vocari posse, An Papa spurios suos legitimare possit. Ratio dubitandi ea est, quòd Iurisc. dicunt, Legitimationem esse actum & exercitium iurisdictionis. Atqui axioma haud ambiguum est, Nemini licere iurisdictionem exercere quum de sua re aut suo facto agitur. Itaque videtur, Papæ non licere legitimare suos spurios. Sed quando in eum sermonem forte incidimus, rem paulo altius repetamus: vt si hanc quæstionem, arduam sanè, planè decidere nequeamus, animi

animi tamen gratia vtcumque expedire conemur. Quippe, vt præcipit Cato, interdum seriis ioca etiam miscenda sunt.

In eam igitur quæstionem, An Papæ spurios ex se ortos legitimare liceat, multa in vtramque partem & luculenta argumenta occurrunt, tum ex iure ciuili tum ex Theologia petita. Pro affirmatiua parte huius quæstionis hæc adducuntur: Iure naturali datum esse homini vt sui similem procreet: ita quum Dominus Papa dat operam liberis creandis, nihil in eo facit quod iuri naturali non sit consentaneum. Secundò, Papas vocari patres, ac proinde necesse esse vt habeant filios: quippe Patris & Filij nomina esse relata. Tertiò Canonibus & constitutionibus pontificiis, diserte edici oportere vt Papa membris genitalibus instructus sit: alioqui fore inhabilem & incapacem hujus dignitatis. Itaque siquo infelici casu Papa forte Eunuchus designaretur, quæcumque pro munere ageret, ea omnia irrita & inutilia essent: neque ipsius bullæ, collationes beneficiorum, dispensæ, fulminationes, aggrauationes, indulgentiæ, legitimationes, & similia acta, quidquam valerent, quia essent ab Intestato. Quod vnum in Iure mirum est, Priuationem testium bullas irritas reddere, quasi omnis Papæ potestas ex ipsius testibus penderet. Sed eius rei nõnulli hanc rationem reddunt, quòd Eunuchi & cuirati ferè effeminati sunt, neque ea vi & potentia præditi qua integri homines. Ita mirum non esse si Canones Papam testibus carentem vi quoque & potestate carere voluerunt. Alij, quibus hæc ratio

non placet, dicunt Canones hîc vim & autoritatem Iuris positiui habere: rationem verò omnium quæ Iure positiuo constituta sunt reddi non posse. Itaque satis esse debere quòd sic decretum est, Oportere vt Papa habeat testiculos, neque vlterius eius rei caussam esse quærendam. Si tamen necesse esset eius constitutionis rationem edi, dicendum potius esse, id fuisse institutum vt ita ianua & aditus Papatus occludatur Papissis, quæ alioquin ex eo ausæ fuissent in Sanctam sedem irrepere, sicuti fecit Papissa Ioanna. Iam ex ista doctrina Canonum, Papam videlicet debere esse testibus instructum, ducuntur Corollaria & consequentiæ quæ mirificè adiuuant & confirmant affirmatiuam partem nostræ quæstionis. Nam si (inquiunt Canonistæ) necessitate necessitatiua requiritur vt Papa genitalia habeat, sequitur id esse propter aliquem finem & vsum. Absurdum enim esset dicere, Iure Canonico aliquid esse constitutum, quod non sit ad aliquem finem. nam omnes actiones humanæ fiunt propter aliquem finem & vsum: ergo multo magis constitutiones Iuris Canonici debent ad aliquem finem tendere. Atqui Genitalia ad nihil prodesse possunt quàm ad generandum: ergo sequitur quòd Dominus Papa debet illis vti ad hoc opus. Siquis vellet dicere, Papam debere illis vti ad generandum in statu matrimonij, responsio in promtu est, Omnes Ecclesiasticos (præcipuè Papam, caput illorum) votum fecisse perpetui cælibatus. Ergo quandoquidem non licet Papæ, ex voto Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, ducere vxorem: & ex consti-

constitutionibus Canonicis necesse est vt habeat genitalia (quæ habere non potest nisi propter aliquod opus) necessariò sequitur ipsum posse & debere gignere nothos & nothas. Hoc argumentum posset reduci sub primum modum primæ Figuræ syllogismorum, videlicet in Barbara: quæ sunt (sicuti dicunt Dialectici) omnium optima & concludentissima argumenta. Supposita ergo hac conclusione (inquiunt) vt clara & bene probata, Papam, dispositione Iuris, debere gignere nothos: facilè veniemus ad partem affirmatiuam nostræ quæstionis. Nam si liberi legitimi vocantur, qui constitutione ac permissione legis & iuris procreati sunt, Papæ nothi iam inde à procreatione legitimi esse comperiuntur: ergo multo magis quando insuper ipse Papa (qui potest omnia in omnibus) ipsos legitimat. Nam ista legitimatio est actus superabundans, qui vtique omnino prodesse, & numquam nocere, potest: quia quod abundat non vitiat reliqua, & omnis actus ad aliquem finem & operationem vtilem ferri debet.

QVI negatiuam partem huius quæstionis tutantur, argumenta alia & contraria afferunt. Papa (inquiunt) sese obligauit, sicuti ceteri Ecclesiastici, voto generali Ecclesiæ: itaque obseruare illud votum debet vt alij, præsertim vt ceteri sacerdotes exemplum ab illo sumant. Nam si Papa (qui plerumque senex est) sibi permittat habere nothos, & frangere votum castitatis & continentiæ quæ requiritur in ordine sacerdotali: quale exemplum præbebit iunioribus sacerdotibus &

otiosis? Naturam dedisse hominibus genitalia ad procreandum, verum est (inquiunt) sed iis in matrimonio vti decet. Nam si hoc promiscuè valeret, ergo licitum esset omnibus presbyteris votum vniuersale frangere. Sed contrà est veritas. nemo enim debet fieri presbyter, neque huic voto sese obstringere, nisi nouerit se posse illud obseruare. Papas vero vocari Patres, etiam illud verum est: sed Patres spirituales esse intelligendum est, non Patres carnales. Quod Canonicis decretis constitutum est, Papam genitalibus instructum esse oportere, id fit vt appareat Papam integrum esse hominem & qui omnibus membris præditus sit, sicuti par est. Sed quando hoc decretum factum est, non est intellectum ipsum propterea dispensari & excipi à voto vniuersali Ecclesiæ: cui semper obstrictus manet. Nam iure Canonico Papa neminem potest dispensare contra vllum statutum Ecclesiæ vniuersalis. Itaque non potest gignere nothos quin semper nothi sint ac illegitimi: neque illos legitimare iustè potest, quia non licet illi iurisdictionem in proprio facto exercere. Hæ sunt rationes eorum qui defendunt partem negatiuam huius quæstionis. Fatentur tamen quoque isti Papam posse legitimare spurios ex se ortos, plenitudine potestatis, quando expresse declarat se ita velle plena & absoluta potestate: & in eo omnes Canonistæ consentiunt. Nam quum de Plenitudine potestatis Papæ agunt, loquuntur tamquam de ingenti & imperscrutabili abysso, ex qua nemo magis possit emergere quàm ex profunda aliqua & immensa a-

ſa aquarum voragine. Quippe aſſeuerât eſſe rem infinitam, quæ nec finem nec principium, nec ripam, nec fundum, nec ſummum nec imum, nec medium nec extremum, habeat. Illa tamen nobis hîc aliquantum ſcrutanda eſt: verùm ita vt neque ipſi nimiùm altè in iſtam Charybdin nos immergamus: ſed laxandi animi gratia conſideremus quàm ſcitè de illa egerint doctores Theologicæ facultatis; qui in iſto argumento cum Canoniſtis & Decretiſtis non ſatis conſentiunt.

STATVENDVM ergo primum eſt, veterem quamdam eſſe quæſtionem, quæ nondum expedita ſit penuria iudicis aut idonei arbitri: Vtrius videlicet maior ſit autoritas, Concilij, an Papæ. Sæpe multúmque agitata eſt ea quæſtio, ſed nondum vllus ſatis idoneus iudex extitit qui eam diſſolueret. Nam quis hoc ſibi ſumeret, de Papa iudicium ferre, quando Reges & Imperatores ſunt ipſius ſubditi & vaſſalli, ſicut dicit, & debent pro officio frenum & ſtapedam tenere, quum ipſe equum inſcendit. Subditus & inferior non poteſt iudex eſſe ſupra ſuum Seniorem & ſuperiorem. Itaque nullus neque Rex neque Princeps inuentus eſt, qui auderet ſuo iudicio finire hanc litem quæ eſt inter Papam & Concilium: ergo adhuc ſub iudice lis eſt, nec propè eſt vt finiatur. Interea tamen donec lis pendet, Canoniſtæ firmiter tenent, Papam ſuperiorem eſſe Concilio: Doctores facult. Theologicæ mordicus quoque ſuã opinionem tuentur, Concilium videlicet plus pollere quàm Papam. Canoniſtæ nituntur ſpecioſis rationibus: Papa & Concilium (inquiunt)

De Papæ & Concilij poteſtate.

Deum & Ecclesiam repræsentant: ita quemadm. Deus supra Ecclesiam est, sic Papa supra Concilium. Præterea Concilium compositum est ex hominibus in specie (Disertè dico In specie, vt occurram obiectioni, Posse videlicet contingere vt Concilium constaret ex bestiis ingenio & sciētia) Atqui Papa aliquid amplius quàm homo est: ergo supra Concilium. Nam Papam esse amplius quàm hominem, de eo ambigendum non est. quippe Ius Canonicum aliquot locis expressè & disertè hoc affirmat. In quo Canonistæ tenent Papam neque Deum neque hominem esse: ita tamen vt Bestiam esse nolint dicere, sed aliquod intermedium animal, quod sit plus quàm Homo & minus quàm Deus. Tertiò Canonistæ dicunt, Papam referre magnum & summum pastorem, & Concilium minutos pastores: ac proinde Papam debere statui supra Concilium, sicuti pecoris magistrum supra pastorculos qui ipsi subiecti sunt. Quartum argumentum ipsorum est, Claues cælorum datas fuisse Petro, qui illas suis successoribus Papis reliquit, non Concilio: adeo vt (inquiūt) si Papa vellet seuerè cum Concilij Patribus agere, neminem eorum sineret ingredi in cælos. Nolle tamen illum suo iure aduersus eos vti, etiamsi illum multis modis prouocent, quum se eo superiores dicere audent.

e, quanto & ... ex de ... translat. e... ipse.

DOCTORES Theolog. facultatis vt contra probent Concilium esse superius Papa, vtuntur subtilissimis & acutissimis argumentis, quæ quiuis assequi non magis potest quàm oculos formicarum, propter minutas eorum & subtiles argutias. Nam quum ea de re agunt, diceres eos in

pulue

puluerem tam tenuem quàm sunt atoma Epicuri redegisse omnes Thomæ Aquinatis & Scoti subtilitates, & ex iis in balneo destillatis quintã essentiam elicuisse. Primùm distinguũt Papam à Papatu: deinde esse Papatum spiritualem & Papatum potestatiuum, & ea duo non semper concurrere & simul esse in eodem subiecto Papali. Nam Papatum spiritualem posse deesse in subiecto defectu scientiæ: & Potestatiuum, defectu electionis. Postea multis terminis & multis regulis duplicem hunc Papatum circumscribunt, & ad eas debere exigi & componi dicunt potestatem atque actiones Papæ. Verùm ne meipsum implicem atque induam in tam minutos argumentorum nexus, ea tantùm attingam quæ à mediocris ingenij hominibus comprehendi pote-runt. Primò, dicunt Concilium potestatem habere creandi & abdicandi Papæ, sicuti sæpe factum est, ac proinde supra Papam esse. Nam quidquid alterius componendi & dissoluendi vim habet, eo plus pollere necesse est. Secundò asserunt Concilium tenere locum Ecclesiæ vniuersalis, quæ in fide errare non potest: Papas verò sæpe errasse circa fidem, & pro hæreticis Conciliorum autoritate fuisse damnatos. Adhæc secundùm Canones, Papam non posse solum decreta facere de articulis & quæstionibus fidei: sed hoc pertinere ad Concilium. Quartò, Papam, etiamsi Concilio præsit, vnicum suffragium habere perinde vt quemuis Episcopum. itaque corpus Concilij amplius esse quàm Papam: sicuti corpus Curiæ Parlamenti plus est quàm quilibet vnus Præ-

fidum. Quintò, Christum quum promisit se daturum claues cælorum, ita dixisse, Ego vobis dabo claues regni cælorum. In quo notandum est, ipsum numero plurali vsum esse, quum ad plures sermonem dirigeret, nempe ad omnes Apostolos, non ad Petrum solum: itaque eum de pluribus clauibus agere, quæ pauciores duabus esse non possunt, quando plurali numero vtitur. Porro duarum earum clauium alteram clauim Scientiæ, alteram Potestatis dici, & priorem propriè ad Concilium pertinere, (etiamsi Papa pro insignibus vtramque præferat) & sine ea Scientiæ claui alteram nihil prodesse, neque portas cælorum posse aperire, propter ancipites seræ flexus & occultos pessulos, qui nulla præterquam Scientiæ claui reserari queant. Itaque, quum primaria clauis penes Concilium sit; sequi illud Papa superius esse. Hæc sunt præcipua Doctorum argumenta, quorum quidem memini.

SED iis quoque argumentis adiungenda est eius rei praxis, sicuti obseruata est tum à Principibus tum ab Academiis, à quibus ferè iudicatum est, Concilium supra Papam esse. Regnante in Galliis Philippo Pulchro, Papa Bonifacius VIII. Decreto edito interdixit omnibus Regibus, Cæsaribus & Principibus Christianis ne tributa ab Ecclesiasticis exigerent, constituta pœna excommunicationis absque vlla mora & longiori cognitione incurrendæ. Rex, hoc suis priuilegiis aduersari questus, ex sententia sui Consilij, Prælatorum Galliæ, & Theologorum facultatis Parisiensis, prouocauit à Papa velut inferiore ad proxi-

Annal. in ann. 1296. Monstrel. lib. 1. cap. 67.

mum Concilium, tamquam superius. Simili exemplo, quum Alexander v. decimas exigere vellet ab Ecclesiis Gallicis, decretum est ex sententia Vniuersitatis Parisiensis, vt ab eo & eius bulla ad proximum Concilium generale appellarent. Quinetiam Theologiæ Doctores hoc axioma pro certo & probato habent, Concilium Papa superius & maius esse: immò nonnulli eò vsque prouecti sunt vt dicerent, Ecclesiam facilè Papa quoque in totum carituram.

Ex superiori disputatione facilè apparet Doctores Theol. facultatis infinitam illam plenitudinem potestatis Papæ voluisse circumscribere, ac ne nimium luxuriaret Concilij autoritatem ei, tamquam frenum, iniecisse. Sed aliis quoque rationibus potestatem illius coercere aggressi sunt. Nam primum regulæ illi vniuersali, *Papa omnia potest*, addiderunt exceptionem, *claue non errante*. Quæ exceptio lepida est, & non minus propemodum patet, quàm ipsa regula. Nam si excutere libeat bullas & constitutiones Papæ, nulla reperietur quæ non aliquid Iuri repugnans contineat. Eam repugnantiam Papa facit iure aut vi suæ potestatis, & quia ita illi libet. Ita, iuxta illam à Theologis adiectam conditionem, eiuscemodi bullas irritas esse & nullius momenti dici potest, quia Iuri repugnant, aduersus quod Papa nullam vim habet, iuxta illud *claue non errante*. Immò maximam partem Canonum & Decretorum hac exceptione euerti & abrogari, propterea quòd vel Iuri diuino, vel æquitati & naturali rationi, derogent, vel aliquid addant Scripturæ,

1. Limitatio potestatis Papæ.

quod Deus prohibuit. Itaque, claue Pontificum multis locis vel attrita & obtusa (sicuti quotidie atteritur) vel fracta, nihil admodum boni superesset in iis quæ à Pontificibus vel olim decreta & gesta sunt, vel hodie geruntur: immò omnia penuria potestatis irrita fieri & rescindi necesse esset.

ii. Limitatio. SED & alia quoque eiusdem Regulæ restrictio seu exceptio est, quam Thomas Aquinas mordicus defendit. Papam enim ille omnia posse dicit, præterquam nouos articulos Fidei condere. Quæ exceptio latè patet, & multum imminuit de Papæ potestate. Nam si verum est, ei non licere noua Fidei capita cudere, inde sequitur nullis Papæ commentis & traditionibus credendum esse quas ad Dei verbum de suo addidit. Quamobrem ex limitatione Thomæ, quæcumq. præcepta Pontifex ad Decalogum apposuit reiicienda sunt, vt illud *Dominicis diebus missas adito*, & cetera eiusdem furfuris. Atque in vniuersum quæcumq. Scripturæ testimoniis aduersatur, pro nouis & falsis Fidei capitibus repudiabimus: quando & omnes in genere & singulæ vtriusque Testamenti sententiæ pro totidem Fidei articulis habendæ sunt. Quare vniuersa Papæ doctrina, quæ vel minimo Scripturarum apici repugnat, pro adulterina respuenda est, vel ex ista interpretatione Thomæ, quæ nouos Fidei articulos admitti non patitur.

iii. Limitatio. PRAETER superiores leges quibus Papæ potestas circumscribitur, est & quædam alia Theologis & Canonistis communis. Quippe in eo con

consentiunt Papam hæreticum nullam potestatem habere, neque illi obedientiam vllam deberi. Quæ lex sæpe ad coercendam Papæ licentiam profuit. quum enim nimium ferociret, hoc velut iniecto freno cogebatur in ordinem: accusabatur hæreseos, & tum sine vlla dubitatione ab omnibus deserebatur. Quemadmodum Auenione Benedicto XII. contigit. Nam quum ille bullas promulgasset, quibus Regnum & Regem Galliæ excommunicabat, quòd Rex pecunias regno exportari & Auenionem ferri non sineret: Rex ad Academiam Parisiensem, præsertim ad Doctores Theol. facult. caussam omnem retulit. Illi Benedictum indignum Pontificia dignitate & hæreticum pronunciant: ac proinde illius bullas nullius momenti esse. Itaque ex eo magistrali decreto, bullæ Benedicti conscissæ sunt: & obedientia ei negata. Fortè quæret aliquis, in quo fidei capite erraret, vt hæreseos damnari posset. Id nescire me fateor, neque eius rei Annales nostri vllam mentionem faciunt. Propius verum est, illum ex composito eo crimine circumuentum esse, à quo tamen multum abesset. Nam quomodo hæreticus esset, qui ne nomen quidem Hæretici quid sibi vellet sciret? Theologiam numquam attigerat: Biblia ne inspexerat quidem, nisi quæ fortè ex Bibliis excerpta in Breuiarium & Missale inserta sunt. In iure Canonico, vt eo tempore, satis eruditus: ita tamen vt nihil nimis. Eiusdem Academiæ decreto Bonifacius VIII. hæreticus pronunciatus est, minimè id quidem quòd in fide erraret (de qua nõ magnopere laborabat) sed quòd

Monstrel. li. 1. c. 31 40. 41. Annal. in ann. 1510.

priuilegia Regis violare ausus esset. Eius quidem præiudicij tanta vis fuit vt simulac hæreseos damnatum esse innotuit, vniuersum Galliæ Regnum eius obedientiæ se subduceret. Iulium II. hæreseos quidem Theologica facultas non damnauit, quum visum esset melius fore si de eo iudicium ferretur in generali Concilio, quod indiceretur in Italiam, vt Italia quoque ipsa eius potestati se subtraheret. Itaque eius rei caussa, inuito Papa, Concilium Pisæ habitum: & prope erat vt quæstione peracta damnaretur hæreseos, nisi ante iudicij diem finem vitæ fecisset. Denique ea olim erat certissima & præsentissima ratio effrenis Papæ libidinis coercendæ, si pronunciaretur hæreticus. Hæreticum verò magistri nostri tum definiebant, Eum qui aut facto aut opinione doctrinam Ecclesiæ contrà iret. Itaque istos Pontifices hæreticæ prauitatis conuincere non difficile erat. tametsi enim opiniones contrarias fidei Catholicæ Romanæ non defenderent, multa tamen admittebant ei doctrinæ contraria. Et in tam præcisa Sorbonæ seueritate tale aliquid egisse, ad crimen hæreseos & damnationem sat erat.

SED diuturnam Papæ & Concilij controuersiam, & quibus artibus Conciliorum fautores Papam cristis demissis incedere coegerint, satis multis exposuimus: nunc vicissim quomodo illos aliquando tandem pulchrè vltus sit Papa, narrandum quoque est. Anno 1437. Concilium Basileæ habitum est, cuius autoritate Eugenius tum Papa dignitate abdicatus est, & in eius locum Amedæus Dux Sabaudiæ subrogatus, Papa Felix dici

Monstrel. lib. 2 cap. 231. 237. lib. 3. cap. 5. 103. 1. 12.

dici voluit. Is paulo antè ducatum & omnes ditiones suas in filium transtulerat, vt priuatus Ripaliam, ad lacum Lemannum, in eremum concederet. Aduersus eum Eugenius fulminare, bullas promulgare, & anathema vltimum minari, si Papæ nomen vsurpare pergeret. Felix nihilo secius Papæ munia obibat, quum haberet Concilium in partibus, quod Basilea Geneuam translatum est (qua in ciuitate Pontificatus sui sedem instituit) & spernens Eugenij tonitrua, bullas quoque & fulmina in eum torquebat. Quinetiam spes erat superiorem in eo certamine futurum, saltem per Cisalpinas prouincias, si Auenionem migrasset, quæ ex duabus Papatus sedibus haberetur altera. Sed quum Geneuæ sederet, Rex Galliæ ab Eugenij potestate subducere se noluit: quãquam alioqui in Concilium Basiliense inclinaret, & approbaret decreta ibi facta. Ceterum tamē perfecit vt Antipapam Felicem cum Papa Nicolao Eugenij successore in concordiam redigeret, anno 1447. Itaque decimo post creationem anno Felix dignitate se abdicauit, vno hoc se contentum fore testatus, si perpetuus Papæ vicarius in Sabaudia esset: & Nicolaum, vt verum Papam veneratus est. quod exemplum imitati sunt qui Felicem designauerant, & cum eo Geneuæ manebant. Itaque ex eo tempore Geneuæ nullus fuit Papa, neque Geneuenses vllum Papam in ciuitatem suam admittere volunt, sicuti audio. Porro quum Pragmatica sanctio (id est, quædam leges seu Canones de Beneficiis in eo Concilio decreti) reditus Papæ, bullistarumq. & notariorum Romanæ curiæ quæstum, multum minueret,

numquam quieuit Papa donec eam in Gallia aboleret. Qua in re quum Attrebatensis cuiusdã episcopi, qui Regi familiaris erat, opera vsus esset, eum rubro galero remuneratus est. Tum igitur Pragmatica sanctio, quum triginta fermè annos viguisset, sublata est, magna nobiliũ & diuitum offensione: qui non poterant ita facilè & commodè abuti bullis indulgentiísque Pontificiis, vt in simplici tonsura Episcopatus, Abbatias, & plura simul beneficia, occuparent, quemadmod. antea solebant & nunc quoque solent. Tenues quidem etiam tum clericos calumniis & litibus à sacerdotiis absterrebãt: & iuridici homines vehemẽtius pecunia potentum quàm inopum sciẽtia mouebantur. Quippe parũ decorũ videbatur, miserũ aliquẽ magistrum artium, aut baccalaureum, aut Doctorem theol. augere tam pingui beneficio, Episcopatu vel Abbatia decem aut viginti millium librarum: neque tam opimis sacerdotiis pares esse tenues homines, qui neque in triuialibus phrontisteriis neque Sorbonæ Episcoporum aut Abbatum in morem epulari consuessent. Itaque ex æqui & boni regula, quæ tenues & humiles ab immodicis opibus dignitatibúsque arcet, ne nimio luxu diffluant, Iudices isti Parlamentarij, magistros artium, scholares, baccalaureos, licentiatos & doctores in Theologia & in Iure Canonico, pinguissimis quibusque & saliaribus sacerdotiis excludebant, non obstante Pragmatica sanctione. Curias tamen, vicariatus, capellanias, & ceteras viles præbendas modici reditus, illis non inuidebant. Ac profectò ea in re miri-

mirifica erat Parlamentorum cùm ſapientia tum æquitas. quippe prudenter conſiderabant nihil magis corrumpendæ virtutis, nihil magis ignauiæ conciliandæ eſſe, quàm nimia bona & immodicas voluptates: nihil eſſe homine ſuperbius qui ex humili fortuna repentè opes & honores conſequutus ſit. Itaque ſatius eſſe exiſtimabant ampla & lauta beneficia conferre in diuites & nobiles quàm in ſquallidos & viles ludimagiſtros, Sorboniſtas, vel Decretiſtas. hi enim ne nimia fortuna luxuriarent, periculum eſſe: illos verò ad faſtum & corruptionem veterem nihil addere poſſe. Quare (vt ſemel finiam) Pragmatica iſta ſanctio, triginta annos vtcumque in Galliis vſurpata, tamdem à Carolo VII. antiquata eſt. Immò eam paulo pòſt Pius II (qui antè Æneas Syluius) Papa, cauſſa cognita, publica ignominia Romæ damnauit, ita vt & Concilio quoque ipſi, à quo in Papæ detrimentum ſancta fuerat, perpetuum dedecus inureret. Nam ſententia aduerſus eam lata, per omnes vrbis vicos raptata & plurimis ludibriis vexata eſt. Ibi omnes Romanæ curiæ Rabulæ, Datarij, Bulliſtæ, Copiſtæ, Notarij, ſaltare, ridere & omnibus modis miſeræ illi Pragmaticæ illudere, quo vltionem tot damnorum & longum odium explerent. Tum prorſus Concilio ingens vulnus inflictum eſt, & apparuit Papam, quando illi libet, Concilio ſuperiorem & potentiorem eſſe: quantumuis Magiſtri noſtri, Occam, Gingencurtius, & Gerſon, cum vniuerſa Theologica facultate, contrà ſenſerint & ſcripſerint.

NEQ. verò tantùm maiorem sibi quàm Concilio autoritatem Papa vendicat, sed se quoque supra Cæsares, Reges & Principes terræ attollit, quemadmodum ex plurimis Canonibus & decretis pontificijs liquet. Sed vnam tantùm Innocentij III. & Imperatoris cuiusdã Constantinopolitani historiam eius rei testem producam: qui annum circiter 1200 regnabant. Is Pontifex ad Imperat. ita scripserat, vt eum tamquam famulum obiurgaret: Imperator modestè rescripsit: Mirari se quomodo tam imperiosè ad superiorem potestatem scriberet: longè aliter præscriptum esse à Petro, qui iubet omnes subiectos esse Regi vt supereminenti, tum magistratibus qui per eum mittuntur. Ijs verbis haud perplexè innuēs, Papam Imperatori subiectum esse debere; ac proinde non cum eo, tamquam cum inferiore agere. Innocentius, haud diu moratus, ita respondit; Mirata est Imperialis sublimitas, quòd te ausi fuerimus in nostris literis increpare. Huic autem tuæ admirationi non caussam, sed occasionem præbuit, quod legisti beatum Petrum Apostolorum Principem sic scripsisse: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tamquã precellenti, siue ducibus, tamquã ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, &c.* Verùm si personam loquentis & eorum ad quos loquebatur, ac vim loquutionis, diligentius attendisses, scribentis non expresisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritũ prouocabat. Quod autem sequitur *Regi tamquam præcellenti*: non negamus

c. Solitæ. ex. de Maior. & obedient.

1. Pet. 2.

gamus

gamus quin præcellat Imperator in temporalibus illos duntaxat qui ab eo suscipiunt temporalia. Sed Pontifex in spiritualibus antecellit: quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori. Præterea nosse debuerat, quòd fecit Deus duo magna Luminaria in firmamento cæli: Luminare maius, vt præesset diei: & Luminare minus, vt præesset nocti: vtrumq; magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna Luminaria, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis autoritas & Regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, maior est: quæ verò carnalibus, minor: vt quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Ad hunc modum Innocentius, vt summam potestatem pro suo iure sibi asserere videretur, lepida & profunda allegoria Imperatorem Constantinopolitanum elusit. Circiter illa tempora erectæ sunt in Ecclesia duæ validæ columnæ Papalis potestatis & doctrinæ, Mendicantium videlicet ordines & Decretalia.

Gen. 1.

Papa soli comparatur: Reges & Cæsares Lunæ.

SVPEREST Pontificiarum opum & tam excelsi fastigij vltimus veluti gradus, quò Papæ, Concilia, Regna & Imperia supergressi, postremùm annisi sũt. De eo Georgius Buchananus doctissimus poeta luculentissimè scripsit: Primos videlicet Romanæ ciuitatis Principes, Reges, Cõsules, Dictatores, Cæsares, terras & maria subegisse. Sed hoc nihil esse ad Pontificum Romanorum victorias, qui Romæ posterius dominatĩ

sunt: Quippe priores Episcopos Rom. pietate & sanctitate vitæ cælorum esse potitos: quod multo amplius est quàm terræ & maris imperium quæsisse. Sed posteriores Papæ, Gregorius VII, Bonifacius VIII, Siluester II, Iulius II, Ioannes XXII, Alexander VI, Cæsaris Borgiæ pater, & ceteri de genere hoc, rerum gestarum magnitudine non modò superiores Pontifices, sed veteres quoque Reges, Consules, & Imperatores Rom. vicerunt. Nam Acherontem quoque ipsum perrumpere ausi sunt, & Plutone cum copiis strenuè profligato Inferorum regnum domitum suo imperio ac potestati subiecere. Ita Pluto iugum accipere, & Papam dominum agnoscere cogitur: se verò ipsius vassallum & clientem, & carceris Pontificij veluti commentariensem. Itaque quum Papa bullas Indulgentiarum aut Cruciadæ emittit per orbem terrarum (sicuti Leo X. fecit) mandat Angelis cælorum vt vinctorum apud inferos animas, persoluto pro illis pretio, liberatum eant: Plutoni verò & eius clientibus imperat vt eas extemplo vinculis soluant & abire sinant. Iam verò quis istum δεσμοφύλακα adeo contumacem & impudentem existimet, vt vel minimo Papæ nutui repugnare audeat, cuius amicitiam tanti facit, vt eum omnibus obsequiis demereri studeat? Sed ipsius Buchanani versus elegantissimos præstat hîc adscribere:

Pontifices, Inferos in ditionem suam redegerunt.

Roma armis terras, ratibusque subegerat vndas,
Atque iidem fines orbis & vrbis erant.
Restabat cælum, sedes perfregit Olympi
Pontificum veterum relligiosa cohors.

At ho

At bona posteritas, ausis ne cedat auitis,
Tartara præcipiti tendit ad ima gradu.

VIII. THEOREMA.

Princeps sæuitiæ famam negligere debet, dum modò subditos in obsequio contineat.

CAESAR Borgia (inquit Machiauellus) quum sæuus haberetur, sæuitia tamen in ius & ditionem suam redegit Flaminiam totam. Quare Princeps non admodum de sæuitiæ fama & existimatione laborare debet: dum hac ratione populum in fideli obsequio contineat. Nam seueræ & crudeles Principis animaduersiones priuatim tantùm aliquibus officiunt, quos metuere non debet: & nimia Principum clementiorum lenitas innumera mala, cædes, latrocinia, in ipsorum ditionibus gignit. Adeò Principis indulgentia quàm inclementia publicè nocentior est. Quod Seueri exemplo probari potest. Is enim quum atrox esset, Albinum Nigrúmque & eorum amicos maximam partem sustulisset, concedentibus omnibus in eius fidem ac potestatem, Imperium per diu quietum ac tranquillum tenuit. De Principe. cap. 17.

CAESAR Borgiæ, ſicuti antea vidimus, quum inteſtabili ſæuitia omnes propè Italiæ principes ex amicis inimicos feciſſet, adeo ambiguæ firmitatis ſolo ſtatum ſuum impoſuit, vt patre Papa amiſſo, ab inimicis circumuentus, ab amicis deſertus, ereptis ditionibus quas per iniuriam occupauerat, imminentem peſtem latebris vitare coactus ſit. Hic tam tragicus exitus plurimum abeſt ab opinione Machiauelli. Neque enim ſæuitia, cui facilè obſiſti poterat, quietam Flaminiæ poſſeſsionem obtinuit: ſed Papa pater ipſius metuebatur, quum opibus viribúſque Gallicis ad arbitrium vteretur pro ſuis, & Chriſtianis principibus ſui formidinem iniiceret. Nam ea tempeſtate nudæ Pontificis bullę multo vehementius timebantur, quàm hodie vel claues Petri, vel gladius Pauli, vel fulmina, & anathemata, & quæcumque hominibus terrendis ludibria inuenit. Nam quis hodie hæc curaret, quæ Romani ipſi rident? Itaque mirum non eſt, in tanta Papæ autoritate, ſi Cæſari Borgiæ, Alexandri pontificis parentis ſui gratia & viribus Galliæ ſubnixo, Flaminiam occupare licuerit. Atque eius potiundæ felicitatem non ex filij ſæuitia ſed fauore patris ortam inde apparuit, quòd ſimulac fauor ille euanuit, ſpecioſa illa fortunæ ingentis moles tota repentè corruit. Quare, Machiauelli dogmati planè contrarium oppono, aſſeueróq. Nullo vitio citius certiúſq. quàm Sæuitia euerti à ſtirpe principatus, nulla virtute melius firmari quàm æquitate ac clementia.

Borgia Alex. Pontificis opibus & fauore nixus faſtigiũ extulit, non ſæuitia ſua.

ID perſpicuis rationibus probare perfacile eſt.

est. Sæuitiam enim vocare solemus quidquid in personas aut in fortunas, sine vlla iuris forma, contra fas, contra æquum & bonum, perpetratur. Vnde sequitur quemadmodum vis iuri & æquitati contraria est, ita Sæuitiam iuri esse contrariam, neq. aliud esse Sæuitiam quàm vim manifestam. Atqui vel ex Philosophorum placitis, Quidquid violentum est quum diuturnum esse nequeat, quæ spes diuturnitatis esse potest in eo statu, qui violenta & immani crudelitate fundatus ac nixus est? Præterea omnibus hominibus odio est inhumana crudelitas: quæ tametsi ad omnes non perueniat, ij tamen quoque à quibus illa iniuriam abstinet metuunt, & exempla in propinquos & necessarios suos edita ad se quoque pertinere & in se verti posse existimant. Metus verò earum amittendarum rerum quas nos primas ducimus, vitæ, fortunarum aut decoris, ingens odium parit: & eorum quæ odimus non tantùm exscidium optare sed moliri consueuimus. Itaque quum omnes Tyranno, id est sæuo Principi, exitium struunt, quónam modo is vitabit ne alicũde pernicies ingruat, & quos singulos spernit, qua ratione vniuersos effugiet? Nam si fortè Dei indulgentia diutius viuat, quare tantam felicitatem & securitatem Deus illi præbet, nisi vt quo elatior est eo fœdius corruat? Nam Tyranni viuaces & longęui (sicuti in Tragœdiis cernitur) quid aliud egerunt per totum vitæ tempus quàm vt sibi resteis necterent, patibula defigerent, pugiones & gladios acuerent, & venena miscerent, quibus repentè alius alia leti via sua ipsi aut

aliena manu exstingueretur ante ora populi plaudentis & meritò fieri clamantis? Neque tragici tyrannorum exitus pro fabulis aut poetarum figmentis habendi sunt. Permulta eiuscemodi casuum in sæuos ac sanguinarios Principes exempla historiæ non minus vera quàm lugubria memorant.

Saeui homines, plerumque timidi.

ISTVD quidem plerumque vitium, quod ex impotentia eorum animi oritur qui iracundiæ & vlciscendi libidini moderari nesciunt, numquam in excelsam & generosam indolem sed ferè in naturas timidas, ignauas & degeneres, cadit. Itaque quum Mauricius admonitus esset in somnis, vt ab occulta conspiratione caueret, cuius dux esset Phocas: eique Philippicus gener diceret se nosse eum hominem, neque tale facinus vmquam ausurum: quum, etsi improbus, timidus tamen esset. Propterea (inquit Mauricius) mihi cauedum est. nam qui timidi sunt, postquam scelera ineunt, parcere nesciunt & sæuius agunt. Eiuscemodi

Pomp. Lætus in Mauricio.

" truculentiam (vt inquit Marcellinus) vlcus esse animi diuturnum, interdúmque perpetuum, pru-
" dentes definiunt, nasci ex mentis mollitie consue-
" tum: id asserentes argumento probabili, quòd iracundiores sunt incolumibus languidi, & feminæ maribus, & iuuenibus senes, & felicibus ærumnosi. Et de Valentiniano agens, scribit, eum quum natura in iram vehementius efferuesceret, ad pauores tamen irritos aliquoties abiectius pallere solitum & quod nusquam erat inconsideratè metuere. Hæc quidem ira feruidior illi mortis etiam tamdem caussa fuit: quum in Quado-

Amm. Marcell. lib. 27.

rum

rum legatos vehementius excanduisset. Quare, vt nullius rei rationem habeat Princeps, præterquã valitudinis, respicere tamen seipse debet, nec vmquam iræ aut sæuitiæ assuescere. quippe hæc visceribus torrefactis haud diu viuere Principem sinunt. Sed preterea is cogitare debebit his vitiis famam magni & generosi animi inquinari, qui Principem decet. nam plerumque ita incidit vt & sæui, iracundi Principes, molles quoque atque ignaui sint; generosi & fortes, lenes & humani. Ad hæc, sæuos Principes, numquam ferè bono & miti obitu vitam claudere: Deúmque ita meritò statuere, quum nemo posit humano sanguine ludere, quin Ius diuinum in primis violet, quo cædes prohibentur: nisi quæ fiunt à Magistratu, sceleribus puniendis Dei iudicium exsequente. Violat præterea Crudelitas Iura naturæ, quum homo hominem & sui similem interimit, quando is quoque instinctus feris à natura datus est, ne in suum genus sæuiant: & è Iuris naturalis præcceptis vnum hoc sit, Alterum non lædere. Transgreditur etiam ciuile Ius, quo cædes & homicidia vetantur, pœna capitis constituta. Quis ergo miretur sæuos & sanguinarios Principes tetrum dirúmque finem vitę habere, qui omnia Iura, naturalia, diuina atque humana, violent?

Caio Caligula vix alius aut immanior, aut timidior, fuit. Nam in expeditionibus adeo trepidabat metu vt ad solam hostium mentionem cohorresceret. Forte aliquando in Germania paucos de custodia Germanos traiici occulísque trans Rhenum iussit: ac sibi post prádium quam- Suet. in Calig. cap. 45. 46. 47. 52. 58. 59.

tumultuosissimè adesse hostem nunciari. Quo facto proripuit se cum amicis & parte equitum Prætorianorum in proximam siluam, truncatísque arboribus & in modum tropæorum adornatis, comites & participes victoriæ nouo genere coronarum donauit. Annon erat hoc strenui & generosi Principis facinus? Alia vice, quasi bellum perpetraturus, directa acie in littore Oceani, ac ballistis machinísque dispositis, nemine gnaro & opinante quidnam cœpturus esset, repentè vt conchas legerent, galeásq. & sinus replerent, imperauit: spolia Oceani vocans Capitolio Palatióque debita: & scripsit procuratoribus triumphum appararent quamminima summa, sed quantus numquam alius fuisset, quando in omnium hominum bona ius haberent. Egregiam verò laudem & spolia ampla referens scilicet, ad triumphum meritum festinabat, truncata silua lectísque ostreis & conchis. Degeneris & ignaui animi hæc signa sunt: quæ sequuntur, sæui. Militem decollandi artificem habebat, qui sæpe in conspectu prandentis vel comessantis quibuscumque è custodia capita amputaret. Multorum adhæc illustrium virorum mortes & singulatim crudeliter facta eius exequi longum & molestum esset. Sed ita bacchantem grassantémque, postquam per triennium illusisset imperio, coniurati aliquot confoderunt.

Suet. in Nerone cap. 49.

IMMANIA Neronis facinora, qui Agrippinam matrem, Britannicum fratrem, Octauiam coniugem, Senecam educatorem, multósq. præterea illustres viros, & ex senatorio ordine, nullo de

lo delectu aut modo adhibito, sustulit, notiora sunt quàm vt à me fusius exponi debeant. Sed non minor in eo ignauia quàm sæuitia fuit. Neq. enim vllam expeditionẽ adiit. verùm omnia militiæ munia legati strenui ac fortes sanè viri administrabãt, dum iste cithara ludicrum in modum canens, & inter histriones aurigásque pudore vulgato, publicis theatris se imperiúmque dedecorat. Ceterum, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione, numquam timore vacuus. Finis eius nouus & prodigio similis fuit. Nã quum ab omnibus desertus, circumspiciens latebras, Phaontis liberti sui suburbanum petiisset, vnoquoq. hinc inde instante vt quamprimum se impendentibus contumeliis eriperet: modò Sporum hortabatur vt lamentari ac plangere inciperet: modò orabat vt se aliquis ad mortem capessendam exemplo iuuaret: interdum segnitiem suam increpabat. Sed equites appropinquantes sentiens, ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis. Qua in morte hoc valdè mirum est quòd qui tot hominibus necem intulerat, reperire neminem potuit, quum maximè opus erat, cuius manu periret. Notabile quoque fuit, quòd qui perfidiam assiduè exercuerat, fidem sibi violatam esse supremas inter voces conquestus sit. Quo magis Tyrannorum socordiam irridere libet, qui quum fidem erga omnes frangant, eamdem sibi seruari debere existiment. Nam contrà, Tyranni fidem atque obsequium exuere, cúmque deserere, nihil aliud est quàm patriæ debitam fidem officiúmque præstare.

INHVMANAM crudelitatem & fœdos Commodi Basſianíque exitus, Principum ignauorum & immanium, alio loco memorauimus. Iis adiungi poſſunt Didius Iulianus, Heliogabalus, Galienus, Maxentius, Philippus, Phocas, Carinus Zeno, & alij ſecordis ingenij Principes, qui nulla re memorabili edita, ob crudelia facta vitam ferro aut alia vi amiſerunt. Herodis quoque aduerſus filios immanitas, & Tiberij triſtis ſæuitia eò coniiciantur, qui mori volentibus viuendi vim adhibebat, & quibuſdam cuſtodiæ traditis, non modò ſtudendi ſolatium adimebat, ſed etiam ſermonis & colloquij vſum. Huc addantur etiam Otho, Vitellius, Domitianus, Macrinus & ſimiles, velut exemplaria ſæuitiæ ac degeneris animi, qui paucos intra dies & ferro omnes exſtincti ſunt. Sed quia Domitiani mors inter paucas inſignis eſt, vt appareat Tyrãnos iuſtam numinis vindictam effugere non poſſe, eam paucis complectar. Primùm igitur tyrannus iſte complures ſenatores, in his aliquot conſulares, interemit: ex quibus Ciuicam, Cerealem, Saluidienũ Orfitum, Acilium Glabrionem, quaſi molitores nouarum rerum: ceteros leuiſsima quemque de cauſſa: quemadmodum ex Suetonio cognoſci licet. Sed vt ſuis quoque vitiis & ſceleribus, velut egregiis, reuerentiam conciliaret, vecordi arrogantia, quum procuratorum ſuorum nomine formalem epiſtolam dictaret, ſic incipiebat, *Dominus & Deus noſter ſic fieri iubet.* Tandem per hæc terribilis & inuiſus cunctis, cupido eũ inceſsit ſciendi quis ſe exitus maneret. Ergo quum percontanti &

Suet. in Tib. cap. 61.

Suet. in Domit. cap. 10. 13. 14. 15. 16. 17

& rimanti fata respondisset Ascletarion mathematicus eum ferro propediem periturum: illum interrogat an sua quoque fata comperisset. Tum ille Artis(inquit)meæ scientia præsagio fore vt breui lacerer à canib. Domitianus vt temeritatem artis coargueret, interfici eũ sine mora, & accuratissime sepeliri iubet. Id quum fieret, euenit vt repentina tempestate deiecto funere, semiustum cadauer discerperent canes: idque ei cœnanti inter ceteras diei fabulas referretur. Itaque hoc Ascletarionis responso casúq. commotus, tum etiam Chaldæorum præsagiis, qui illi pridem annum diémque vltimum vitæ, horam etiam & genus mortis, prædixerant, pauidus semper atque anxius minimis etiam suspicionibus præter modum commouebatur. Tempore quoque periculi suspecti appropinquante, sollicitior in dies, porticuum in quib. spatiari consueuerat, parietes phengite lapide distinxit: è cuius splendore per imagines quidquid à tergo fieret prouideret. Quo die periit horas requirenti, pro quinta quam metuebat, sexta ex industria nunciata est. His, velut transacto iam periculo, lætum festinantémque ad corporis curam Parthenius cubiculo præpositus conuertit, nuncians esse qui magnum nescio quid afferret nec differendum. Itaque summotis omnibus, in cubiculum se recepit, atque ibi occisus est. Nam ea ipsa hora Stephanus quidam, sinisteriore brachio velut ægro, lanis fasciísque per aliquot dies ad auertendam suspicionem obuoluto, professus conspirationis indicium, & ob hoc admissus, legenti traditum

Mirus Domitiani exitus.

absq́ſe libellum & attonito ſuffodit inguina. Saucium ac repugnantem adorti liberti & domeſticorum intimi, qui coniurationis participes erãt, vulneribus confoderunt. Exemplum hoc inſigne eſt, nulla humana prudentia aut prouidẽtia Deũ impediri poſſe quominus in tyrannos iudicia ſua exſequatur. Ac ſiquis fortè roget, quónammodo Domitiano mortis quoque horam Chaldæi & mathematici prædicere potuerint: Reſpondeo, eos neque certa aliqua arte neque ſcientia id prænuntiaſſe: ſed Satanam ſignificaſſe coniuratis vana diuinatione fatalem Domitiano horam, quo illis ſubderet animos ad tantum ſuſcipiendum facinus, crederẽntq. aſtra & cælum ipſorum cœptis fautura. In primis tamẽ Deum ipſum (qui ad peragenda iudicia ſua quibuſcumque libet inſtrumentis vtitur) efficaciam erroris dediſſe Satanæ. Idem propè euentus vaticinium mortis Caracallæ ſequutus eſt. Nam id Macrinum ad maturandam eius cædem impulit, cui ea res non antè in mentem venerat, neque ventura erat, niſi ea diuinatio illum eò pertraxiſſet.

Comin. lib. 7. cap. 2

NEQVE hîc omittenda eſt inſignis hiſtoria quam ſua ætate accidiſſe Cominæus memorat. Alphonſus, Ferdinandi filius, Neapolis & Siciliæ rex erat, patris peſsimi proles peſsima. Erat enim Ferdinandus Alfonſi Aragoniæ regis filius illegitimus, truculento ingenio, neque magnæ tantùm ſed & callidæ inopinatæque ſæuitiæ. Nam & inter epulas quum hilaritatem præ ſe ferret, iubebat homines comprehendi, & incautos opprimebat. Deniq. nihil erat in eo humani, nihil æqui, nihil

hil misericordiæ erga populum: neq. tantùm profundæ auaritiæ erat, sed etiam sordidæ. Patris ingenium referebat Alphonsus, non minus quàm ille crudelis, libidinosus, impius. Ab eius patre nobilitas prope omnis defecerat, paulo ante Caroli VIII. expeditionem: qui quum extremum auxilium diu frustra exspectassent, in gratiam rediere, & ex ipsis nonnulli, quum Neapolim reuertissent, per fidem circumuenti, ab eo circiter vigintiquatuor capti sunt. Eos à Ferdinandi morte Alphonsus necauit omnes, & in his Rhosanæ principem, qui Ferdinandi sororem in matrimonio habebat, & iam totos vigintiquinq. annos fuerat in vinculis, quò contra fidem datam à Ferdinando coniectus fuerat. Crudelitatis eius administer erat quidam Numida, homo barbarus & ferus, quem perpetrata cæde domum dimisit vt facinus illud in occulto maneret. Itaq. Cominæus non dubitat affirmare miserabilem vtriusq. exitum post Neapolitani regni iacturam, fuisse plagam illis à Deo inflictam, vt reliqui Principes omnes ipsum reuereri discant, & eius præceptis obsequi. Ferdinandus enim (inquit) quum videret à Gallis impendere sibi tantū discrimen, magnopere angebatur animo, & eo vehemētius, quo magis de sua filiíq. turpitudine cogitabat, & quo iustiorem populi erga se offensam norat. Itaque periculi magnitudinē intelligēs, per legatos Regē retinere in Gallia, & ab eo pacē impetrare, omni ope tētauit: L. aureorum millia in vectigal annuū pollicitus: paratus etiā fidē & iusiurandū præstare, & regnū eius beneficio acceptū ferre.

Sed quùm videret omnem ſpem pacis inciſam, & populárium in ſe odia, morbo ex ægritudine animi correptus ſupremum diem expleuit. Alphonſus autem, qui per omnem vitam adeo immanis fuerat, & adeo magnum armorum vſum habebat vt de toto bello paulo antè contemtim loqueretur, ſua ſponte priuſquam Rex Roma degrederetur, adminiſtrationem omnem depoſuit: tantúſque eum timor inceſsit, vt noctu perpetuò exclamaret, audire ſe aduentantes Gallos, & non homines tantùm, ſed arbores etiam & ſaxa, nomen Gallicum ſonare. Filio itaque Ferdinando, qui populo acceptior erat, rege inaugurato, fugam in Siciliam adornat. Et quæ tanta ſubitæ conſternationis cauſſa? Nemo crudelis (inquit Cominæus) vir fortis & animoſus eſſe poteſt, vt in Nerone & aliis tyrannis videre eſt. Erat autem tam exanimatus vt ſocru tridui ſpacium ac moram petēte ad res colligendas, reſponderit, niſi pateretur ſe diſcedere eiecturum ſeſe per feneſtram: Et, Nónne auditis (aiebat) omnes inclamantes nomen Gallicum? Sic perterritus cum paucis profugit, relictis omnibus fortunis, & precioſiſsima ſupellectili in arce Neapolis: neque quidquam ſecum aſportauit præter paucas pecunias, & malam conſcientiam, quæ ipſius animum dies noctéſq; vexabat. Habebat in animo migrare in Hiſpanias & Valentiæ quoddam vitæ monaſticæ genus amplecti, ſed calculo grauiſsimè conflictatus paulo pòſt vita exceſsit. Interea nobilitate & populo à Ferdinando deficiente, Carolus Rex intra paucos dies

dies Neapolitano regno potitur, nequid huic tragœdiæ deesset: cuius extremus actus fuit Ferdinãdi minoris mors, qui febre & diarrhœa correptus aliquanto pòst interiit. Ita vix expleto biennij spatio, tres Neapolitanos Reges, Alphonsum & duos Ferdinandos, propter sæuitiã, perfidiam, impietatem, & feritatem erga subditos, Deus seuerissimè vltus est.

SIMILES pœnas exegit Deus iustus scelerum vindex à Richardo Angliæ sæuo & immiti rege, Edvvardi IIII. fratre. Edvvardus enim quatuor liberos, duos mares, totidem feminas, paruos admodum moriens quum relinqueret, iis educatorem tutorémque Richardum ducem Clocestriç, fratrem, testamento instituit. Is quo sibi ad Regnum per scelus viam faceret, duos nepotes virilem fratris stirpem interimit, rumore sparso in vulgus illos ex ponte quodam præcipites flumine abreptos periisse. Fratris filias monasterio includit, spurias esse caussatus: quòd (vti aiebat) pater earum Edvvardus non potuerat iustum & legitimum matrimonium cum earum matre contrahere. Quippe ipsum antè promisisse se ducturum nobilem quamdam feminam (quam ille nominabat) præsente Basensi episcopo, qui ita esse testaretur, & pacta promissáque inter eos in suis manibus facta esse diceret. Ita Richardus, sublatis Edvvardi liberis, viribus & opibus subnixus, Angliæ Regnum inuadit. Ac quum multi proceres de tam atroci sæuitia (vt fit) questi essent, nouus iste tyrannus quoscumque libero conquestu voces aduersum se ac tyrannidem misisse intelle-

Comin. li. 6. cap. 9. Bellaius li. 1. Comm.

xit, eos diuersis suppliciis exstinxit. Ita fundato statu, quietem tamē quam sperabat, diu non obtinuit. Deus enim illi excitauit aduersarium, Comitem Richemontium, qui Eboracensi ex familia erat, paruis opibus, nec viribus nec pecunia instructum, & paulo antè in Britannia captiuum. Illum aliquot Angliæ proceres occultis nunciis cohortati sunt: veniret intrepidè in Angliam: si posset duobus aut tribus millibus militum portum aliquem tenere, populum vniuersum illius futurum, regnúmque Angliæ in ipsius manus daturum. Comes Carolum VIII. adit: impetrat, & eius permissu conscribit in Normania milites. Itaque tribus fermè millibus in naues impositis, portum Dubrensem petit, vbi cum quadraginta millium exercitu hostis aduentum Richardus exspectabat. Sed non sine Dei numine, qui omnem expeditionem regebat, classis vento abrepta & Calesium delata est. Ibi copiæ omnes sine vllo tumultu, nullo impediēte, in terram expositæ sunt. Biduo post, vulgata ipsius aduētus fama, qui eum acciuerant, viribus cum eo iunctis Londinum rectà ire statuunt. Richardus è diuerso, quadraginta aut quinquaginta armatorum millia trahens, in hostem pergit; eique Londinum tendēti, cum exercitu fit obuius. Quum tam propè essent acies vt manum conserere possent, plurimi è Richardi exercitu ad Comitem transfugiunt. Rex tamen (qui nullā tuendi sui status nisi in victoria spem habebat) pugnæ fortunam experiri statuit, & in eo certamine occubuit. Comes victoria potitus, tyranno interfecto, Londinum pergit: è mona-

monasterio Edvvardi Regis filias extrahit: & maiore in coniugem ducta, Angliæ Rex designatur. Is fuit Henricus VII. serenissimæ Anglorum reginæ Elisabethæ auus.

ALPHONSUS XI, Castellæ Rex (qui regnum iniit anno 1310. & quadraginta annos regnauit) regni hereditatem reliquit Petro filio legitimo, & Henrico ex concubina orto. Petrus, quum sæuo ingenio esset; multa nefanda admisit: Blancam coniugem, reginæ Galliæ sororem: tum fratris Henrici matrem, necauit: postremò multos Castellæ proceres quosdam exilio quosdam morte adfecit. Quibus facinoribus in odium omniũ subditorum & finitimorum incidit. Itaque Henricus, iure legitimi filiifamiliâs à Papa impetrato nobilitatis Castellæ impulsu & Caroli Sapientis Galliæ Regis ope (qui illi egregium exercitum, ductoribus Ioanne Borbonio & Bertrando Guesclino, in subsidium misit) Petrum Castellæ regno expulit. Eum princeps Cambriæ, quum in regnum restituisset, hortatus est vt omnibus qui aduersus eum arma tulerant ignoscere vellet, clementiáque vti erga subditos. Is recepit se facturum: sed iniuria & exilio efferatus odium & vltionem explere ante promissa habuit. Interea Henricus Regis Galliæ ope nouo conscripto exercitu, in Castellam improuisus irrumpit: Petrus, cum paucis & incompositis in aciem progressus, prope Montelium magna parte copiarum amissa funditur, & ab Henrico ipso obtruncatur. Quo facto, quietum Henrico regnum Castellæ relictum: Petrus sæuitia peruicaci præ-

Froiss. lib. 1. cap. 230. 231. 241. 242. 245.

Aa

ceps datus est.

TOT exemplis, quæ commemorauimus, edoceri Princeps potest (nisi planè iudicij expers sit) quàm exitialis sit Machiauelli doctrina quæ Principem ad sæuitiam erudit. Quippe neque Principes truces diu posse regnare, neque iudicia Dei vmquam truculentiam deserere, sed per violentas mortes & omne pœnarum genus in eam grassari, omnium ætatum experientia didicimus & quotidie discimus. Machiauel. confirmandæ suæ doctrinæ exemplum Seueri affert, qui immitis & sanguinarius, rei Romanæ tamen arbitrium duodeuiginti circiter annos obtinuit, & in lecto placida morte defunctus est. Sed (vt hæc ego refellam) Seueri crudelitatem rerum temporúmque status aliquãtum excusat. Quum enim competitores haberet Albinum & Nigrum, nobiliores, & quib. plures amici essent: necessariò, vt eorum opes frangeret, amicos eorum tollendos sibi esse existimauit. Plurimis tamen Albinianis pepercit, & eos sibi reconciliauit. Præterea multa sæuè aspereque exercuit vt Pertinacis optimi principis mortem vlcisceretur. Cæterum quum multas haberet egregij Principis dotes, odium sæuitiæ virtutes eius deprecabantur. Nihilo tamen mitiorem exitum quàm ceteri sæui principes nactus est. Nam (vt scribit Herod.) non minus mœrore quàm morbo consumtus est, quòd filios capitalib. odiis inter se dissidẽtes in concordiam redigere non posset, & Basianum natu maiorem patricidij manifestum tolerare cogeretur. Præterea in eo Deus Seueri crudelitatem seuerè

Dion. in Seuero. Herod. lib. 3.

vltus

vltus eſt: quòd quum omni genere ſæuitiæ fundatum Imperium firmum ſuæ ſtirpi traditurum ſe ſperaret, ſpe ſua deceptus eſt. Siquidem ex duobus eius filiis alter alterum interemit: neque Baſsianus diu poſt Getam, & à Macrino interfectus, nulla ſtirpe relicta, interiit. Quare neque Seueri exemplum Machiauelli doctrinam ſatis iuuat: neque eo vnico innumera alia eáque contraria vinci debent. Quippe non ex eo quod rarò contingit, ſed ex pluribus & frequentibus exemplis, certa regula conſtituenda eſt.

NON tantùm fœdæ ſed exitioſæ quoque crudelitatis fuit facinus, quod auſus eſt Ioannes Burgūdiæ dux aduerſus Ducem Aurelianum vnicum Regis fratrem. Nam ea multos mortales in Gallia, poſtremò ipſum quoque autorem, exſtinxit, eadem ratione qua Ducem Aurelianum ſuſtulerat. Sed quod ipſo facinore prodigioſius fuit, auſus eſt Dux defendere iure à ſe eam cædem eſſe factam: immò doctorem Theologum reperit (ei Ioanni Paruo nomen erat) qui theologicis argumentis facinus illud pulchrum, laude ac præmio dignum eſſe, ſine vllo pudore contenderet. Habet equidem noſtra hæc ætas multos eiuſcemodi doctores lagenarios, patronos & defenſores ſcelerum. Sed vt is tamdem mendacij & calumniæ conuictus, & eius θέσεις hæreſeos damnatæ ſunt, ita Dominus ſimilia hodie auſos ſimili exitio inuoluet. Verùm, vt aſinum ex auriculis agnoſcamus, eius orationem innectere infrà libuit.

Monſtrel. lib. 1 cap. 38. 39. 112.

IOANNES ergo Burgundiæ Dux, quum Lutetiæ vi & armis plus poſſet, vt cædem abs ſe

factam purgaret, conuentum habere instituit. Ei concilio interfuere, Delphinus, Siciliæ rex, Cardinalis Barius, Biturigum, Britanniæ & Lotharingiæ duces, plurimi Comites, Barones, Proceres, Rector Academiæ Parisiensis, & multi cum eo Doctores, docti viri, & ciues. Eò introductus per accensum magister Ioannes Paruus Doctor theologus, in conspectum totius cœtus productus est vt Ducis Burgundiæ iustificationes exponeret. Silentio igitur ab omnibus facto, eiuscemodi orationem exorsus est: Dux Burgundiæ Princeps meus (præstantissimi viri) Comes Flandriæ & Artesij, bis Franciæ Par & Parium Decanus, Regiam Maiestatem summum suum Principem adiit, vt ei cum omni reuerentia fidem & obsequium exhibeat: sicuti quadruplici obligatione ei præstare tenetur, vt Doctores Theologiæ, Iuris Canonici & Ciuilis, vulgò definiunt. Earum obligationum prima est, Proximi erga proximum: altera, Propinqui aduersus propinquum: tertia, Vassalli erga Seniorem & patronum: quarta, non modò vetat ne subditus Principem offendat, sed iubet quoque vt iniurias illi factas propulset. Sunt & aliæ obligationes quæ illum Regi deuinciunt, nempe quòd Rex tantum Duci Burgundiæ tribuerit vt eius filiam Delphino filio suo, suam quoque filiam Michaelam eius filio, iungi voluerit. Et vt dicit D. Gregorius, *Quum crescunt dona, crescunt rationes donorum.* Hæ omnes obligationes Ducem Burgundiæ mouerunt vt Aurelianum ducem nuper mortuum tolleret. Quippe hoc facinus summo Regis ipsius, liberorum

Oratio Doctoris Theologi, iniustam cædem defendentis.

liberorum eius,& totius Regni bono, perpetratum est:sicuti ego ita perspicuè demonstrabo vt me omnibus satisfacturum putem. Dux enim Burgundiæ mihi expresso mandato onus hoc imposuit, iussitq. vt iustificationem suam vobis exponerem. Quod quidem duabus de caussis illi negare non ausus sum. Primò propter iusiurandum quo ante tres annos operam meam illi obstrinxi. Secundò, quia annuum stipēdium bonum & opimum mihi attribuit, quo studia mea fouerem: quum consideraret mihi tenuis admodum reditus sacerdotium obtigisse. Sed quum rem ipsam mecum reputo, de quà coram illustri hoc cœtu agere institui, toto animo contremisco. Nam agnosco me esse exigui ingenij, imbecillæ mentis & nullius memoriæ, immò quidquid etiam iudicij habere consueueram, id totum me deseruit. Itaq. nihil ad eam rē video superesse consilij aut remedij nisi vt Deo creatori, gloriosæ ipsius matri, & domino meo B. Ioanni Euangelistæ, theologorum principi, memet commendem. Fortè autem mihi dixerit aliquis non esse Theologi sed Iurisconsulti dictam iustificationem peragere. Cui ego respondeo, Mihi quidem hoc non conuenire, qui nec Iurisperitus nec Theologus sum, sed imperitus & rudis homo, quem ingenium & memoria deficiunt: posse tamen defendi, Doctoris theologi esse munus, domino & patrono suo patrocinari, & verum profiteri. Nemo igitur mirari debet, si quamuis imperitam linguam meam Principi & mæcenati meo commodo, qui me fouit, & Deo fauente, porrò etiam fouebit. Nam

difficillimo ipsius & maximè necessario tempore hanc ego illi operam do, vt si qui eam ob rem me accusent, mihi valdè ipsi peccare videantur. Quamobrem vt eam Iustificationem ordiar, thema & argumentum mihi desumam ex eo quod dicit D. Paulus. *Radix omnium malorum Cupiditas quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Hæc verba habentur 1. ad Tim. sexto. Posset hîc mihi opponi, Superbiam omnium malorum esse radicem, quia omnum peccatorum primum est, & Lucifer ambitione è cælis ad inferos præceps datus est: tum quia 10. cap. Ecclesiastici scriptum est, *Initium omnis peccati superbia.* Posset igitur ex eo loco argui, Cupiditatem non esse radicem. Sed respondeo, tres esse Cupiditatis species: Vnam Honorum, alterã Diuitiarum, tertiam Voluptatum. Atqui prima species Superbiam complectitur. Ergo, &c. ista Honoris cupiditas vanam etiam gloriam, iram, odium, inuidiam, in se continet. Itaque qui ea libidine ducitur, vana quoque gloria ardet & ira aduersus dominum suum, cuius locum tenere vellet: simúlque eum odio & inuidia prosequitur. Ea omnia crimina simul colligata, quæ à Cupiditate oriuntur, quum aduersus Principem commissa sunt, læsæ Maiestatis vocantur. quo criminum genere nullum grauius est. Hoc primum caput sit mei thematis, Dominam cupiditatem radicem esse omnium malorum. Secundò, Homines perfidos reddit. Nam dominandi libidine, contra fidem & sacramentum, quiduis moliuntur in Principem. Porro vt Iustificationem Domini mei Ducis Burgundiæ ordine

ordine & via qua decet exſequar, locum illum de Cupiditate quem citaui pro maiori propoſitione mihi ſumam: inde ad minorem ſeu aſſumtionem veniam, poſtremò ad concluſionem.

Qvo facilius Maiorem probem, ſubſternere mihi libet Octo veritates principales, veluti fundamenta totius defenſionis: iis adiungere octo alias concluſiones tamquam corollaria, quibus velut columnis, innitatur Domini mei Ducis iuſtificatio.

Prima Veritas eſt, Omnem ſubditum aut vaſſalſum qui cupiditate adductus machinatur perniciem Regi & principi ſuo vt illum imperio & vita exuat, læſæ Maieſtatis crimine teneri & duplici morte dignum eſſe, prima videlicet & ſecunda. Id ex eo probo, quòd omnis ſubditus & cliens fidem frangens Principi, peccatum mortale admittit. Ergo, &c. Item probo ex D. Gregorio, *Tyrannus* (inquit) *eſt propriè qui non dominus reputatur, non iuſtè principatur, aut non principatu decoratur.* Item ex D. Ioanne Euang. *Qui viuit* (inquit) *non morietur, nec lædetur à morte ſecunda:* id eſt, qui Cupiditatem & tres eius filias, Iram, inimicitiam & inuidiam, vicerit, numquam æternùm damnabitur. Lepida gloſſa.

Secvnda Veritas, Quo in crimine vaſſallus aut ſubditus duplicem mortem meretur, vaſſallum tamen maiori ſupplicio dignũ eſſe quàm ſimplicem ſubditum: Baronem maiori quàm ſimplicem vaſſallum, Comitem quàm Baronem, Ducem quàm Comitem, & Regis propinquum quam Externum. Id ex eo probo, quòd inter mul

tos gradus maior eſt obligatio Ducis aut conſan guinei Regis erga Regem, quàm vel Comitis, vel Baronis, vel Vaſſalli. Ergo creſcere quoque debet ſupplicium. nam quum gradus obligationum & prærogatiuæ reſpondeant gradibus pœnarum: quo illæ maiores ſunt, hæ quoque grauiores eſſe debent. Sed & alio argumento enuntiatum iſtud probo: Maius ſcãdalum eſt, quum Dux aliquis aut regiæ ſtirpis Princeps, perniciem Regi aut ipſius ſtatui molitur, quàm ſi idem tentaret vilis ſubditus. Ergo quo maius eſt offendiculum, eo atrociorem pœnam eſſe oportet. Tertiò, quum maius periculum immineat à potenti quàm ab humili: ergo remedium, id eſt ſupplicium, maius eſſe decet, vt cohibeantur nobiles & potentes ne Satanæ & Cupiditati ſeruiant.

TERTIA veritas erit, Quum vaſſallus Maieſtatis reus, duplicis mortis pœnæ ſeſe obſtringat, licere vnicuique ſubdito, ex legibus moralibus, naturalibus & diuinis, abſque vllo mandato perfidum illum hominem interficere: neque tantùm id licitum eſſe, ſed etiam honeſtum & meritorium. Hanc veritatem XII rationibus confirmo, in honorem ſacroſanctæ Theologiæ. Prima eſt Doctoris qui in ſecundum librum Magiſtri Sentent. ſic ſcripſit, *Qui ad liberationem patriæ Tyrannum occidit, præmium accipit, & facit opus laudabile & meritorium.* Secunda autoritas eſt Doctoris Salceberæ, qui in libro ſuo Policratum ſic dicit, *Amico adulari non licet ſed aurem tyranni mulcere licitum eſt. quia ei licet adulari quem licet occidere.* Tertia eſt multorum Theologorum, quos in vnum

vnum aceruum colligam, ne trium numerum excedam, Richardi videlicet Myvillei, Alexandri Hallensis, & Astensis, qui dictam conclusionem tuentur. Maioris confirmationis caussa adiungo autoritatem D. Petri qui dicit, *Subditi estote Regi quasi praecellenti.* Tres posteriores meæ rationes nituntur autoritate trium Philosophorum moralium. Prima, *Licitum & laudabile est cuilibet subditorum Tyrannum occidere.* Secunda est M. Tullij qui scribit in Officiis, Iulij Cæsaris interfectores dignos esse laude, propterea quòd is Romæ principatum per tyrannidem inuasisset. Tertia Boccacij est, qui dicit Licere coniurationem facere & arma capere aduersus Tyrannum, & rem esse sanctissimam & maximè necessariam: neque Tyrannum Regis aut Principis nomen mereri: nec Tyranni cæde vllum Deo gratius esse sacrificium. Huic subiungam autoritatem Iurisconsultorum. Sed quia ego non sum Legista, leges ipsas non proferam, sententiam earum tantùm exponam. Nam duos tantùm annos Iuri ciuili & canonico dedi operam, idque ante viginti annos: itaque non nisi pauca admodum discere mihi licuit, & pauca etiam illa longo temporis spatio effluxerunt. Prima autoritas è Iure ciuili hæc est: Posse iure occidi equestris ordinis & militiæ desertores. Quis verò desertor militiæ iustius vocandus est quàm qui Regem deserit, qui summus equitum & militiæ imperator est? Secunda, Licere cuiuis grassatores necare, qui itinera infestant. Ergo Tyrannum interimere, qui assiduè insidiatur legitimo Principi. Tertia, Licere latro-

nem noctu domi suę deprehēsum occidere. Ergo multo iustius Tyrannū, qui dies & noctes Principi exitiū struit. Venio nūc ad testimonia Scripturæ. Primam autoritatem suppeditat exēplum Mosis, qui sine autoritate Ægyptium sua manu interfecit. Tum enim Moses nullam Iudicis aut Magistratus autoritatem habebat in populum, quæ illi quadraginta annis post illud facinus data est. Secunda petitur ab exemplo Phinees, qui sine vllo imperio occidit ducem Zambri, quòd cum Saracena sese miscuisset: ex quo facto præmium triplex adeptus est, videlicet Amorem, Laudem & Diuitias. Tertia autoritas ducitur à S. Michaele Archangelo, qui sine Dei mandato aut alterius cuiusquam Luciferum tyrannum interemit, Deo principi suo infidelem, & ipsius principatum inuadere molientem. Itaque S. Michael triplici præmio liberaliter decoratus est, Honore videlicet, Amore, & Diuitiis. Amore, quia illum Deus supra ceteros Angelos amat. Honore, quia Deus illum cælestis exercitus perpetuum principem constituit. Diuitiis, quia Deus tantas illi opes largitus est quantas habere voluit, & efferre potuit. Ita ergo ritè probata est tertia mea Veritas, & confirmata XII. rationibus in nomine XII Apostolorum: quarum rationum tres à Theologis petitæ sunt, tres à philosophis Moralibus, tres à Iurisconsultis, tres postremæ è Scriptura. Ita ternæ semper incedunt.

QVARTA mea Veritas talis est. Multo magis meritorium & honestum est Tyrannum occidi à consanguineo Regis quàm ab externo: & à Duce quàm

quàm à Comite: & à Barone quàm à ſimplici vaſſallo. Ita enim melius elucet interfectoris obedientia & caritas erga Principem: & magis honorificum eſt Regi, defendi à nobili quàm ab obſcuro & tenui homine.

QVINTA mea Veritas, Pacificationes, promiſſa, ſacramenta, fœdera, non debere ſeruari, ſi ex iis Princeps aut Reſpubl. detrimentum accipiant: quippe ea ſeruando leges morales & diuinas violari. Eam ſic confirmo. Quoties duæ obligationes contrariæ concurrunt, maior ſeruanda eſt & abiicienda minor. Atqui in caſu propoſito, obligatio erga Principem & Rempubl. maior eſt omni Iureiurando, promiſſo & fœdere. Ergo, &c. Iterum ſic arguo. Quoties aliquis melius & amplius aliquid facit quàm quod iurauit ſe facturum, periurij non tenetur. ſicuti diſertè dicit Magiſter Sent. 3. libr. diſtinct. vltima. Atqui in caſu propoſito, ſatius eſt occidere tyrannum, etiamſi quis iurauerit non occiſurum, quàm vitam ei concedere: ſicuti ſuprà demonſtratum eſt. Ergo neque improbi neque periuri hominis eſt Tyrannum occidiſſe, etiam contra promiſſum, contra iuſiurandum aut fœdus cum eo ictum.

SEXTA Veritas. Si fortè eiuſcemodi pacta, conuenta, promiſſa, fœdera, vni ſtipulantium damnoſa ſint, non tenetur iis ſeruandis. Hanc ita confirmo: *Finis praecepti, eſt Charitas*, inquit Apoſtolus. Atqui prima Charitas incipit à nobis. Ergo præceptum fidei in promiſsis &c. ſeruandæ negligi debet, ſi contrarium eſt charitati quam debemus habere erga noſmetipſos. Iuxta id quod

vulgò fertur, *Frangenti fidem fides frangatur eidem.*

VII Veritas. Licitum & meritorium est cuique subdito Tyrãnum dolo & insidiis necare, ac dissimulare vt id facere possit. Quod primùm testimonio superius citato Boccacij probo. Adhęc exemplo regis Iehu, qui simulauit sę probare religionem Baalis, vt sacerdotes comprehenderet: & ex eo laudatur. Item exemplo Ioiada, qui per insidias Athaliam interfici fecit: vnde etiam cómẽdatur. Præterea facto Iudith, quæ Holophernem dissimulando & illecebris irretiuit: & laudis præmium tulit. Nullus sanè conuenientior & dignior tyrannis potest contingere exitus, quàm si dolo & insidiis tollantur.

VIII Veritas. Quicumq. subditus, libidine inuadendi principatus, Principi exitium machinatur adhibita Necromantia & dæmonum inuocatione, fidem Catholicam corrumpit, & duplici morte, prima & secunda, dignus est. Nam (vt D. Bonauentura lib. 2. distinct. 6. scribit) numquam Diabolus istorum hominum voluntati obsequitur, quin primùm idololatria & infidelitas in iis mistæ sint. Quemadmodum enim diuinorum miraculorum operationem fides multùm adiuuat: ita ad diabolicorum operum effectionem infidelitas necessaria est.

OCTO Veritates, seu vera enunciata, satis superque à me confirmata sunt: sequuntur octo Corollaria. Primum est: Siquos eiuscemodi dæmonum inuocatores, proditores & Regi infideles in vincula coniectos, aliquis particeps scelerum aut minister liberet, pari cum illis pœna puniri debet,

debet, morte videl. prima & ſecunda. II. Omnis ſubditus qui cum altero paciſcitur, vt Principem ſuum veneno tollat, etiamſi effectus conſilium non ſequatur, capitali tamen pœna dignus eſt. III. Omnis ſubditus qui per ſpeciem ludicri veſtibus Principem ſuum induit, & ignem iniicit vt eum exurat, duplicem quoque mortem meretur. IIII. Omnis ſubditus qui fœdus facit cum capitalibus Regni & Regis hoſtibus, capitis reus eſt. V. Omnis ſubditus qui clanculum inter Regem ac Reginá ſimultates ſerit, Reginę ſuadẽs vt cum liberis Regno excedat, quaſi Rex eam odio habeat, & ſuam ea in re operam offerens, capite plecti debet. VI. Omnis ſubditus qui Papæ falſa ſcribit, atq. illi ſuadere conatur Principem ſuum minimè regno idoneum eſſe, neque adeò ipſius filios poſt eum, morte quoque dignus eſt. VII. Tyrannus qui concordiam Eccleſiæ impedit, & Cleri conſultationes ad vtilitatem Eccleſiæ, pro hæretico & ſchiſmatico puniri debet, & dignus eſt cui terra dehiſcat, vt eum abſorbeat, ſicuti Core, Datham & Abiron. VIII. Subditus qui veneficiis mortem Principi & liberis eius machinatur, capitis pœnam quoque meretur. Poſtremum hoc erit: Omnis ſubditus qui militibus immiſsis populum vexat & agros Principis ſui populatur: quíque pecunias exigit & erogat pro libidine, & iis abutitur ad fœdera cum hoſtib. Principis ſui facienda, puniri debet tamquam tyrannus morte prima & ſecunda. Atque hîc maioris meæ finis ſit.

NVNC vt minorem meam declarem, demon-

xit, quos diuersis suppliciis exstinxit. Ita fundato statu, quietem tamē quam sperabat, diu non obtinuit. Deus enim illi excitauit aduersarium, Comitem Richemontium, qui Eboracensi ex familia erat, paruis opibus, nec viribus nec pecunia instructum, & paulo antè in Britannia captiuum. Illum aliquot Angliæ proceres occultis nunciis cohortati sunt: veniret intrepidè in Angliam: si posset duobus aut tribus millibus militum portum aliquem tenere, populum vniuersum illius futurum, regnúmque Angliæ in ipsius manus daturum. Comes Carolum VIII. adit: impetrat, & eius permissu conscribit in Normania milites. Itaque tribus fermè millibus in naues impositis, portum Dubrensem petit, vbi cum quadraginta millium exercitu hostis aduentum Richardus exspectabat. Sed non sine Dei numine, qui omnem expeditionem regebat, classis vento abrepta & Calesium delata est. Ibi copiæ omnes sine vllo tumultu, nullo impediente, in terram expositæ sunt. Biduo post, vulgata ipsius aduētus fama, qui cum acciuerant, viribus cum eo iunctis Londinum rectà ire statuunt. Richardus è diuerso, quadraginta aut quinquaginta armatorum millia trahens, in hostem pergit: eique Londinum tendēti, cum exercitu fit obuius. Quum tam propè essent acies, vt manum conferere possent, plurimi è Richardi exercitu ad Comitem transfugiunt. Rex tamen (qui nullā tuendi sui status nisi in victoria spem habebat) pugnæ fortunam experiri statuit, & in eo certamine occubuit. Comes victoria potitus, tyranno interfecto, Londinum pergit: è mona-

monasterio Edvvardi Regis filias extrahit: & maiore in coniugem ducta, Angliæ Rex designatur. Is fuit Henricus VII. serenissimæ Anglorum reginæ Elisabethæ auus.

ALPHONSUS XI, Castellæ Rex (qui regnum iniit anno 1310. & quadraginta annos regnauit) regni hereditatem reliquit Petro filio legitimo, & Henrico ex concubina orto. Petrus, quum sæuo ingenio esset, multa nefanda admisit: Blancam coniugem, reginæ Galliæ sororem: tum fratris Henrici matrem, necauit: postremò multos Castellæ proceres quosdam exilio quosdam morte adfecit. Quibus facinoribus in odium omniū subditorum & finitimorum incidit. Itaque Henricus, iure legitimi filiifamiliâs à Papa impetrato nobilitatis Castellæ impulsu & Caroli Sapientis Galliæ Regis ope (qui illi egregium exercitum, ductoribus Ioanne Borbonio & Bertrando Guesclino, in subsidium misit) Petrum Castellæ regno expulit. Eum princeps Cambriæ, quum in regnum restituisset, hortatus est vt omnibus qui aduersus eum arma tulerant ignoscere vellet, clementiáque vti erga subditos. Is recepit se facturum: sed iniuria & exilio efferatus odium & vltionem explere ante promissa habuit. Interea Henricus Regis Galliæ ope nouo conscripto exercitu, in Castellam improuisus irrumpit: Petrus, cum paucis & incompositis in aciem progressus, prope Montelium magna parte copiarum amissa funditur, & ab Henrico ipso obtruncatur. Quo facto, quietum Henrico regnum Castellæ relictum: Petrus sæuitia peruicaci præ-

Froiss. lib. 1. cap. 230 231. 241. 242. 245.

Aa

ceps datus est.

TOT exemplis, quæ commemorauimus, edoceri Princeps potest (nisi planè iudicij expers sit) quàm exitialis sit Machiauelli doctrina quæ Principem ad sæuitiam erudit. Quippe neque Principes truces diu posse regnare, neque iudicia Dei vmquam truculentiam deserere, sed per violentas mortes & omne pœnarum genus in eam grassari, omnium ætatum experientia didicimus & quotidie discimus. Machiauel. confirmandæ suæ doctrinæ exemplum Seueri affert, qui immitis & sanguinarius, rei Romanæ tamen arbitrium duodeuiginti circiter annos obtinuit, & in lecto placida morte defunctus est. Sed (vt hæc ego refellam) Seueri crudelitatem rerum temporúmque status aliquãtum excusat. Quum enim competitores haberet Albinum & Nigrum, nobiliores, & quib. plures amici essent: necessariò, vt eorum opes frangeret, amicos eorum tollendos sibi esse existimauit. Plurimis tamen Albinianis pepercit, & eos sibi reconciliauit. Præterea multa sæuè asperéque exercuit vt Pertinacis optimi principis mortem vlcisceretur. Cæterum quum multas haberet egregij Principis dotes, odium sæuitiæ virtutes eius deprecabantur. Nihilo tamen mitiorem exitum quàm ceteri sæui principes nactus est. Nam (vt scribit Herod.) non minus mœrore quàm morbo consumtus est, quòd filios capitalib. odiis inter se disidẽtes in concordiam redigere non posset, & Basianum natu maiorem patricidij manifestum tolerare cogeretur. Præterea in eo Deus Seueri crudelitatem seuerè vltus

Dion. in Seuero. Herod. lib. 3.

vltus eſt: quòd quum omni genere ſæuitiæ fundatum Imperium firmum ſuæ ſtirpi traditurum ſe ſperaret, ſpe ſua deceptus eſt. Siquidem ex duobus eius filiis alter alterum interemit: neque Baſsianus diu poſt Getam, & à Macrino interfectus, nulla ſtirpe relicta, interiit. Quare neque Seueri exemplum Machiauelli doctrinam ſatis iuuat: neque eo vnico innumera alia eáque contraria vinci debent. Quippe non ex eo quod rarò contingit, ſed ex pluribus & frequentibus exemplis, certa regula conſtituenda eſt.

NON tantùm fœdæ ſed exitioſæ quoque crudelitatis fuit facinus, quod auſus eſt Ioannes Burgũdiæ dux aduerſus Ducem Aurelianum vnicum Regis fratrem. Nam ea multos mortales in Gallia, poſtremò ipſum quoque autorem, exſtinxit, eadem ratione qua Ducem Aurelianum ſuſtulerat. Sed quod ipſo facinore prodigioſius fuit, auſus eſt Dux defendere iure à ſe eam cædem eſſe factam: immò doctorem Theologum reperit (ei Ioanni Paruo nomen erat) qui theologicis argumentis facinus illud pulchrum, laude ac præmio dignum eſſe, ſine vllo pudore contenderet. Habet equidem noſtra hæc ætas multos eiuſcemodi doctores lagenarios, patronos & defenſores ſcelerum. Sed vt is tamdem mendacij & calumniæ conuictus, & eius θέσεις hæreſeos damnatæ ſunt, ita Dominus ſimilia hodie auſos ſimili exitio inuoluet. Verùm, vt aſinum ex auriculis agnoſcamus, eius orationem innectere infrà libuit.

Monſtrel. lib. 1 cap. 38. 39. 112.

IOANNES ergo Burgundiæ Dux, quum Lutetiæ vi & armis plus poſſet, vt cædem abs ſe

factam purgaret, conuentum habere instituit. Ei concilio interfuere, Delphinus, Siciliæ rex, Cardinalis Barius, Biturigum, Britanniæ & Lotharingiæ duces, plurimi Comites, Barones, Proceres, Rector Academiæ Parisiensis, & multi cum eo Doctores, docti viri, & ciues. Eò introductus per accensum magister Ioannes Paruus Doctor theologus, in conspectum totius cœtus productus est vt Ducis Burgundiæ iustificationes exponeret. Silentio igitur ab omnibus facto, eiuscemodi orationem exorsus est: Dux Burgundiæ Princeps meus (præstantissimi viri) Comes Flandriæ & Artesij, bis Franciæ Par & Parium Decanus, Regiam Maiestatem summum suum Principem adiit, vt ei cum omni reuerentia fidem & obsequium exhibeat: sicuti quadruplici obligatione ei præstare tenetur, vt Doctores Theologiæ, Iuris Canonici & Ciuilis, vulgò definiunt. Earum obligationum prima est, Proximi erga proximum: altera, Propinqui aduersus propinquum: tertia, Vassalli erga Seniorem & patronum: quarta, non modò vetat ne subditus Principem offendat, sed iubet quoque vt iniurias illi factas propulset. Sunt & aliæ obligationes quæ illum Regi deuinciunt, nempe quòd Rex tantum Duci Burgundiæ tribuerit vt eius filiam Delphino filio suo, suam quoque filiam Michaelam eius filio, iungi voluerit. Et vt dicit D. Gregorius, *Quum crescunt dona, crescunt rationes donorum.* Hæ omnes obligationes Ducem Burgundiæ mouerunt vt Aurelianum ducem nuper mortuum tolleret. Quippe hoc facinus summo Regis ipsius, liberorum

Oratio Doctoris Theologi, iniustam cædem defendentis.

liberorum eius,& totius Regni bono, perpetratum est:ficuti ego ita perspicuè demonstrabo vt me omnibus satisfacturum putem. Dux enim Burgundiæ mihi expresso mandato onus hoc imposuit, iussitq. vt iustificationem suam vobis exponerem. Quod quidem duabus de caussis illi negare non ausus sum. Primò propter iusiurandum quo ante tres annos operam meam illi obstrinxi. Secundò, quia annuum stipēdium bonum & opimum mihi attribuit, quo studia mea fouerem: quum consideraret mihi tenuis admodum reditus sacerdotium obtigisse. Sed quum rem ipsam mecum reputo, de qua coram illustri hoc cœtu agere institui, toto animo contremisco. Nam agnosco me esse exigui ingenij, imbecillæ mentis & nullius memoriæ, immò quidquid etiam iudicij habere consueueram, id totum me deseruit. Itaq. nihil ad eam rē video superesse consilij aut remedij nisi vt Deo creatori, gloriosæ ipsius matri, & domino meo B. Ioanni Euangelistæ, theologorum principi, memet commendem. Fortè autem mihi dixerit aliquis non esse Theologi sed Iurisconsulti dictam iustificationem peragere. Cui ego respondeo, Mihi quidem hoc non conuenire, qui nec Iurisperitus nec Theologus sum, sed imperitus & rudis homo, quem ingenium & memoria deficiunt: posse tamen defendi, Doctoris theologi esse munus, domino & patrono suo patrocinari, & verum profiteri. Nemo igitur mirari debet, si quamuis imperitam linguam meam Principi & mæcenati meo commodo, qui me fouit, & Deo fauente, porrò etiam fouebit. Nam

difficillimo ipſius & maximè neceſſario tempore hanc ego illi operam do, vt ſiqui eam ob rem me accuſent, mihi valdè ipſi peccare videantur. Quamobrem vt eam Iuſtificationem ordiar, thema & argumentum mihi deſumam ex eo quod dicit D. Paulus. *Radix omnium malorum Cupiditas quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Hæc verba habentur 1. ad Tim. ſexto. Poſſet hîc mihi opponi, Superbiam omnium malorum eſſe radicem, quia omnum peccatorum primum eſt, & Lucifer ambitione è cælis ad inferos præceps datus eſt: tum quia 10. cap. Eccleſiaſtici ſcriptum eſt, *Initium omnis peccati ſuperbia.* Poſſet igitur ex eo loco argui, Cupiditatem non eſſe radicem. Sed reſpondeo, tres eſſe Cupiditatis ſpecies: Vnam Honorum, alterã Diuitiarum, tertiam Voluptatum. Atqui prima ſpecies Superbiam complectitur. Ergo, &c. iſta Honoris cupiditas vanam etiam gloriam, iram, odium, inuidiam, in ſe continet. Itaque qui ea libidine ducitur, vana quoque gloria ardet & ira aduerſus dominum ſuum, cuius locum tenere vellet: ſimúlque eum odio & inuidia proſequitur. Ea omnia crimina ſimul colligata, quæ à Cupiditate oriuntur, quum aduerſus Principem commiſſa ſunt, læſæ Maieſtatis vocantur. quo criminum genere nullum grauius eſt. Hoc primum caput ſit mei thematis, Dominam cupiditatem radicem eſſe omnium malorum. Secundò, Homines perfidos reddit. Nam dominandi libidine, contra fidem & ſacramentum, quiduis moliuntur in Principem. Porro vt Iuſtificationem Domini mei Ducis Burgundiæ

ordine

ordine & via qua decet exsequar, locum illum de Cupiditate quem citaui pro maiori propositione mihi sumam: inde ad minorem seu assumtionem veniam, postremò ad conclusionem.

Qvo facilius Maiorem probem, substernere mihi libet Octo veritates principales, veluti fundamenta totius defensionis: iis adiungere octo alias conclusiones tamquam corollaria, quibus velut columnis, innitatur Domini mei Ducis iustificatio.

Prima Veritas est, Omnem subditum aut vassallum qui cupiditate adductus machinatur perniciem Regi & principi suo vt illum imperio & vita exuat, lęsæ Maiestatis crimine teneri & duplici morte dignum esse, prima videlicet & secunda. Id ex eo probo, quòd omnis subditus & cliens fidem frangens Principi, peccatum mortale admittit. Ergo, &c. Item probo ex D. Gregorio, *Tyrannus* (inquit) *est propriè qui non dominus reputatur, non iustè principatur, aut non principatu decoratur.* Item ex D. Ioanne Euang. *Qui vicit* (inquit) *non morietur, nec lædetur à morte secunda:* id est, qui Cupiditatem & tres eius filias, Iram, inimicitiam Lepida
& inuidiam, vicerit, numquam æternùm damnabitur. glossa.

Secvnda Veritas, Quo in crimine vassallus aut subditus duplicem mortem meretur, vassallum tamen maiori supplicio dignũ esse quàm simplicem subditum: Baronem maiori quàm simplicem vassallum, Comitem quàm Baronem, Ducem quàm Comitem, & Regis propinquum quam Externum. Id ex eo probo, quòd inter mul

tos gradus maior est obligatio Ducis aut consanguinei Regis erga Regem, quàm vel Comitis, vel Baronis, vel Vassalli. Ergo crescere quoque debet supplicium. nam quum gradus obligationum & prærogatiuæ respondeant gradibus pœnarum: quo illæ maiores sunt, hæ quoque grauiores esse debent. Sed & alio argumento enuntiatum istud probo: Maius scãdalum est, quum Dux aliquis aut regiæ stirpis Princeps, perniciem Regi aut ipsius statui molitur, quàm si idem tentaret vilis subditus. Ergo quo maius est offendiculum, eo atrociorem pœnam esse oportet. Tertiò, quum maius periculum immineat à potenti quàm ab humili: ergò remedium, id est supplicium, maius esse decet, vt cohibeantur nobiles & potentes ne Satanæ & Cupiditati seruiant.

TERTIA veritas erit, Quum vassallus Maiestatis reus, duplicis mortis pœnæ sese obstringat, licere vnicuique subdito, ex legibus moralibus, naturalibus & diuinis, absque vllo mandato perfidum illum hominem interficere: neque tantùm id licitum esse, sed etiam honestum & meritorium. Hanc veritatem XII rationibus confirmo, in honorem sacrosanctæ Theologiæ. Prima est Doctoris qui in secundum librum Magistri Sententiarum sic scripsit, *Qui ad liberationem patriæ Tyrannum occidit, præmium accipit, & facit opus laudabile & meritorium.* Secunda autoritas est Doctoris Salcebræ, qui in libro suo Policratum sic dicit, *Amico adulari non licet sed aurem tyranni mulcere licitum est. quia ei licet adulari quem licet occidere.* Tertia est multorum Theologorum, quos in

vnum

vnum aceruum colligam, ne trium numerum excedam, Richardi videlicet Myvillei, Alexandri Hallensis, & Astensis, qui dictam conclusionem tuentur. Maioris confirmationis caussa adiungo autoritatem D. Petri qui dicit, *Subditi estote Regi quasi præcellenti.* Tres posteriores meæ rationes nituntur autoritate trium Philosophorum moralium. Prima, *Licitum & laudabile est cuilibet subditorum Tyrannum occidere.* Secunda est M. Tullij qui scribit in Officiis, Iulij Cæsaris interfectores dignos esse laude, propterea quòd is Romæ principatum per tyrannidem inuasisset. Tertia Boccacij est, qui dicit Licere coniurationem facere & arma capere aduersus Tyrannum, & rem esse sanctissimam & maximè necessariam: neque Tyrannum Regis aut Principis nomen mereri: nec Tyranni cæde vllum Deo gratius esse sacrificium. Huic subiungam autoritatem Iurisconsultorum. Sed quia ego non sum Legista, leges ipsas non proferam, sententiam earum tantùm exponam. Nam duos tantùm annos Iuri ciuili & canonico dedi operam, ídque ante viginti annos: itaque non nisi pauca admodum discere mihi licuit, & pauca etiam illa longo temporis spatio effluxerunt. Prima autoritas è Iure ciuili hæc est: Posse iure occidi equestris ordinis & militiæ desertores. Quis verò desertor militiæ iustius vocandus est quàm qui Regem deserit, qui summus equitum & militiæ imperator est? Secunda, Licere cuiuis grassatores necare, qui itinera infestant. Ergo Tyrannum interimere, qui assiduè insidiatur legitimo Principi. Tertia, Licere latro-

nem noctu domi suę deprehēsum occidere. Ergo multo iustius Tyrannū, qui dies & noctes Principi exitiū struit. Venio nūc ad testimonia Scripturæ. Primam autoritatem suppeditat exēplum Mosis, qui sine autoritate Ægyptium sua manu interfecit. Tum enim Moses nullam Iudicis aut Magistratus autoritatem habebat in populum, quæ illi quadraginta annis post illud facinus data est. Secunda petitur ab exemplo Phinees, qui sine vllo imperio occidit ducem Zambri, quòd cum Saracena sese miscuisset: ex quo facto præmium triplex adeptus est, videlicet Amorem, Laudem & Diuitias. Tertia autoritas ducitur à S. Michaele Archangelo, qui sine Dei mandato aut alterius cuiusquam Luciferum tyrannum interemit, Deo principi suo infidelem, & ipsius principatum inuadere molientem. Itaque S. Michael triplici præmio liberaliter decoratus est, Honore videlicet, Amore, & Diuitiis. Amore, quia illum Deus supra ceteros Angelos amat. Honore, quia Deus illum cælestis exercitus perpetuum principem constituit. Diuitiis, quia Deus tantas illi opes largitus est quantas habere voluit, & efferre potuit. Ita ergo ritè probata est tertia mea Veritas, & confirmata XII. rationibus in nomine XII Apostolorum: quarum rationum tres à Theologis petitæ sunt, tres à philosophis Moralibus, tres à Iurisconsultis, tres postremæ è Scriptura. Ita ternæ semper incedunt.

QVARTA mea Veritas talis est. Multo magis meritorium & honestum est Tyrannum occidi à consanguineo Regis quàm ab externo: & à Duce quàm

quàm à Comite: & à Barone quàm à ſimplici vaſſallo. Ita enim melius elucet interfectoris obedientia & caritas erga Principem: & magis honorificum eſt Regi, defendi à nobili quàm ab obſcuro & tenui homine.

QVINTA mea Veritas, Pacificationes, promiſſa, ſacramenta, fœdera, non debere ſeruari, ſi ex iis Princeps aut Reſpubl. detrimentum accipiant: quippe ea ſeruando leges morales & diuinas violari. Eam ſic confirmo. Quoties duæ obligationes contrariæ concurrunt, maior ſeruanda eſt & abiicienda minor. Atqui in caſu propoſito, obligatio erga Principem & Rempubl. maior eſt omni Iureiurando, promiſſo & fœdere. Ergo, &c. Iterum ſic arguo. Quoties aliquis melius & amplius aliquid facit quàm quod iurauit ſe facturum, periurij non tenetur. ſicuti diſertè dicit Magiſter Sent. 3. libr. diſtinct. vltima. Atqui in caſu propoſito, ſatius eſt occidere tyrannum, etiamſi quis iurauerit non occiſurum, quàm vitam ei concedere: ſicuti ſuprà demonſtratum eſt. Ergo neque improbi neque periuri hominis eſt Tyrannum occidiſſe, etiam contra promiſſum, contra iuſiurandum aut fœdus cum eo ictum.

SEXTA Veritas. Si fortè eiuſcemodi pacta, conuenta, promiſſa, fœdera, vni ſtipulantium damnoſa ſint, non tenetur iis ſeruandis. Hanc ita confirmo: *Finis praecepti, eſt Charitas*, inquit Apoſtolus. Atqui prima Charitas incipit à nobis. Ergo præceptum fidei in promiſsis &c. ſeruandæ negligi debet, ſi contrarium eſt charitati quam debemus habere erga noſmetipſos. Iuxta id quod

vulgò fertur, *Frangenti fidem fides frangatur eidem.*

VII Veritas. Licitum & meritorium est cuique subdito Tyrãnum dolo & insidiis necare, ac dissimulare vt id facere possit. Quod primùm testimonio superius citato Boccacij probo. Adhęc exemplo regis Iehu, qui simulauit se probare religionem Baalis, vt sacerdotes comprehenderet: & ex eo laudatur. Item exemplo Ioiada, qui per insidias Athaliam interfici fecit: vnde etiam cōmēdatur. Præterea facto Iudith, quæ Holophernem dissimulando & illecebris irretiuit: & laudis præmium tulit. Nullus sanè conuenientior & dignior tyrannis potest contingere exitus, quàm si dolo & insidiis tollantur.

VIII Veritas. Quicumq. subditus, libidine inuadendi principatus, Principi exitium machinatur adhibita Necromantia & dæmonum inuocatione, fidem Catholicam corrumpit, & duplici morte, prima & secunda, dignus est. Nam (vt D. Bonauentura lib. 2. distinct. 6. scribit) numquam Diabolus istorum hominum voluntati obsequitur, quin primùm idololatria & infidelitas in iis mistæ sint. Quemadmodum enim diuinorum miraculorum operationem fides multùm adiuuat: ita ad diabolicorum operum effectionem infidelitas necessaria est.

OCTO Veritates, seu vera enunciata, satis superque à me confirmata sunt: sequuntur octo Corollaria. Primum est: Siquos eiuscemodi dæmonum inuocatores, proditores & Regi infideles in vincula coniectos, aliquis particeps scelerum aut minister liberet, pari cum illis pœna puniri debet,

debet, morte videl. prima & secunda. II. Omnis subditus qui cum altero paciscitur, vt Principem suum veneno tollat, etiamsi effectus consilium non sequatur, capitali tamen pœna dignus est. III. Omnis subditus qui per speciem ludicri vestibus Principem suum induit, & ignem iniicit vt eum exurat, duplicem quoque mortem meretur. IIII. Omnis subditus qui fœdus facit cum capitalibus Regni & Regis hostibus, capitis reus est. V. Omnis subditus qui clanculum inter Regem ac Reginá simultates serit, Reginę suadẽs vt cum liberis Regno excedat, quasi Rex eam odio habeat, & suam ea in re operam offerens, capite plecti debet. VI. Omnis subditus qui Papæ falsa scribit, atq. illi suadere conatur Principem suum minimè regno idoneum esse, neque adeò ipsius filios post eum, morte quoque dignus est. VII. Tyrannus qui concordiam Ecclesiæ impedit, & Cleri consultationes ad vtilitatem Ecclesiæ, pro hæretico & schismatico puniri debet, & dignus est cui terra dehiscat, vt eum absorbeat, sicuti Core, Datham & Abiron. VIII. Subditus qui veneficiis mortem Principi & liberis eius machinatur, capitis pœnam quoque meretur. Postremum hoc erit: Omnis subditus qui militibus immissis populum vexat & agros Principis sui populatur: quíque pecunias exigit & erogat pro libidine, & iis abutitur ad fœdera cum hostib. Principis sui facienda, puniri debet tamquam tyrannus morte prima & secunda. Atque hîc maioris meæ finis sit.

NVNC vt minorem meam declarem, demon-

ſtrandum mihi eſt, defunctum Ludouicum nuper ducem Aurel. adeo fuiſſe accenſum cupiditate honorum & diuitiarũ,vt conatus ſit, inſtinctu Diaboli, Regi fratri ſuo & filiis eius Principatum Gallię eripere.His autem artibus vſus eſt. Quum nactus eſſet monachum apoſtatam magicæ artis peritum, ei dedit annulum & enſem, vt ea conſecraret Diabolo. Monachus in ſolitudinem profectus,abiectis ponè rubum veſtibus,ſola interula tectus & in genua procumbẽs, dæmonas inuocare cœpit. Confeſtim apparuere duo dæmones fuſco ſubuiridi amicti, quorum alter Hernias, alter Eſtramanus, dicebatur. Illis tantum honoris & venerationis exhibuit, vt nemo maiorem Deo ipſi deferre queat. Tum eorum alter annulum arripuit, alter enſem: deinde euanuerunt: monachus abiit. Aliquanto pòſt eumdem in locum redit, & annulum reperit qui colorem rubrum acceperat, & enſem: quibus Dux regem exurere cogitabat. Sed Dei auxilio & Biturigum Burgundiæ'que duciſſarum ope Rex periculũ euaſit. Præterea Dux Aurel.fœdus init cũ duce Lanclaſtriæ, qui & ipſe dolos nectebat Richardo regi Anglię principi ſuo,quos ad exitum perduxit. Adhæc molitus eſt Reginam & eius liberos capere,vt poſtquam in ſuum ducatum Luxemburgenſem deduxiſſet, de iis pro arbitrio ſtatueret. Sed Reginæ id perſuadere non potuit. Idem venenato pomo Delphinum tollere conatus eſt: ſed quum illud puero cuidam commiſiſſet, addito mandato ne id vlli præterquàm Delphino traderet: fortè puer illud pomum vni ex

Ducis

Ducis Aurel. filiis obtulit: qui ex eo mortuus eſt. Idem ſemper Papę fauit in exportandis è Regno pecuniis: vt videl. Papa in eius gratiam pronunciaret Regem & eius ſtirpem minimè eſſe idoneos ad regni adminiſtratioñe: & ad eum Regni hereditatem träſferret. Idem 14. aut 15. annorum ſpatio milites diuerſis locis habuit, quibus nihil penſi erat quàm populum vexare, rapere, prædas agere, feminas & virgines ſtuprare. Præter hæc, multa alia crimina & ſcelera admiſit, quæ tempore & loco opportuno dux Burgund. exponet.

QVAMOBREM inde ſatis conſequitur Dom. meum Ducem Burgundiæ à nemine iure poſſe accuſari ob cædem ducis Aurel. Immò debere hoc factum ita Regi probari, vt illud ratum autoritate ſua eſſe iubeat, quantum opus fuerit. Adhæc quoque triplici præmio remunerandus eſt, Amore videl. Honore & Diuitiis, ſicut honorati fuerunt S. Michael Archangelus, & vir fortis Phinees. Hoc eſt (quantum ego rudi meo & craſſo ingenio capere poſſum) debet Dominus noſter Rex multò magis quàm antea Ducẽ Burgundiæ diligere, amplecti & multo magis honorificè de eo exiſtimare: ac de ea re promulgare litteras per vniuerſum Regnum. Deus vtinam ita faxit, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

HAEC eſt in ſumma oratio venerabilis iſtius Doctoris (cui ne verbum quidem addidi: detraxi tantùm neſcio quas longas allegationes & odioſè repetitas) ex qua facilè apparet quàm craſſum fuerit animal iſte Magiſter noſter, pretio conductus ad defendendum & iuſtificandum tam exſe-

crabile facinus. Ceterum quum tam elegans oratio Episcopi Parisiensis, Doctorum Sorbonicæ facult. & Inquisitoris fidei, examini subiecta esset sequentes Conclusiones hæreseos notatæ sunt. Tyrannus potest à vassallo & subdito interfici, absque imperio magistratus. S. Michael Luciferum interfecit sine Dei mandato. Phinees occidit Zambri, absq. Dei iussu. Moses trucidauit Ægyptium absq. Dei mandato. Iudith non peccauit quum Holopherni blandiretur: nec Iehu, quum fingeret se velle colere Baal. Periurium non semper est, quum quis facit quod iurauit se non facturum. Hos articulos quum dicti censores hęreseos notassent, cremandos publicè censuit magistratus cum ossibus magistri Parui. nam is tum Hesdini mortem obierat. Cremati ergo fuerunt publicè articuli: sed Parui ossa haberi non potuerunt, quòd dux Burgundiæ Hesdino potiretur.

PRODIGIOSVM planè & detestandum est existere homines, qui similia scelera & cædes ex composito perpetratas, sine vlla iuris specie, phaleratis rationibus tueri audeant. Quid est enim, tenebras lucem vocare, nefanda extollere, omne honesti & turpis, iusti & iniusti, à Deo & natura ipsa fixum discrimen euellere, si hoc non est?

NVNC posteaquam abundè docui Sæuitiam semper exitiosam esse Principi, quidquid contrà nugetur iste: opportunum esset vicissim demonstrare, Clementiam & bonitatem veras esse artes quibus Principis status fundari & conseruari possit. Sed quia alius erit commodior de eo disserendi locus, properemus ad alia.

IX. THEOREMA.

Utilius est Principi, metui quàm amari.

HOMINES (inquit Machiauellus) amant suo arbitrio, metuunt verò arbitrio Principis. Itaq. Princeps, si sapiat, eo niti debet quod ex ipso, non eo quod ex aliis, pēdet. Si Princeps posset vtrumque simul assequi, metui videlicet & diligi, melius hauddubiè ita esset. Sed quum sit difficillimum vtrumque complecti, multo timeri quàm amari tutius est. Cap. 17. de Principe.

HOC Theorema non aliunde ortum est quàm ex veteri tyrannorum sententia, quæ in prouerbium venit, *Oderint dum metuant*. Tragicum illud verbū Caligula subinde iactabat. itaque per totum imperij tempus tam atrociter illud reipsa exercuit, vt non alium finē cōsequutus sit quàm quo perire solēt eiusemodi Principes, qui metui quàm diligi malunt. sicuti alio loco tradidimus. Tiberius eius prouerbij asperitatem ita mollire conatus est, vt quum metum sui non probaret, odium tamen minimè deprecaretur. Identidem enim dicere consueuerat, *Oderint dum probent*. Sed is perperam videtur odium cū probatione iunxisse. Nam quod homines oderunt, haud libenter probant: nec quod probant, oderunt. Ceterum eiusmodi dicta, Oderint dum metuant, &, Oderint dum Suet. In Calig. ca. 30. & in Neron. c. 37 & in Tib. c. 39.

probent,ſymbola ſunt Tyrannis attribui ferè ſolita, & ab illis re ipſa vſurpata. Nero,quum propter immanitatem omnibus terrori eſſet, inflatus tantis ſucceſsibus negabat quemquam Principum ſciſſe quid ſibi liceret. Verùm tandem tam exſecrandæ licentiæ pœnas exſoluit, ſeróque didicit ſummam poteſtatem in libidinem verſam, odium ingens abutenti párere,ex odio perniciem atq. exitium naſci. Idem Caligulæ euenit,idem Tiberio. idem euenit atque eueniet omnibus qui metui potius cũ odio quàm cum beneuolentia volent.

„ PRINCEPS (inquit Machiau.) pro arbitrio ſuo „ & libidine timetur. Id ſi verum eſſet, præclarè ageretur cum tyrannis. quippe ita metui ab omnibus vellent, vt nemo eorum imperia contra ire, nemo eorũ iuſſa aſpernari,auderet. Sed contrà vſus docet, haud diuturnam eſſe poſſe ſubditorum obedientiã, ſi Principis imperia iniuſta eſſe videantur. Itaq. eos quibus acerbè imperatur, opportunitate oblata,obſequium exuere, nec diutius imperiũ tolerare quàm neceſſe ſit. Iam quum nulla vis ac neceſsitas diuturna eſſe poſsit (nihil enim violentum natura durabile eſt)imperia quoque aſpera & iniqua non diu ferri certum eſt, & obedientiam metu nixam parum fidam & ſtabilem eſſe. Nam æquitas & iuſtitia imperij neruus eſt: & quemadm. ſine neruis corpus moueri quoquam non poteſt,niſi fortè in præceps vt lapis: ita edictum propter iniquitatem infeſtũ & inuiſum ſubditis, vſu valere & obtinere autoritatem nequit, niſi breue ad tempus & in ipſis tantùm initiis.

Æquitas imperii neruus

QVOD dicit Machiauellus difficillimũ eſſe Principi

cipi simul amari & metui, falsum est: neq. quidquam Principi facilius quàm vtrumque obtinere. Princeps enim qui subditis pacem & quietem & tuta liberáq. commercia præstabit: qui in perturbatores boni publici animaduertet, qui noua tributa & onera non imponet, qui vt ius vnicuique reddatur, iudicia iustè & incorruptè exerceantur, curabit: quis dubitat quin beneuolentiam ciuium & subditorum paret? Caritatem verò vltro sequetur metus. Nam simulac perspectum erit eum ius sincerè seueréque dicere, non pretio, aut gratia, aut vllo alio affectu, perrumpi, non nimis lentum esse in Reip. iniuriis largiēdis, non molli dissolutáq. indulgentia criminum & scelerum gratiam facere, nisi vbi ratio aut æquitas iubent: non suos tantùm sed etiam exteros in sui verecundiam & formidinem adducet. Exempla satis multa suppeditant veteres egregij Principes, Augustus, Traianus, Adrianus, Antonini duo, & ceteri, quos simul verebantur & diligebant sui. Veteres quoque Galliæ reges eius rei testes laudare possem, qui propter rectam Iuris administrationem non tantùm subditis sed etiam finitimis terrori erant. Immò tanta erat apud exteras gentes ipsorum autoritas & iustitiæ fama, vt etiam externi Principes si quid controuersiæ haberent, id interdum Curię Parium Franciæ iudicio permitterent. Nam quòd iudicia seuerè exercerent, an putamus eos inuisos & odio habitos fuisse? Minimè. ne ab improbis quidē: qui virtutem, à qua plurimum alioqui abhorrerent, mirari tamen in illis & diligere cogebantur. Quomodo enim boni illi Principes subditis cari non essent, quum Galli eo ingenio sint, vt Regem suum

Princeps amari simul & metui potest.

quamlibet corruptum: odisse non possint: feréque Principis vitia potius ministris & consiliariis eius quàm ei assignent? Quippe reuera si Principes probos & honestos viros secum semper haberent, numquam ire in vitia præcipites possent, saltem cum Reipubl. detrimento. Itaque Reipubl. administratio meritò potius cōsiliariis Principis quàm ipsi imputatur; quemadmodum alio loco diximus.

X. THEOREMA.

Princeps amicitiæ hominum fidere non debet.

Cap. 17 de Principe.

HOMINES (inquit Machiauellus) ferè ingratitudine laborant, mutabili ingenio sunt, simulatores, periculi fugientes & lucri cupidi. Quamdiu tecum res suas agent, vteris illis arbitratu tuo: offerent tibi vitam, fortunas, & quidquid possident, quum non opus est. Sed vbi necessitas venerit, statim mutata veste diffugient. Itaque Princeps qui eo munimento innitetur, ad primum impetum corruet. Immò illum facilius offendent, quum leuiter eis vti volet, quàm si asperè agendo terrorem illis incutiat. Homines enim minus verentur eum lædere qui amorē conciliare sibi studet, quàm eum à quo sibi metuunt: propterea quòd amicitia

micitia obligatione tantùm aliqua nititur, quæ facilè abrumpi potest: metum verò formido pœnæ continet, quæ hominem numquam deserit.

TYRANNICVM quocq. hoc præceptum est, non minus quàm superius Theorema. nam vt inquit AEschylus,

Inest suo quodam modo tyrannidi iste
Morbus, vt fidem non habeant amicis. Eiusmodi fuit Dionysius, qui quum parum fidei in beneuolentia ciuium suorum reponeret, cubicularem lectum, perinde vt castra, lata fossa cingebat: & fossæ transitũ ponticulo ligneo iungens, eius disiectos asseres & axiculos secum in stratum abiens transferebat, quum forem cubiculi extrinsecus à custodibus opertam, interiore claustro ipse diligenter obserasset. Idem collum tonsori committere non ausus, tondere filias suas docuit. Sed Commodus multo etiam sollertior, qui tonsorum metu candentibus iuglandium putaminibus, comam & barbam sibi ipse adurebat. Infelices planè homines quibus facinora flagitiáq. sua adeo in supplicium verterãt, vt conscientia scelerum omnium hominum odio dignos se ipsi iudicarent, diffisique omnium fidei perpetuo in metu & terrore versarentur.

Æschyl. in Prom. vincto.
Amm. Marcell. lib. 16.
Lamp. in Comm.

SED multum abest ab hac Machiauelli doctrina oratio, quam Micipsa Numidiæ rex paulo ante mortem ad Iugurtham & filios habuit: NON exercitus « neq. thesauri præsidia regni sunt, verùm amici: quos « neque armis cogere neque auro parare queas, offi- « cio & fide parantur. Quis autem amicior quàm fra- «

Sallust. in Iugurth.

„ ter fratri? aut quem alienum fidum inuenies si tuis
„ hostis fueris? Equidem ego regnum vobis trado fir-
„ mum, si boni eritis: sin mali, imbecillum. Nam con-
„ cordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dila-
„ bũtur. Breuis hortatio, sed plena neruorum: qua luculenter docuit quantũ in bonis & fidis amicis præsidij sit, quantum prosit beneuolentiam & fidem inter propinquos fouere. Similis fuit oratio Syllæ ad
„ Bocchum Mauritaniæ regem: MAGNA nobis (in-
„ quit) lætitia est quum te talem virum Dij monue-
„ re, vti aliquando pacem quàm bellum malles. Popu-
„ lo Rom. iam à principio inopi melius visum est, a-
„ micos quàm seruos quærere: tutiúsque rati volenti-
„ bus quàm coactis imperitare. Tibi verò nulla oppor
„ tunior amicitia nostra: primùm quòd procul absu-
„ mus, in quo offensę minimum est: gratia par, ac si pro
„ pè adessemus: dein quòd parenteis abundè habe-
„ mus. Amicorum neque nobis neque cuiquam homi-
„ num satis fuit.

BENEVOLENTIA quidem ciuium & fideles amici, quos Princeps iusto imperio parare sibi debet, adeo tuta firmáque Principatus præsidia sunt, vt nulla satellitum militúmve custodia illi opus sit. Sic Traianus, quũ amari à populo quàm coli mallet: hostíque formidolosus, ciuibus carus, esset, sæpe veniebat in amicorum ædes nulla septus custodia. Hic quoq. fuit mos veterũ Galliæ regum, qui peregrinis & sclopetariis ad præsidiariam cohortẽ non vtebantur, vt hodie: neque alios satellites aut stipatores circum se habebant præter aliquot nobiles solo ense accinctos.

Dion in Traiano.

AMICITIAM qui è vita tollunt (inquit Cicero) solem

Cic. in Lælio

ro)solem è mundo tollere videntur: qua à Deo immortali nihil melius habemus, nihil iucundius. Itaque si exemeris ex natura rerum, è societate hominum, beneuolentiæ coniunctionem (quam Machiauellus è Principum animis eiicere conatur) nec domus vlla, nec vrbs, stare poterit, nec agri quidem cultus permanebit. Quum enim amicus sit tamquam alter idem, & qui amicum intuetur, tamquam exemplar aliquod intueatur sui, iucundissimum est habere quicum secundis rebus lætari, quicum aduersas partiri, possimus. Itaque si eius amici copia sit, in cuius sinũ ægritudinem animi & questus liberè & familiariter effũdere possimus, maxima doloris parte leuari & exonerari videmur. Prętereà quum in nostris ferè rebus parũ perspicaces simus, amici siquæ à nobis peccantur animaduertunt, comiter monendo nos in viam reuocant: & consilia sæpe suppeditant, quę nobismet ipsi dare non potuissemus. Deniq. vita inculta & deserta ab amicis, quid aliud est quàm tristis quędam orbitas, præcipuę suauitatis expers, qua nulla dulcior ex societate communi percipi potest? quemadmodum Cicero, Plutarchus, ceteríq. philosophi præclarè disseruerunt. Quare siquis vtilitates & cõmoda quæ ex Amicitia oriuntur, copiosius scire cupiet, eum ad istos remitto.

HAVD negem multos eiuscemodi amicos existere, quales describuntur à Machiau. qui amicos se esse simulant, quamdiu aliquam à nobis vtilitatem se consequuturos sperant, & nobis omnia vltro polliceantur atque offerant quum non opus est: mox in rebus aduersis, sese auertãt. Sed quis bonos verósque amicos propter malos dedignetur, aut amicitiam in-

famet, propter vitia aut incommoda quæ illam comitantur? Nam & in segetibus lolium, & inter salubreis herbas noxiæ & venenosæ pullulãt: propterea tamen neque triticum, neque olera innoxia, aspernamur. Itaque conandum in eo nobis est, quoad eius fieri possit, vt bonum à malo, salubre à noxio, secernamus. Qua in re similis cautio adhibenda est ei quam Augustus in deligendis amicis vsurpare cõsueuerat. Nam quũ amicitias temerè non admitteret familiariũ fidem & ceteras virtutes antè probabat. Quos probos, veri minimè dissimulantes (qualis fuit Mæcenas) munia quæ imponeret integrè obeuntes, deprehendebat, tales in amicorum numerum accipiebat. Sed quemadmodum amicitias non facilè neque inconsultè admittebat, ita quas admiserat, constantissimè retinebat. Rebus quoque in aduersis veri & simulati amici spectantur. nam simulac aliquis in calamitates ex rebus secundis incidit, veri constanter manent, auolant falsi. Præclarè igitur Euripides:

Suet. in August. c. 66.

Eurip. in Hecuba.

In aduersis rebus boni sunt certissimi
Amici: secundæ verò qualibet habent amicos.

XI. THEOREMA.

Princeps, quum morte adficere quempiã cupit, speciosum aliquem prætextum adhibere debet: neque vlla inde inuidia aut infamia sequetur, si bonorum hereditatem illius liberis relinquat.

Cvvm Princeps (inquit noster Tyrãnodidascalus) struere alicui perniciem & mortem volet, id aliqua iustitiæ specie debebit velare: & eo necato, ab ipsius pecuniis publicandis autn fiscum redigendis abstinere. Nam liberi qui supersunt, mortem patris facilius obliuiscuntur, quàm patrimonij iacturam. Adhoc nihil est quod maius odium Principi conciliet quàm si aut bona aut coniuges subditorum attrectet.

Adivngamvs & hoc Tyrannicis præceptis. Nam Tyrannis hic quoq. mos est, calumniis & criminibus falsis circumuenire quos capite plectunt, nonnumquam ante, interdum secundùm, supplicium illatum. De Domitiano antè vidimus, qui multos senatores & principes ciuitatis Rom. leuissima quęq. de causa, sustulit: quippe sibi suspectos, quemadm. tyrannis

illustres & præstantes viri ipsis ferè suspecti esse solent. Talis fuit Tiberius qui initio principatus (vt inquit Tacitus) neq. eminentes virtutes sectabatur, & rursum vitia oderat: quum ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum, metueret. Sed postea in omnia scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu suo tantùm ingenio vtebatur. Itaque quum viros virtute insignes odisset, multos hac Machiauelli arte & doctrina sustulit. Cremutius Cordus nobilis historicus ab ipso mori adactus est, quòd editis annalibus M. Brutum & Cassium laudasset. AEmilius Scaurus, quòd in tragœdia Agamemnonem vt tyrannum probris lacessiuisset. Multi item alij damnati ab eo quæsita iuris specie, quo tyrannidem velaret. Simili impudentia Nero, matre interfecta, litteras ad senatum scripsit, in quibus præter cetera commemorabat, ab ea insidias sibi esse factas, atque in eo deprehensam mortem sibi consciuisse. Haud dispari arte Caracalla, Geta fratre interfecto, progressus ad milites, exclamare cœpit, contra se factam esse coniuratiōnē, & se maximum periculum effugisse. Deniq. hoc perpetuum tyrannorum institutum est, vt specioso aliquo prætextu sæuitiam & vltionē expleat, vt præscribit Machiauellus. In eam rem memorabiliū & quidem recētium exemplorū tanta copia est, vt siquis ea colligere velit, amplum commentarium in hoc Theorema possit scribere. Parisiensis strages quæ D. Bartholomæi diem insignem & nefastum fecit, mox iniusta supplicia, Bricomaldi, Cauanij, Comitis Mongommerij, Mombrunij, fortissimorum virorum, & similium, falsis ad eum modum criminibus tecta

Tac. Annal. lib.1.& 4.

Dion. in Nerone & in Anton. Caracal.

tecta & colorata ſunt à Machiauellitis, & iniquis iudicibus eorum mancipiis, ſicuti omnibus notum eſt.

QVOD dicit filios iniuſtè cæſorum mortem parentum leuius ferre quàm iacturam bonorum, in eo paucos (ni fallor) conſentientes habet. Quiuis enim, cui modò viri boni indoles, decus ſemper & vitam ante fortunas ponit. Imò ſi heres, filius aut propinquus, defuncti iniuſtè cæſi vltionem licitis & legitimis rationibus perſequi negligit, famam amittit, & legibus ſucceſſione indignus eſt. Ad hoc, iniuria parenti oblata, filio quoque facta exiſtimatur, & contrà: ac ſi propinqui noſtri amicíve læduntur, lædi nos arbitramur. Quamobrem eiuſcemodi iniuſta ſupplicia omni fortunarum clade duriora ſunt: animóſque corũ quibus decoris exiſtimationíſque ſtudium eſt, & qui planè non ſunt in ſuos ἄστοργοι multo acrius quàm cetera incommoda & damna, vulnerant. Ac quamuis homo mortuus non mordeat aut bellum gerat (quod Machiauellitis pro certo axiomate eſt) mors tamen ſæpe hominis ingentium cladium cauſſa exiſtit. ſicuti alio loco fuſius trademus.

XII. THEOREMA.

Princeps Leonis & Vulpis ingenium imitari debet: non alterutrius seorsim ab altero.

Cap. 18. 19. de Principe.

DVPLEX est (inquit Machiauellus) decertandi modus apud homines, nempe aut iure & legibus quum res ratione tractantur: aut vi. Prior ratio hominum propria est, qui ratione vtuntur: altera beluarum, quæ ratione & iudicio carent. Verùm quum prior ad fouendos & in rerum suarum possessione tuendos homines non sufficiat, sæpe necesse est vt ad posteriorem, id est ad vim, cõfugiant. Quare opus est vt Princeps bestiam simul & hominem agere norit: quemadmodum veteres præceperunt, quum scriberent Chironem Centaurum, semiferum hominem, Achilli heroi attributum educatorem fuisse. Hac ambage significantes, Principem hominis & bestiæ naturã simul induere debere. Quum igitur scire cogatur bestiã scitè imitari, inter omnes bestias Leonis & Vulpis simul naturas eligat oportet, non alterius seorsũ. Vulpes enim satis astutia pollet vt

let vt ab insidiis & retibus caueat, sed imbecillior est aduersum lupos: Leo contrà satis virium habet vt luporũ vim arceat, sed non tantum sollertiæ quãtum opus est ad vitandas plagas. Vulpem igitur esse oportet, vt fraudes preuideat: & leonem, vt viribus editior sit & terreat lupos. Didius Iulianus Imper. dextrè vulpem egit., vt Imperium obtineret. vim enim magnam pecuniarum pollicitibus militibus, vt ipsum Imperatorem appellarent: postquam appellatus est, vulpina arte illorũ spem elusit, quum multo minus daret quàm promiserat. Sed leonem simul agere nesciens, breui sublatus est. Quũ enim Seuerus qui vtroque pollebat cum valido exercitu aduẽtaret, Iuliãnus à sui corporis custodibus interfectus est, & illi ad Seuerũ trãsierunt. Interea Seuerus vt Albinũ in Gallia, Nigrũ in Oriente, qui validis legionibus præerãt & ipsũ nobilitate generis anteibãt, verbis inescaret, ne ipsi Imperiũ occupãti obstarent, vulpẽ agere statuit. Multa ergo illis & præclara pollicitus est, præsertim Albino, quẽ sociũ imperij & Cæsarem appellauit: pari iure & honoris titulo quo est q hodie Rex Romanorũ dicitur. Nigri verò liberos, specie honoris, penes se vt obsides habebat. ideo eũ metuebat minus. Postea-

quam vulpino aſtu Albinum & Nigrum negligétiores reddidit, prouidit ipſe per quietem vt Imperator appellaretur. Poſt hæc, ad ingenium Leonis reuerſus, in Albinum & Nigrum, vires cõuertit: & vtrumque deleuit. Ita Leonis & Vulpis partes peritè agens, Imperium ſibi tutum & ſecurum, ſine vllo æmulo, præſtitit. Cõtrà Maximinus poſteaquàm à militibus Imperator appellatus eſt, ne vna quidem Vulpis techna vſus, ſed tantùm Leonem agens, diu non manſit. Multi enim aduerſus eum exorti ſunt, ne quieto imperio potiretur: donec à militibus quoque interfectus eſt.

NONDVM vllum Machiauello dignius acroama audiuimus. Quippe hîc inſtituit Principem, quânam arte beſtiam exprimere poſsit. Parúmne eſt, obſecro, docere qua ratione in homine imiteris beſtiam? Dicent mihi hoc loco eius diſcipuli, hîc aliquid arcanæ philoſophiæ latere: neque hoc ſentire Machiauellum, vt Princeps quadrupedum more pronus eat, aut per ſolitudines Arabum erret, aut in ſpeluncas ferarum ſe abdat, ſed vt aſtutiam Vulpis & vim Leonis iungat, corúmque actiones imitetur. Ego illis ſenſum hunc allegoricum vel moralem haud grauatè concedo, & facilè patior iſtum aliquid ſingularis & noui voluiſſe docere. Propius igitur inſpiciamus. Quum (inquit) Princeps eo modo qui proprius eſt hominis,

hominis, id eſt ratione, certare non poteſt, beſtiarum more decertare debet, id eſt vi aut aſtutia vti. Ego huic breuiter ita reſpondeo: Quum Princeps litem mouet aut res ab alio repetit, id iure aut iniuria facit. Si iniuria, ſuſcipere bellum iniuſtè non debet: quando omne bellum iure & ratione niti decet, ſicuti alio loco demonſtrauimus. Si iure id agat Princeps, & is quicum illi negotium, ius perſoluere recuſat, tum Princeps vt ius ſuum adipiſcatur, poteſt illum vi & armis piis ac iuſtis cogere. Neq. hoc leonis aut beluæ ritu pugnare eſt, ſed hominis ratione vtentis more, qui vires corporis, robora equorum virorúmque, arma & muros, adhibet, vt quod ratio iubet piè iuſtéque extorqueat. Quare vis legitimo vſu & more tractata, rationis & iuris miniſtra eſt, illiúſque imperiis morem gerit. Nihil ergo ea in re beluinum eſt, & qui vim ita adhibent beſtiam non imitantur. Quod ad fraudem attinet, licere quoq. in bello dolis vti aduerſus hoſtem cōtendo, dum nec fides nec belli iura violentur: neq. hoc vulpinum aſtum ſed militarem ſollertiam dici debere. Itaque quum in bellis dolo, fraude, militari ſollertia (nam hæc vocabula bonam in partem accipi poſſunt) vtimur, neq. beſtias effingimus neque vulpinamur. Vis rationis miniſtra.

SED Machiauello longè alia mens: Principem videl. nulla iuris aut fidei aut promiſsi religione obſtringi debere, quominus nunc vi nunc fraude vtatur, vt quæque maximè idonea erit ad incepta perficienda. Nam fidei, iuriſiurandi, promiſsi, nulla mētio inter Machiauelli diſcipulos, niſi vt ludibrio habeant eos qui eiuſcemodi vincula humanæ ſocie-

tatis sancta & in pretio habent. Sed quæ ad fidem & promissa pertinent suo loco reddemus: nunc tantùm mihi consilium est docere, dolos astúsque, quales hîc intelligit Machiau. numquam prosperè suis autoribus cedere, immò eos in casses quos tendunt sæpius incidere.

Liu. Annal. 27. & 35. QVVM Annibal Marcellũ Imperatorem Rom. insidiis intercepisset, & eius annulo cum corpore esset potitus, nomine Marcelli & ei' signo obsignatas literas mittere ad Salapianos (& proximè erat Salapia) statuit: se nocte quæ diem illũ sequutura esset, Salapiã venturum: parati milites essent, qui in præsidio erant, si quò opera eorum opus esset. Crispinus alter consul, metuẽs eius signi errore nequi dolus necteretur à Pœno, circa ciuitates proximas nuncios miserat, occisum collegam esse, annulóq. eius hostem potitum: ne quibus literis nomine Marcelli compositis crederent. Paulo antè hic nuncius consulis Salapiam venerat, quàm literæ ab Annibale allatæ sunt. Itaque circa portam qua venturum hostem rebantur, quod roboris in præsidio erat opponunt: oppidanos per muros vrbísque opportuna loca in stationibus disponunt. Annibal quum ad vrbem accessisset, perfugas Romanorum, qui & Latinè loquebantur & arma Romana habebant, in primo agmine ire iubet. Ij vbi ad portam est ventum, excitant vigiles: aperiri portam iubent, consulem adesse. Vigiles, cataractam in tãtum altitudinis subducunt vt recti subire possent: quum sexcenti fermè intrassent, remisso fune quo suspensa erat, cataracta magno sonitu cecidit. Salapiani perfugas inuadunt & trucidant. Ita inde Annibal suamet ipse fraude

fraude captus abiit. Quippe omnes illius Vulpis ingenium norant. Itaque suis eum artibus sæpe eludebant: sicuti à venatoribus capiuntur Vulpes, quum retia in contrarium tenduntur. Ac profectò eiuscemodi fraudes, quæ perfidiam redolēt, haud satis ferè feliciter eueniunt. Nam (vt præclarè Athenienses dixerunt quū monerent AEtolos ne temerè Rom. societatem celeritate nimiæ consiliorum exuerent) cōsilia" callida & audacia, prima specie læta, tractatu dura, euentu tristia, ferè sunt. Astuta consilia, periculosa. al. calida.

In hac quæstione de fraude & perfido astu memoratu digna est senatus R. sententia. Quum enim bellum Macedonicum in exspectatione esset, nihil tamē satis paratum haberent Romani ad id gerendū præter animos, primùm legatos mitti ad Perseum placuit, qui res repeterent, & sciscitarētur an pro iniuriis pop. R. illatis satisfacere vellet. Illi, quum eum præparata atque instructa omnia haebre cernerent: & suo maximè tempore, atque alieno hostibus, bellum incipere posset, ni vana spes pacis eius consilia occæcasset, autores illi fuerūt mittendę Romam legationis, quum prætermittendam nullam spem pacis censerent. Interea indutias petenti Perseo concedunt, vt tutum iter eius legatis esset. Martius & Attilius (illi legati Rom. erant) Romam quum venissent, legationem ita renunciarunt, vt nulla re magis gloriarētur, quàm decepto per indutias & spem pacis rege. Ita per speciem reconciliandæ pacis extrahi tempus, vt spatium ad comparandum militem habeant. Hæc, vt summa ratione acta, magna pars senatus approbabat: veteres & moris antiqui memores, negabant se in ea legatione Romanas agno- Liu. Annal. lib. 42.

Verſutiæ à Romanis repudiatæ. ſcere artes. Non per inſidias, & nocturna prælia, nec ſimulatam fugam, improuiſóſque ad incautum hoſtem reditus, nec vt aſtu magis quàm vera virtute gloriarentur, bella maiores geſſiſſe. Indicere prius quàm gerere ſolitos bella: denũciare etiã, interdum locum finire in quo dimicaturi eſſent. Eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum vitæ eius inſidiantem: eadem Faliſcis vinctum traditum proditorem liberorum regis. Hæc Romana eſſe, nõ verſutiarum Punicarum, neque calliditatis Græcæ: apud quos fallere hoſtem quàm vi ſuperare glorioſius fuerit. Interdum in præſens tẽpus plus profici dolo quàm virtute; ſed eius animum in perpetuũ vinci, cui confeſſio expreſſa ſit, ſe neque arte neque caſu, ſed collatis comminus viribus, iuſto ac pio bello eſſe ſuperatum. Hæc ſeniores, quibus noua hæc minus placebat ſapientia: quorum antiqua & prudens autoritas, dum Punicos & vulpinos aſtus aſpernãtur, pluris apud nos eſſe debet, quàm centum Machiauelli.

Froſſ. lib. 2. cap. 88. 89. ANNO CIↃ C. LXXXIII dux Andium, Caroli Sapientis frater, expeditionem in Italiam ſuſcepit, vt regnũ Neapolitanũ ſubigeret. Inter ceteros principes qui ſeſe expeditionis comites vltro adiunxerant, Comes Sabaudiæ erat cum inſtructo equitatu. Iam peruenerant in Apuliam & Calabriam, nullo obuio armato tum ſermone inter eos fortè orto de locis munitioribus quæ tranſitum morari aut prohibere poſſent: renunciat aliquis Andium duci validiſſimum totius regni locũ eſſe arcem Oui, quæ Neapoli in mari ædificata eſt, quam Carolus Paceus, qui de regni Neapolitani iure contendebat, præſidio inſediſſet. Ac quum Dux de rationibus arcis tam

cis tam munitę potiundæ cõſultaret, interuenit Magus quidam qui polliceretur, ſe tam facilè arcem in manus eius traditurum quàm tradidiſſet Carolo Paceo qui tum eam obtinebat. Qua via? inquit Dux. Ego (inquit Magus) denſam nubem è mari ſublimè attollam, quæ pontis ſpeciem referat: ita rei tantæ miraculo attoniti hoſtes vltro metu in deditionem venient. Dux: Verò, inquit, poterúntne per hunc pontem armati ſuperſtãtes ad arcẽ ſuccedere? Haud equidem hoc affirmem (inquit Magus) nam ſimulátque ſubeuntes crucis ſigno ſe munient, aut alioqui manus vel crura decuſſatim compoſuerint, euaneſcent omnia. Subriſit Dux: & comitẽ Sabaudiæ acciri iuſſit. Is vbi venit, ei Dux omnia refert, eiúſque ea de re iudicium & conſilium exquirit. Tum Comes, Rogo te, inquit, vt hominẽ ad me mittas. libet enim per otiũ ex eo quæ dicis ſciſcitari. Poſtera die Dux Magum ad Comitem mittit. Ibi Comes ita infit: Heus tu, polliceris te nobis traditurum Oui arcem? Polliceor (inquit) quippe eam Carolo Paceo tradidi, qui nunc ea potitur, & me plus quàm vllas vires metuit. Comes: At ego illum ea cura metúque libero: neque patiar dici, à tot & tam ſtrenuis equitib. Paceum tam imbecillum hoſtem, debellari non potuiſſe, niſi vnius magi opera. Hem carnifex, ades, & huic impoſtori ceruicem incidito. Ita iuſſu Comitis carnifex eum arripuit, & ſecuri percuſſit: quũ is præſtigiis & arte magica vincere nollet, ſed vera virtute. Ac generoſi profectò pectoris homines tales aſtus & calliditates aſpernantur: quæ etiam diu valere nequeunt. Nam ſimulac Principem aut ducem iis vti fama diſtulit, pari arte declinari ſolent:

ac tum quoque quum ſine dolo & candidè agunt, dolos ſemper machinari putantur. Iis vti vt Seuero proſperè ceſſerit, non tamen omnibus, aut ſemper, aut pleriſq. feliciter euenit. Imò ne Seueri quidem fraudibus, propter quas aduerſo rumore fuit, ſed aliis eius virtutibus, ſecundum rerum curſum tribuo.

Sed malitiámne an ſupinam ignorantiam appellem, quod de Chirone iſte dicit? Apud quē legit Chironem hominē & beſtiam ſimul fuiſſe, & attributum Achilli, vt artem iſtam edoceret, iungendæ ſimul cum homine beſtiæ? Xenophon ſcribit Chironem fratrem fuiſſe Iouis (adeò illum ſupra ceteros attollit) hominem bonarum artium, virtuti, iuſtitiæ, pietati, deditum. Adhæc, AEſculapium, Neſtorem, Amphiaraum, Peleum, Telamonem, Theſeum, Vlyſſem, Caſtorem, Pollucem, AEneam, Achillem & ceteros heroas, quos Græcia in deorum numerum retulit, virtutem ab eo didiciſſe, quę immortalem illis gloriam & diuinitatis opinionem famámque circumdedit. Ceterum Chironem non vixiſſe Achillis æuo, ſed aliquot antè ſeculis: verùm quum eius diſciplina Achilles eruditus fuiſſet, idcirco Achillis præceptorem habitum eſſe. Eum quidem poetę Cētaurum vocant, quòd equis agitandis & venatu delectaretur, ſtudiis Principe dignis: ſed quamquam ad equos & equeſtre ſtudium animum adiunxiſſet, numquam tamen beſtiæ ingenium ſapere viſus eſt: diuinitatem potius, propter inſignes virtutes quæ hominem Deo adiungunt, remouent à beluis. Itaque hîc beluinam malitiā prodit Machiau. dum generoſi & ſtrenui principis Achillis exemplo peruerſè abutitur, quò perſuadeat Principi vt beſtiarū morem

Xenophon de Venat.

morem ſequi non dubitet: quando Achilles à Chirone Centauro inſtitutus, in homine beſtiam imitari didicit. Quippe mera eſt fabula: & Chiron diuinitatem quàm beluinam feritatem propior, nullis niſi heroicis diſciplinis & virtutibus Achillem erudiit: neque eum ita educatum vulpinas verſutias aut magnanimo Principe indignas artes vſurpaſſe vmquam legimus.

VERVM quum tantopere laboret iſte vt perſuadeat Principi leonem & vulpem imitari, quin ſimul ſuadet vt duorum iſtorum animalium imagines expreſſas pro inſignibus geſtet? Multi leonum figurã in ſcutis præferunt (quippe hoc animal generoſum eſt) ſed neminem videmus qui in clypeo Vulpem depingat. Generoſa enim indoles & virtutis amans, aſtus, fallacias, & vulpinum ingenium, odit. Machiauelli ſectatores, qui decorum Principi cenſent, vt vulpis & leonis naturam induat (vt ſuã ipſi diſciplinam probent) gerant in inſignibus Vulpes. Sed quo facilius ſimplicitatem hominum captent, nudare ſeipſos nolunt, neque quales ſunt tales agnoſci, ne larua detracta tamquam Vulpes exſibilentur à populo.

XIII. THEOREMA.

Crudelitas quæ laudabilem finem ſibi proponit, reprehendi non debet.

Comm. lib. 1. cap. 9.

ROMVLVS (inquit Machiau.) regni initio Remum fratrem intercemit. Et aliquãto pòſt in mortem Tatij Sabinorum regis conſenſit, quem in ciuitatis & imperij ſocietatẽ acceperat, vt in vnam ciuitatem duo populi, Romani & Sabini, coaleſcerent. Pleriſque rudibus & parum acutis hominibus videri poſſet Romulus malè inchoaſſe regnũ à cæde fratris: & facinus fuiſſe peſſimi exẽpli. Verum quod ad me attinet (inquit cruentus iſte doctor) longè aliter ſentio. Nam axioma perpetuũ eſt, Reipublicæ ſtatum nouis legibus rectè condi & componi non poſſe, ſi plures iuris conditores & rerum arbitri exiſtant. Vnius enim tantùm hominis ingenio omnia prouideri & conſtitui oportet. Itaque Princeps qui eò eniti cupit, reprehenſione dignus nõ erit, ſi nouo & inuſitato facinore id aſſequi paret. Vis enim ea quæ omnia euertit & delet magnopere culpanda eſt: at non ea quæ ad res melius componendas comparata eſt.

Quare

Quare Romulus laude dignus, quòd fratrē ipſe interfecit, & Tatium conſortem imperij interimendum curauit, vt ſolus commodius Romanæ ciuitatis ſtatum formaret: ſicuti poſtea fecit, inſtituto Senatu, quem de omnibus negotiis pacis & belli conſulebat: & multis præterea egregiis legibus ac moribus vrbem condidit. Par quoque laus Agidi Spartæ regi debetur, qui quum corruptum Lacedæmoniorum ſtatum inſtaurare cuperet, & veteres Lycurgi leges in vſum reducere, veritus ne Ephori ipſius deſtinatis aduerſarentur, eos occidi iuſſit. Quo facto magnū ſibi decus peperit, immò propè maius quàm ipſe Lycurgus, primus earum legum lator. Agis quidem quæ animoſè inchoauerat abſoluere non potuit, propter infauſta Macedonum arma, qui eum prœlio vicere. ita præclara eius incepta ad irritum ceciderunt.

NVLLA vnquam cædes, nullū ſcelus commiſſum eſt, quod ſpecioſo aliquo nomine prætextum non fuerit. Alij Iuſtitiæ ſpecie iniuſtitiam velant; quæ fecerunt, iure & æquitate niti: & magiſtratum nihilo ſegnius animaduerſurum in cæſos quàm ipſi fecerint: ſe compendiaria via idem aſſequutos, quò longo iudiciorum & quæſtionum amfractu vix tandem peruenturi erant iudices. Ita ſe pro prædonibus & ſicariis, Iudi-

ciorum compendiarios contractores, impudenter ferre audent. Nam eos cur puderet, quum forensis iurisdictio hodie multis in locis ita peruertatur, vt cædibus & latrociniis obtentui sit: vulgóque qui vel conscientia sua teste scelerate agunt, Iuris ac iustitiæ nomen vsurpent, vt se bene agere aliis persuadeant? Homicidis ac sicariis licebit in posterum absq. vllo pudore iactare, se pœnas iudiciis debitas anteuertere, & multo breuius de reis statuere quàm magistratus, quum Iudices ipsi & magistratus eadē via grassentur, nec minus iniqua facinora per alios perpetrent. Vtrique sanè (iuxta hoc Machiauelli præceptum) laudabilem finem prætendunt suis sceleribus, iactántque quidquid agunt, iuris & iustitiæ exercendæ esse. Alij alio fine, nempe bono publico, sæuitiam suam velant, dicúntque se maioris fraudis vitandæ caussa occupasse facinus, quæ timeretur ab iis qui iure cæsi essent. Alij pacis & tranquillitatis laruam induunt, & suadere conantur cædes ad motus sedandos & pacem stabiliendam esse perpetratas. Deniq. (ex hac Machiauelli doctrina) nullus existet tam importunus tyrannus, tam immanis sicarius, qui non absolui, laudari, præmio etiā donari, debeat. quippe omnibus cædibus & paricidiis honestus semper finis prætendi poterit, neq. deerit acerbissimis carnificib. splēdidus colos, quo exsecranda scelera fucare vtcumque audeant. Verùm, arcessitis istis coloribus, perinde vt fuco meretricio, tādem elutis & larua detracta, patefactę cædes cędes, latrocinia latrocinia, impij impij, veris vocabulis appellātur. Quantúlibet callidè istę agant vulpes, tādem tamē pro vulpibus agnoscuntur:

Cædes semper cædes est, quemcumq. in finem fiat.

tur: atq. vt multos impune fefellerint priusquam essent agniti, pœnas tamen fraudum postea cum fenore exsoluunt. Quippe nemo illis credere aut fidere vult, etiam quum candidè & bona fide agere in animum induxerunt. Omnes enim quũ illos ex præterita vita ęstimẽt, infidos, versipelles, queis nullum fas, nulla religio, sit, mutati in melius animi fidem facere nequeunt. Hoc ergo iam primum & non leue malum oritur ex hac Machiauelli disciplina: quòd qui ea vtuntur pessimè sibi ipsi consulunt, & omniũ in se hominum odia concitant.

Sævitia iudiciorum æquitaté peruertit.

SED & alterum quoque nihilo leuius incommodum ex hoc præcepto proficiscitur. Nam si Princeps, specie laudabilis propositi, cædes facere sibi permiserit, omnem æqui iuris, iudiciorum, pœnarum, morem ordinêmque peruertet, & statum suum ac reip. in periculum adducet. Nam si Iudicia malè exerceantur, cetera quoq. pessum ibunt: si iudicia vigeant, cetera simul florebunt. sicuti aliâs copiosius ostendemus. Adhæc iniustæ cædes numquam diu inultæ manẽt: sed Deus sua illis præmia & mercedem persoluit. quemadmodum contigit Romulo (cuius exemplum profert iste) qui sicut iniustè fratrem & socium cæciderat ita vicissim cæsus est. Eius rei complura exempla vidit nostra ætas, & plura etiam (vt spero) visura est in eos quos Dei manus nondum adepta est. Porro extra hæc mala & supplicia quæ ferè sicariorum & latronum vestigia vrgent, & vsque ad sepulcrum comitantur: prætérque furias, terrores & occulta tormenta, quæ conscientia scelerum mentes eorum assiduè exagitant: possem hîc refellendo huic dogmati memorabilem Pauli sententiam proferre, Facienda non esse mala

vt eueniant bona. Sed iã alio loco teſtatus ſum nolle me Scripturam, rem tam ſanctam ac pretioſam, conſumere in refellendo profano iſto & impio homine: ſed ſuis eum telis configere, id eſt Ethnicorum teſtimoniis: qui hac vna in parte eum referunt quòd Chriſtiani non ſunt. Nam cetera prorſus ab eo diuerſi, tum in hoc argumento procul abſunt ab exſecrabili iſtius doctrina.

TARQVINIVS Superbus quum propter atrocia facta in caritate ciuium ſpei nihil reponeret, metu regnum tutari ſtatuit. Itaque vt eum pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum ſine conſiliis per ſe ſolus exercebat: pérque eam cauſſam occidere, in exiliũ agere, bonis multare, poterat nõ ſuſpectos modò aut inuiſos, ſed vnde nihil aliud quàm prædam ſperare poſſet: ídque per ſpeciem firmandi principatus. Verùm quàm rectè firmauit? Tantum conſequutus eſt hac Machiauelli doctrina obſeruanda, vt omnium in ſe concitatis odiis, abrogato regno, extorris exſúlque interiret.

Liu. Annal. lib. 1. & 2.

VETERES quidem Romani tantum à ſæuitia abfuerunt, vt ab acerbioribus etiam, quamquam iuſtis, damnatorum ſuppliciis abhorrerent, nedum libenter innoxio ſanguine luderent. Teſtis eius lenitatis eſt Metius Fufetius, qui propter proditionem diuerſis equis diſtractus eſt. Nam etſi tam atroci pœna dignus erat, Romani tamen adeo horruerũt, vt auerterent omnes à fœditate ſpectaculi oculos, & primùm vltimúmq. illud apud Roman. ſuppliciũ exempli parum memoris legum humanarum fuerit.

DISPLICVIT quoque Romanis quòd nonnulli iuniores ex Patribus Genucium ſeditioſiſsimũ

tribunum

tribunum pl. domi necassent, quia plebem concionibus & agrariæ legis stimulis incenderet. Si Genutio dies dicta esset, satis fortè materiæ erat ad cũ damnandum. Iuri quidem obstabat sacrosancta eius magistratus autoritas, neque licebat tribunum pleb. manu aut verbo violare donec magistratu abijsset. Itaque aut alia via eius actionibus resistẽdum erat, aut accusatio differenda donec priuatus esset. Hæc speciosa causa esse videbatur, cur is iure an iniuria tolleretur, atque ita obuiam iretur tribunitiis procellis. Hęc tamen vis pessimíque exempli victoria non placuit, multísque postea seditionibus materiam præbuit.

QVOD scribit iste Romulum Tatij, quem in regni societatem acceperat, mortem curasse, vt rem Romanam facilius, sublato ęmulo, componeret, falsum est. Nam testantur historici, eum hoc edito facinore insolescentem, multa superbè & in senatus contumeliam egisse. Itaque in templo Vulcani, seu ad Capræ paludem, Patrum manibus discerptum esse, & dissecto interfecti corpore partem quemque in sinu extulisse. Mox sollicita ciuitate desiderio regis, subornasse quẽdam qui diceret eum sublimem raptum abiisse in cælum. Atque hoc mendacium adiuuisse Patres, & Romulum, facta fide immortalitatis, retulisse inter deos. Quamobrem illi iniustã Remi & Tatij cędem Romuli cæde vlti sunt. quippe hic ferè perpetuus canon est, vt qui alios iniustè cęciderũt vicissim ipsi cædantur: paucissimas quidem exceptiones habet.

Dion. Halycar. lib. 2.

Liu. Annal. lib. 1.
Plut. in Romulo.

QVOD dicit vnius ingenio atq. autoritate Reip. statum constituendum esse, vsu ipso refellitur. Quũ

enim Romani libertati æquandæ & Reipubl. constituendæ leges condere vellēt, duos Cõsules (quod tunc summi imperij nomen erat) huic muneri non suffecturos rati, reliquis abrogatis magistratibus, transtulere imperium ad Decemuiros, qui ex patriis moribus & peregrinis legibus optimas seligentes & reip. maximè vtiles, iura pop. R. constituerent. Itaq. ab illis XII tabularum leges scriptæ & perlatæ sunt, quas ne vsus quidem longo tempore post eorum ætatem experiendo arguit: & nunc quoque aliquæ ex illis leges obseruantur. Naturæ quoque iudicium id confirmat: quum plus polleant multorum ingenia consiliáq. legem multorum sententiis deliberatam & versatam præstantiorem esse, quàm quæ vnius arbitrio sit condita. Sed hac de re satis copiosè alibi.

Liu. Annal. lib. 3. Dion. Haly. lib. 10.

CETERVM quod de Agide narrat Machiauellus, longè aliter apud Plutarchum legitur. Nam is scribit Agim fuisse placidissimis & mansuetissimis moribus, ac conatum esse Spartanæ reip. statum corrigere & vetera Lycurgi instituta reducere. Cúmq. Ephori ipsius cõsiliis obstarēt, effecisse vt Lysander & Agesilaus, qui studio eius fauebant, Ephori crearentur. Sed vnum Agesilaum auaritia victum hoc præclarum Agidis inceptum & Sparta dignum conuulsisse atq. vertisse. Hæc de Agide Plutarchus. qui nõ ab eo necatos Ephoros, sed ab Ephoris necatum Agim, scribit: neq. de Macedonum expeditione aduersus Agim verbũ vllum facit. neq. (vt opinor) scriptor alius. Itaque splendidum hoc mendacium ab se confictum nemini debet Machiauellus.

Plut. hæc Cleomeni tribuit, non Agidi. in Cleomene & Agide.

XIIII.

XIIII. THEOREMA.

Princeps sæuitiam exercere debet vno veluti ictu atq. impetu: beneficētiam, paulatim.

QVI principatum aliquem inuadit (inquit Machiauellus) quæcumq. sæuè & acerbè fieri expedit, ea primo statim impetu exsequi debet, ne sæpius omissa repetere necesse sit: quò subditos postea mansuefacere leni & moderato imperio possit. Nã iniuriæ semel & vno velut ictu inferri debent, vt quo rariores subditis illatæ fuerint, eo minus irritent. Contrà verò, beneficia sensim & paulatim cōferēda sunt, vt sæpius iterata animos eorum qui accipiunt vehementius imbuãt. Plurimi quidem extitere qui propter sęuitiã tranquillum principatum diu obtinere nõ potuerunt: sed id propterea euenit, quia sæuitiam dextrè non exercuerant. Quæ verò sæuè fieri debent, dextrè fient, si semel transigantur, velut per necessitatem firmandi sui status, vitandi maioris incommodi, & Reipublicæ amplificandæ. Agathocles Siculus, hac disciplina vsus, ad Syracusarum regnum ex humili & sordido genere

Cap. 17. de Principe.

peruenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus, non honestiorem pueritiam quàm principia originis habuit: & omni vita turpis, vitiis tamen magnitudinem quamdam animi adiungens, primò gregarius miles, mox centurio & tribunus militum factus, tandem Prætor Syracusanorum cõstituitur. In eo magistratu, Syracusarum imperium occupare quum vellet, veluti Reipubl. statum formaturus esset, & magnum aliquid communi consilio deliberãdum relaturus, senatum & populum in concionẽ vocari iubet. Sic compositis rebus, immissis militibus populum obsidet, senatumq; & ex plebe locupletissimos & promtissimos quosque trucidat. Ita nullo impediente, Syracusarũ vrbe & imperio potitur. Itaq. qui Agathoclis prudentiam considerauerit & magnitudinem animi eius in tanta re suscipienda & exsequenda, nihilo eum inferiorem quouis alio duce aut imperatore iudicauerit. Memoria nostra, regnante Papa Alexandro VI, Oliuarius Firmanus à pueritia educatus est à Ioanne Fogliano auunculo suo. is illum, simulac ætas militiæ patiens fuit, ad bellum misit, vt stipendiis faciundis sub Paulo Vitellio imperatore, militares artes disceret, & ad honoris aliquem gradum perueniret,

Oliuarius

Oliuarius manu promtus, impigróq. atque acri ingenio, poſtquam aliquamdiu gregarius miles fuit, tam humile vitæ genus pertæſus, ſtatuit Firmam, patriam ſuam, quorumdam ciuium ſuorum ope de improuiſo aggredi,& ea potiri. Vt conſilij compos eſſet, literas ad Ioannem Foglianum auunculum componit: in eis ſcribit, ſe quum perdiu à patria abſuiſſet, propinquos & amicos viſere aliquando cupere. Sed vt ſui ciues noſſent ipſum decus aliquod bello quæſiſſe, quamhonorificentiſſimè fieri poſſet vrbem velle ingredi, centum equitum, clientum & amicorum, comitatu inſtructum. Daret operam ipſe vt ciues feſto apparatu obuiam venirent: id non tantùm ſibi honori fore, ſed etiam ipſi auunculo, à quo eſſet educatus. Ioannes eo nuntio non mediocriter exhilaratus, omnia enixè parat quæ ad ſororis filiũ excipiendum honorificè poterat. Itaque ciues, quum omni rerum verborúmque honore quanto maximo poterãt celebraſſent eius aduentum, eum quoque in publicas ædes deducunt. ibi aliquot dies quieſcit, dum interea parantur quæ ad exequenda deſtinata ſtruxerat. Tandem ſplendidum conuiuiũ inſtruit, ei auunculũ & nobiliſsimos ex ciuibus adhibet. Sub finem conuiuij, de rebus

ſeriis & maioris momenti ſermonem iniicere cœpit, de Papa Alexandro, de duce Valentino eius filio, eorúmque conſiliis & deſtinatis. Ad ea quum eius auunculus nonnihil reſponderet:tum Oliuarius renidens ſermones de rebus eiuſcemodi ſecretiori loco habendos eſſe dixit. Ac eueſtigio, quaſi aliquid occultioris cõſilij eis aperturus, in abditam ædium partem eos ſeducit, remotis omnibus arbitris. Vix eo loco conſederant eius auũculus & ceteri illuſtres ciues, quum ecce irrumpunt milites quos prope eum locum abdiderat, & auunculum eius atque alios trucidant. Iis ita geſtis, Oliuarius cum ſuorum globo per vrbẽ volitans, Magiſtratum in palatio obſidet:deniq.omnes ſubigit vt eius imperiùm accipiant. Ita principatũ in ea vrbe adeptus Reip. ſtatum compoſuit, omnibus interemtis qui mutatione offendi & nocere ipſi poterant. Ac paulo pòſt, ciuilis & militaris diſciplinæ legibus conditis, non tantùm Firmanum principatum ſibi tutum reddidit, ſed finitimis quoque terrori erat. Perincommodè & infeliciſſimè accidit, quòd à Cæſare Borgia imprudens deceptus eſt. Borgia enim quum perblandis & benignis dictis eum Senogalliam pellexiſſet, cõprehendi & ſuſpẽdi iuſſit. Sed niſi mala fors

la fors inuidisset, magnas res haud dubiè gesturus videbatur.

MACHIAVELLVS vt Principē tyrannica disciplina perfectè imbuat, hoc loco edocet qua ratione populum recens subactum mansuefaciat, eiúsque gratiam sibi conciliet. Princeps (inquit) magnam aliquam stragē primò & vno impetu edat, suspectum sibi quemque interimens. Ceteros qui supererunt, sibi comitate amicos reddere & beneficiis paulatim vincere poterit. Sed quis est, obsecro, tam communis sensus expers, quin doctrinam hanc absurdam iuxtà atq. impiam esse intelligat? Quî enim fieri posset, vt Princeps, tam barbaro & immani facinore perpetrato, subditorum animos sibi conciliaret, quum boni quique Principes omni genere clementiæ & benignitatis vix hoc consequātur? Nulla est tam effeminati animi, aut tam proiectæ ac seruilis patientiæ, natio, quæ nō malit cēties mortem oppetere, quàm Principis à ciuili sanguine principatum inchoantis iugum imperiúmque subire. Quòd si vis cogat frenū accipere, diuturnior tamen quàm vis ac necessitas principatus esse non potest. Id vel Oliuarij istius Firmani exemplo doceri potest, qui breui sublatus est: neq. multo aliter ipse Cæsar Borgia, qui iisdem artibus Romandiolæ principatum occupauerat: sicuti alio loco dictum est. Sed quid crudelius aut detestabilius excogitari potest, quàm quod de Oliuario narrat Machiauellus? qui specie amicitiæ propinquos & ciues suos, à quibus honorificè exceptus fuerat, per summum scelus interfecit. Proponit tamen

Ingens immanitas ex animis deleri nequit.

exemplum tale Machiauellus imitandum Principi, ſicuti antea Cæſaris Borgiæ. Agathocles verò quemadm. Suidas & alij ſcribunt) tyrannidem quidem Siciliæ inuaſit, Syracuſarum principibus per dolum interemtis. Sed dignum igitur ſceleribus exitum habuit. Nam, quaſi anguſtioribus inſulæ terminis clauderetur, ſpe amplificandi regni, è Sicilia in Italiam traiecit. Sed quum, eorum quos in partes & conſiliorum ſocietatem attraxerat immutata voluntate, omnia ei in Italia aſpera fœdáq. eueniſſet, irrito incepto regredi coactus, ægritudine animi & morbo conſumtus eſt. Súntne hæc iudicia Dei, qui tyrannos eadem via peſſumdat qua graſſari paſſus eſt? Agathoclem tamen, quamuis infamem vitam inhoneſto exitu clauſerit, audet Machiauellus ſummis imperatoribus componere, exemplar ſcilicet imitandum Principi. Neque huic impio aliud propoſitum eſt, quàm Principi perſuadere vt à virtutibus ad vitia trāsfugiens Tyranni animum & mores induat. Verùm de effectis & fructibus Sæuitiæ quum antea ſatis copioſè diſſeruerim, plura hîc non addam.

SED operæpretiū eſt attendere quàm lepidè probet, pœnarum acerbitate ſemel defungendum eſſe: ne videl. ſi ſæpius & repetitis velut ictibus ſubinde iteretur, acriorem ſui ſenſum memoriámque relinquat. Quaſi verò crudelitatis vulnera eo tātùm momento ſentiantur ac doleant, quo ſunt illata. Nam contrà ex indigna multorum cæde vehemens dolor tam altè in pectora propinquorum amicorúmque deſcendit, vt eius memoriam per omne vitæ tempus ſeruatam, hereditariam ſæpe ad poſteros, in

tertiam

tertiam vſque ſtirpem, tramittant. Atrocia verò facta quæ iteratis vicibus & per interualla eduntur, quamquam repetitis & continuis iniuriis animos exulcerant, haud ita acriter tamen vulnerant, neq. tam peruicaciter inſidunt mentibus hominum. Senſibus quidem noſtris multo fœdius horribiliúſque ſpectaculum eſſe liquet, ingentes trucidatorum corporũ aceruos, quàm duo triáve cæſa, cernere. Deinde quis ſperet principẽ, qui tam ferali introitu principatus initia conſecrauerit, deinceps melius acturum, vtcumque ſimulatis & quæſitis blanditiis clementiæ fidem facere ſtudeat? Vbi enim ſemel tantæ atrocitatis imago occupauit animos, ita pertinaciter hęret, vt inde quamlibet longa humanitatis demonſtratione elui exſeríve nequeat.

XV. THEOREMA.

Tyrannus ſtrenuus & virtute præditus, vt tyrannidis opes firmet, alere factiones inter ſubditos, & boni publici amantes tollere, debet.

SAEPENVMERO vſuuenit (inquit nouus iſte Philiſtus) in regionibus quæ ab vno regũtur, vt quod Principi vtile eſt, damnoſum ſit ſubditis; viciſsímque quod ſubditis commodum Comm. lib. 2. cap. 2 lib. 3. cap. 3.

est, id Principi sit incõmodum. Quæ res sæpe ex Principibus tyrannos facit, quum illi suam vtilitatem subditorum commodis anteponant: sed subditos quoque sæpenumero aduersus Principem concitat, cuius tyrannidem & iniquum imperium diutius ferre nequeunt. Itaque Princeps vt coitionibus subditorum obuiam eat, impediátq. ne aduersus tyrannidem coniurent, serere aleréque odia & factiones inter eos debet. quippe ea ratione sibi inuicem diffidentes, & metuentes ne alteri alteros accusent, nihil audebunt in eum machinari. Adhæc quotquot libertatis publicíque boni amantes, & tyrannidis inimici, erunt, eos necandos curet. Si Tarquinius, rex vltimus Romanorum, hoc præceptum vsurpasset, Brutúmq. interemisset, nemo ausus esset quidquam aduersus ipsum moliri, sempérque, nullo aduersante, tyrannidem pro libidine exercuisset.

QVIBVS artibus paretur Tyrannis, sæuitia videlicet, impietate & iniustitia, exemplis Cæsaris Borgiæ, Oliuarij Firmani & Agathoclis, antè docuit Machiauellus. Nũc qua ratione adepta conseruetur, aperit: fouendo nimirum dissidia & partes inter subditos, & reipublicæ amantes necando. Nemo enim publicæ vtilitatis

litatis studiosus esse potest, quin Tyrannidis inimicus sit: nemo è contrario tyrannidem probare, quin idem publici boni sit hostis. Quippe tyrannis omnia ad se rapit, subditos bonis & commodis exuit, vt ea sibi adiudicet: alienis pro suis, communibus velut propriis, abutitur. Quamobrem qui propriis Tyranni commodis seruit, subditorum eius vtilitatem negligit: qui publico subditorum emolumento studet, priuatis Tyranni rationibus aduersetur necesse est. Hîc autem testor me de tributis aut vectigalibus non loqui, quę iure à subditis exigi possunt. Quum enim ij sint legitimi Principũ reditus, ea imperare & colligere legitimi Principis opus est. Hîc verò de operibus Tyrannorum propriis agimus.

Tyranni omnia in se trahunt.

SIQVA profectò ratio est fouendæ Tyrannidi idonea, ea esse videtur quam hîc docet Machiauellus: nimirum vt discordia & partes foueantur inter subditos. Nam (quemadmodum aiebat T. Quintius Græciæ vrbes ad mutuam concordiam cohortans) aduersus consentientes nec rex quisquam satis validus nec tyrannus est: discordia & seditio omnia opportuna insidiantibus faciunt. Quamobrem ingenuè fateor, neque me hoc negare experientia ipsa patitur, Machiauellum hac in re summum esse tyrannidis doctorem, neq. ad eam tutandam quidquam verius aut conuenientius his præceptis posse tradi: nempe vt qui libertatem & vtilitatem publicam amant interficiantur, & inter ceteros ciues discordia feratur. Nam & ea tyrannidis naturam prorsus redolent, & ex eodem impietatis & iniustitiæ intestabilis fonte hausta sunt.

Liu. Annal. lib. 34.

Tyranni impij sunt.

VERVM tamen neque hæc neque similia præcepta tyrannica diu tyrannum aut tyrannidem tutari possunt. Nam Dei decretum, his Machiauelli præceptis validius, Tyrannidi aduersatur, neque diuturnam esse patitur. quemadm. exemplis Neronis, Caligulæ, Domitiani, Caracallæ, & aliorum, docuimus. Nam vt inquit Sophocles,

Sophocl. in Aiac. Flagell.

Tyrannum pium esse haud est facile.

Itaque quum Tyranni impietate & crasso Dei contemtu abundent, Deus, cui proterue illudunt, iustè & seuerè in eos animaduertit, efficitque vt ferro aut quacumque alia vi pereant: &, teste Iuuenali,

Iuue. Sat. 10.

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt reges & sicca morte tyranni.

Sed præter tragicos & luctuosos exitus, quos Tyranni iusto Dei iudicio sortiuntur, quamdiu etiam viuunt, furiæ diræq. vltrices impurum eorum animum, Deo hominibúsque infestum, ita excarnificant, vt neque vigiliis nec quietibus sedari possit.

Tacit. Annal. lib. 5.

Memorabile est quod de Tiberio Tacitus narrat. Qui quum ad summum tyrannidis fastigium peruenisset, atque in insulam Capreas sese abdidisset, literas aliquando ad senatum scripsit, quibus sæuitiæ & scelerum conscientia mentem exagitatam vastari quasi semet ipse pertæsus testaretur. Adeò facinora atq. flagitia sua (inquit Tacitus) ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ (Platonem intelligit) firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus: quando vt corpora verberibus, ita sæuitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. quippe Tiberium non fortuna, non solitudines

dines protegebant, quin tormenta pectoris suásque ipse pœnas fateretur. Quid? Dionysium Siciliæ tyrannum quo animo vixisse arbitramur? qui nec familiarium, nec filiarum, nec vxorum, nec cuiusquam, fidei credebat. Quamquam hic quidem tyrãnus ipse indicauit quàm esset beatus. Nam quum quidam ex eius assentatoribus Damocles commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negarétque vnquam beatiorem quemquam fuisse: Vísne igitur (inquit) ô Damocle, " quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, " & fortunam experiri meam? Quum se ille cupere " dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimè textili stragulo, magnificis operibus picto: abacósque complures ornauit argento auróque celato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eósque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant vnguenta, coronæ: incendebantur odores: mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi videbatur Damocles. In hoc medio apparatu fulgentẽ gladium è lacunari seta equina appensum demitti iussit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaq. nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum: nec manũ porrigebat in mensam: iã ipsæ defluebant coronæ. Deniq. exorauit tyrannum vt abire liceret, quòd iam beatus nollet esse. Scilicet didicit iste tyrannorũ vitã, cuius splẽdorẽ tãtopere admirabatur, tenui filo pendere.

Tyrãnorũ vita filo pendet.

Cic. Tusc. quæst. lib. 5.

QVID? quo cruciatu timoris angi solitum Neronem cẽsemus? qui perfecta matris cæde, sæpe con-

Suet. in Neron. cap. 34.

fessus est, se materna specie exagitari, verberibúsq; furiarum ac tædis ardentibus. Quàm iucundā vitam egisse Caligulam & Caracallam putamus? qui arcas variorum venenorū plenas secum circumferebant, tum vt alios, tum vt seipsos veneno tollerent, si fortè esset opus, ne in manus inimicorum viui inciderēt. Quid Heliogabalū? qui funes serico & cocco intortos parauerat, quibus, si necesse esset, laqueó vitam finiret. Parauerat & gladios aureós quib. se occideret si aliqua vis vrgeret. Neq. profectò inter artes tyrānicas vlla sollertior videtur quàm vt maturē prouideant tyranni vt mortē in potestate habeant, siquid immineat grauius. Sæpe enim illis supremū illud auxilium ereptum est, quum maximè eo egēt: sicuti Neroni contigit, qui nec amicū nec inimicum habuit cuius manu periret. Adiuuit quidē eius manū Epaphroditus à libellis, vt ferrū iugulo adigeret, sed neq. is neque alius soli id tentare ausi fuerāt. Si scriba illeà libellis ludū scribę istius Machiau. frequentasset, hauddubiè ad cædem fuisset audacior.

Tyranni furiis & diris vexantur.

CETERVM quemadmodum his præceptis Machiauellus sibi hoc vnum proponit vt tyrannū informet, ita nobis pro tyrāno habēdus est quicumq. hęc in praxin atq. in vsum vertit. Quisquis igitur inter subditos dissidia & simultates fouet: quisquis perniciē struit iis qui reip. incolumitatem & instaurationem procurant, is pro cōmuni hoste & tyranno censendus est. Sūt & alię Tyrannidis notę, cuiusmodi sunt eæ quas suprà ex Bartolo protulimus: & quas scriptores in Tarquinio Superbo extitisse memorant. Hic enim contemta plebe simul & patrib. confusisque legibus ac moribus patriis, & omni decoro corrupto quo ciuitas sub prioribus regibus

Tyrannidis notæ.

Dionys. Halyc. lib. 4.

floruerat, principatum in manifestam tyrannidem vertit. Ac primùm satellitio se stipauit audacissimorum hominum exterorum & ciuium: tum negotia publica domi plerumque tractabat cum amicis intimis, pauca verò in foro: controuersias quoque litium non ex iure dirimebat, sed ex suis moribus. Præterea multos illustres viros capitalibus criminibus inuoluit, primùm inimicos, pòst etiam alios quibus putabat molestam esse mutationem status publici, præcipuè diuites. Fuerunt & qui clam ab eo interficerentur, quorum ne cadauera quidem vsquam reperta sunt: ita sublata per mortes exiliáque senatus parte maxima, senatum ipse alium constituit. Adhæc imperatis contra veterem morem tributis plebem grauissimè afflixit. Habebat postremò passim speculatores & inquisitores tam dictorum quàm factorum occultos plerosque, qui misti confabulantibus, & interdum de tyranno malè loquentes, pertentabant animos singulorum ciuium: deinde quos sensissent præsentem rerum statum molestè ferre, deferebāt ad Principem: conuicti autem pœnas acerbas dabant. Hi sunt colores quibus historici Tarquinium depingunt, postquàm ex rege legitimo tyrannus effectus est: simúlq. eæ sunt notæ & signa quibus tyranni deprehendi possunt. Neque in firmandis tyrannidis opibus quidquam videtur omisisse Tarquinius, hoc vno excepto quòd Brutum non interfecit: qui error in arte tyrannica commissus (vt doctè annotat Machiauellus) perniciem illi attulit. Sed eius rei causa fuit, quòd Brutus, ne auunculo suspectus esset, contemtu tutus esse statuit, vbi in iure parum præsidij esset,

& ad stultitiæ imitationem de industria factus est. Quippe soli sapientes & probi viri Tyrannis suspecti & inuisi: stulti, fatui, luxuriosi, perditi, adulatores, lenones, sicarij, nouarum prædandi ex publico & priuato artium inuentores, & eiusdem notæ homines, illis acceptissimi sunt. Neque tamen continuò Tyrāni extra periculum. potest enim inter stolidos & fatuos exoriri aliquis Brutus, qui necopinatum illis exitium struat. Itaque eorum vita tenui semper filo dependet: sicuti dicebat Dionysius tyrannus Siciliæ.

Liu. Annal. lib. 24. EXEMPLVM Hieronymi, Siciliæ quoq. tyranni, referre hoc loco iuuat. Is Hieronis, (qui etsi nullum ius ad principatum haberet, & propterea tyranni nomen tulerit, bonis tamen artibus partum firmatúmq. regnum summa iustitia exercebat) is ergo Hieronis boni & moderati Principis nepos erat: par ŭus admodum quum auus moreretur. Itaque Hiero tutores quindecim puero reliquit, in iis Andronodorum & Zoilum generos, & Thrasonem quemdam, primos: quos precatus est moriens vt fidem erga populum Rom. quinquaginta annos ab se cultā inuiolatam seruarent: iuuenémque suis potissimum vestigiis insistere vellent, disciplinæque in qua edoctus esset. Post hæc mandata quum exspirasset, Andronodorus puero in concionem producto (erat autem tunc XV fermè annorum) vt nomen regium penes puerum, regimen rerum omnium penes se, esset, ceteros tutores summouet: iuuenē iam esse dictitans Hieronymum, ac regni potentem: deponendóque tutelam quæ ipsi cum pluribus communis erat in se vnum omnium vires conuertit. Atque vt se ipsum

ipſum ſub regis iuuenis autoritate metuendum efficeret, purpuram illi & diadema ac ſatellites armatos circumdedit, quadrigíſque etiam alborum equorum ex regia procedentem, more Dionyſij tyranni, oſtendit. Atque vt eum prorſus ab Hieronis inſtitutis auerteret, hunc tam ſuperbum apparatum habitúmque conuenientes ſequebantur mores: contemtus omnium hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta: aditus non alienis modò ſed tutoribus etiam difficiles: libidines nouæ, inhumana crudelitas. Ita corruptis ab Andronodoro adoleſcentis moribus, coniuratio in tyranni caput facta: mox indicata, mirabiliter tamen ad exitum perducta eſt. Nam quum ab indice nominatus inter coniuratos Theodorus quidam torqueretur, victum malis ſe ſimulans, auertit ab conſciis in inſontes indicium, Thraſonem & alios quoſdam ab latere tyrāni nominans. Ita ſtolidus & furioſus iuuenis, ex Andronodori ſententia, cuius deſtinatis illi obſtabant, præcipuos & maximè fidos amicos ad ſupplicium tradidit. Quare paulo pòſt tyrānus, poſtquam ſe amicorum fido præſidio orbauerat, à coniuratis in viæ cuiuſdam anguſtæ tranſitu multis vulneribus confoſſus eſt. Interfecto tyranno, Andronodorus & inſulam & arcem & alia quæ poterat, quæq. opportuna erant, præſidiis firmat. Sed in præſentia tempori cedens, paulo pòſt, quum nequicquam palam atque apertè petitum regnum, clam & dolo affectaret, in curia interfectus eſt, ipſe, vxor eius & vniuerſa ſtirps tyrannorum, tam innoxij quàm qui crimini affines erāt. Hic plerumque eſt eritq. iuniorum principum exitus, qui in tyrannos degenerant: ſimúlque eorum

Coniuratio patefacta, & patrata.

qui illos in prauos mores & vitia præcipitant.

POSTREMO hîc quoq. præteruolandum non est profani nebulonis scelus, qui sublato omni boni & mali discrimine, strenui & virtute præditi nomen Tyrãno attribuit. Nõ est hoc perinde vt si tenebras claras, vitium honestum, ignorantiam doctam, appellaret? Sed de industria & libens sacrilegus iste impostor ea dicendi genera vsurpat, vt exsecrabile odium Tyrannidis, quod mortalium animis ferè insculptum est, quoad eius fieri possit deleat: eámque Principi gratam ac concupiscendam efficiat.

XVI. THEOREMA.

Princeps non minus virtute quàm vitio odiũ sibi conciliare potest.

Comm. de Princ. ca. 19.

PERTINAX (inquit Machiauellus) Imperator appellatus est aduersa militum volũtate, qui Commodo imperitante, vitiis & voluptatibus dediti, licentius viuere consueuerant. Itaque Pertinax princeps bonus & sapiens, militibus odio fuit, veritis ne militarẽ disciplinam veterem reducere vellet. Simili casu periit Alexander Seuerus, adolescens multis egregiis dotibus instructus. Ex quo animaduertẽdum est, maleuolentiam hominum

num non minus virtute quàm vitio quæri. Quare si Princeps rerum suarum statum tutari vult, eorum ingeniis à quibus damnum aut iniuriam metuit, sese accommodet: eorúmque vitia & quamuis corruptos mores imitetur. Quippe virtus & honestæ actiones illic aduersæ atque exitiosæ sunt.

SIQVID fortè bonæ indolis supererat in Principe, siquod semen ingenuitatis in animo ad virtutem propenso latebat, id totum nunc euellit Machiauellus. Haud multo secus acsi diceret, inter vitium ac virtutē nihil esse discriminis: neque multum referre vtrum sequatur, dum quod maximè rebus suis commodum erit id potissimum deligat. Potius tamen vt vitio vtatur, Principi suadet, quod fouendæ tyrannidi aptius est. Nam siquis dixerit, vitia maleuolentiam hominum, subditorum etiam, párere: nō minus virtute odia quæri respondet. In eam sententiam, Pertinacis & Alexandri Seueri exempla coniicit, qui propter virtutes (vt ipse interpretatur) militum in se odia concitauerint. Quis cacodæmon magis pestiferum dogma excogitare possit? Si omne virtutis ac vitij discrimen euertimus, quantum inter nos & bruta animantia interest? Nihil planè: tantùm quòd eo deteriores & vitiosiores erimus, quo humanum ingenium in vitia sceleráque sollertius est natura bestiarum. Verùm & naturæ iudicia, & sensus communis, & quotidiana experientia, demonstrant Machiauellum hîc, vt in plerísque, impudenter mentiri. Quippe non solùm bonos & egregios principes Boni Principes cari, mali inuisi, sunt subditis.

beniuolentia, sed malos quoq. & vitiosos omnium odium sequitur, nisi fortè assentatorũ, qui tamdiu amorem simulant, quamdiu aliquam ex tyrannis vtilitatem se capturos sperãt. Quia tamen alio loco vberrimè de Adulatoribus, eorúmq. simulata beniuolentia, disserui, hoc loco actum agere mihi consilium non est.

SED idem mortalibus circa eminentes virtutes vsu venire existimo, quod lippis accidere solet, quũ solem intuentur. Nam vt hi fulgorem solis ferre nequeunt: ita nulla aut exigua virtute homines, excellentes virtute viros pati non possunt. Sic olim Atheniensis populus, quum iis qui virtute & gloria eminerent supra ceteros ciues offenderetur, exilium decennale (exostracismon appellabant) principum alicui per interualla irrogabat. Sed inuidiæ gloriæ aut virtutis eius prætexebat metũ tyrannidis. Quippe fidei haud absonum erat in populari Reip. statu (qualis tum erat Athenis) magnum aliquem virum & multis virtutibus insignem captato sensim fauore populi, principatum in ciues & summam autoritatem in Republ. versis in se vnum omnium viribus, occupare posse. Ergo Athenis ij sæpe quorum conspicua erat virtus & maximæ in ciuitate opes, à populo ea lege ab vrbe amoti sunt: in iis Aristides, Themistocles, Alcibiades, & alij magni viri aliquot. Nullius tamen facinoris illud exilium pœna erat, sed speciosum nomen habebat, vt autoritatis & potentiæ grauioris diceretur depressio. Nã quum magnorum virorum virtutes admirarentur, suspectas tamen habebant, neque eas magis in comparatione sui tolerare, quàm lippi solem, poterant. Erat

Plut. in Nicia & Alcib.

Exilium honorificum Athenis.

igitur

igitur & aliqua eius pœnæ dignitas, neque vilis & obſcurus in eam vllus incidere ſolebat: donec irrogatione inſtāte decennalis exilij Hyperbolo cuidā ſordido & improbo homini, ceterum ex audacia & popularibus concionibus opes nacto, hęc multa inflicta eſt. Quum enim eo ad vexādos ſugillandóſq. principes populus vteretur, atq. huius impulſu exoſtraciſmus Alcibiadi aut Niciæ (qui ea tempeſtate ciuium potētiſſimi erant) immineret, ſiue conſociatis ab Alcibiade factionibus, ſiue quòd ciuitas principibus illis viris ægrè caritura erat, damnatio in ipſum Hyperbolum vertit. Quo honore, quum ob improbitatem ſimiliter ac ſummi viri multatus eſſet, numquam illi in vita maior obtigit.

ROMAE quoque hoc Catoni minori vſuuenit, cuius quum probitatem, iuſtitiam, ſeueritatem, ciues admirarentur, gratis tamen plebi moribus præditus ipſe non eſſet, Conſulatus repulſam tulit: malebátque populus mediocri virtute præditis honores mandare quàm Catoni, cuius tamen antiquos mores mirabatur & laudabat. Sic Furij Camilli, Pauli AEmilij, & Scipionis Africani, virtutes ad cælum latas, ſuſpectas tamen & calumniis petitas, Liuius ſcribit. Neq. illis accuſatores grauius quidquā obiicere poterāt, quàm in eos nimiū gloriæ, nimiùm honorū congeſtum eſſe, quos illuſtrib. victoriis & magnificis triumphis belli domíq. peperiſſent. Petilius Scipionis Africani accuſator, nihil propè aliud ei obiecit quàm non ad aliam rem in Aſiam cum fratre profectum, quàm vt quod Hiſpaniæ, Galliæ, Siciliæ, Africæ, iampridem perſuaſum eſſet, hoc Gręciæ Aſiæ'q. & omnibus ad orientem verſis regibus

Plut. in Cat. Vtic.

Liu. Annal. lib. 5. & lib. 38. & lib. 45.

gentibúsque appareret vnum hominem caput columénq. imperij Romani esse: sub vmbra Scipionis ciuitatem dominam orbis terrarum latere: nutus eius pro decretis Patrum, pro populi iussis, esse. Ita infamia intactum, inuidia qua poterat vrgebat. Ad ea Scipio nihil respondit, quum huic accusationi respondere nihil posset: nisi fortè diceret, Virtutem sibi inuidiæ & fraudi esse non debere. Sed quum eam à suis ciuibus tolerari non posse prospiceret, Linternum concessit, & ruri vitam egit sine desiderio vrbis. Quamobrem ex his colligi potest, præclaros viros propter eminentiũ virtutum claritudinem suspectos & inuidiosos (populo pręsertim deprauato & corrupto) non inuisos aut contemtos, reddi.

Virtutes eminentes Principi suspectæ esse non debent.

SED apud Principem eiuscemodi inuidiæ locum esse non decet: qui virtute spectabiles viros amare & fouere debet. Nam præterquam quòd virtutis alienę laus, & rerum ab eius ministris bene gestarũ gloria, ipsi Principi assignari solet, exiguæ virtutis hominum opera rebus in magnis vti non potest. Quippe egregia facta virtutis effecta sunt: & quemadmodum ex rubis vuæ aut poma decerpi nequeunt, ita Princeps à vitiosis aut modicæ virtutis hominibus summa laude digna officia frustra exspectet. Neq. vlla Principi iusta occasio esse potest, cur præclaros viros suspectos habeat. Primùm, quia eiuscemodi, multò carius decus habent quàm tenuis fortunæ homines, neque facilè adducuntur vt aliquid fœdum inceptu aggrediantur. Secundò, quum se à Principe diligi suámque virtutem enitescere & honorari vident, ea res bene agendi studium accendit. quod prauis consiliis & inceptis aduersum est.

Deinde

Deinde excellenti virtute homines, magno & generoso animo sunt: struere autem bono Principi insidias, quod perfidorum est, magnitudini animi repugnat. Postremò quum hac ætate Regna & principatus non tumultuaria & violenta electione aut ambitu, sed hereditario iure vel legitimis populi suffragiis deferantur, amentes illi essent si altius fastigium affectando quàm quò aspirare liceat, & moliēdo res nouas, pro tutis, certis & olim partis, noua, ambigua, & ancipitia, mallent. Si præter hęc virtuti adiuncta sit pietas, numquā in animum inducet vir bonus & Dei metuens, vt vim aut dolū nectat Principi, quem coli & obseruari Deus in primis iubet. Itaque Principi resistere, cum Deo ipso bellum gerere est. Ac quum ciuilem potestatem Deus sua autoritate sanxerit, danda in primis Christianis opera est, vt fidele & voluntarium obsequium Principi præstent, quamdiu is legitimi & boni Principis locum tuetur & parteis agit, neque apertè in tyrannum degenerat.

CETERVM quod Machiauellus Pertinacem scribit propter virtutes odium militum in se conciuisse, perspicuè falsum est. Quamquā enim ille Princeps multas ob virtutes commendabilis erat, tamen propter sordeis & auaritiā (quas inter virtutes Principis pòst Machiauellus enumerat) malè vulgò audiit. Fuit enim adeo sordidus & lucri cupidus vt mercaturas exerceret iam Imperator per homines suos, non aliter quàm priuatus solebat. Et quū quantulacumq. parci senis liberalitate conciliari militum animi potuissent, alimentaria etiam compendia quæ nouem annorum ex instituto Traiani debebantur, Capitol. in Pertin. Herod. lib. 6.

obdurata verecundia sustulit. Itaque quum ex iis in contemtum simul & odium militum venisset, ab iis interfectus est. Alexandrum Seuerum quoq. ob matris Mammeæ sordes nimias parsimoniámque erga legiones inuisum, sui milites cum ea interfecerunt, quemadmodum Herodianus æqualis iis temporibus scribit. Perperam ergo à Machiauello proferuntur exempla Alexandri & Pertinacis, vt probet Principes ob virtutem, inuisos reddi. Deinde etsi milites, à quibus interfectus est Pertinax (qui licentiæ luxuriæ'que à Commodo ita assuefacti erant, vt haud minus vitia Principum amarent quàm olim virtutes verebantur) & ij à quibus Alexander (qui sub Heliogabalo omnibus vitiis sese immerserant) etsi, inquam, illi virtutis hostes essent, ex iis tamen exemplis perpetua lex aut regula constitui non debet. Latrones & sicarij iudicia & magistratum oderunt: quis tamen inde colligit Principem plus sibi inimicitiarum quàm beneuolentiæ ex eo quærere, quòd iudicia seuerè exercet? Quare hęc & similia exempla pro exceptionibus regulæ vniuersalis habenda sunt, cui, vtcumque aliter interdum cadat, sua semper tamen constat veritas. Quemadmodum hæc apud philosophos enunciatio, AEstatem calidam, hiemem frigidam, esse, etsi nonnumquam hiberni nonnulli dies æstiuis nonnullis calidiores sint, vera esse propterea non desinit.

XVII.

XVII. THEOREMA.

Princeps aliquem ſemper aduerſarium in ſe alere debet, vt eo oppreſſo potentior & terribilior videatur.

PRINCIPES (inquit nouus iſte Anaxarchus) creſcere ſolent, quum moles & difficultates ſuis deſtinatis obſtantes ſuperant. Itaq. Princeps ſapiens ingenioſa quadam ſollertia aliquem in ſe aduerſarium fouere debet, vt illius oppreſſione ac ruina ſuas opes amplificet. Talis enim aduerſarius magnitudini eius augendæ materiam præbebit, ac veluti gradum quo altius aſcendat. Comm. de Principe cap 20.

EIVSDEM notæ hoc Theorema cujus ſuperiora illa, non aliò etiam ſpectat quàm vt Princeps omni ope metum ſui potius quàm beneuolentiam paret. Sed Principẽ qui ex Machiauelli præceptis agere decreuerit, multum laborare non neceſſe eſt qua ratione inimicum ſibi comparet. Quippe ea via numquam deerunt illi hoſtes, & inteſtini & externi, imò etiam domeſtici. Sed fore vt eos opprimat, quo ſui formidinem incutiat omnibus, nemo eſt qui præſtet: crediderim ego potius, & ille hoc pro certo habeat, futurum vt illi Tyranni ſatis ſemper hoſtium habent.

Tac Annal. lib. 15. cum tandem subuertant. Quum Milichi indicio Nero grauem coniurationem aduersus se factam cognouisset, illi ad hæc peragenda quæ hic Machiauellus docet diligentia aut sæuitia non defuit. Ergo quum agmina coniuratorum ad supplicium ipsius iussu traherentur, tantum sui terrorem iniecit, vt so-
„ lum Neronis nomen formidabile esset. Ita simul (in-
„ quit Tacitus) compleri vrbs funeribus, Capitolium
„ victimis: alius filio, fratre alius, aut propinquo, aut a-
„ mico, interfectis, agere grates diis, ornare lauru do-
„ mum, genua ipsius aduolui, & dextram osculis fati-
„ gare. Nec minus in senatu, cunctis, vt cuiq. plurimũ
„ mæroris, in adulationem demissis, decreta dona &
„ grates diis: propriúsque honos soli, cui erat vetus æ-
„ des apud Circum in quo facinus parabatur, qui oc-
„ culta coniurationis numine retexisset: decretum e-
„ tiam vt templum Saluti exstrueretur, eo loci ex quo Sceuinus ferrum promserat. Atque id Nero gaudium credens (quod gaudij tantùm imitamentum erat) omni sæuitiæ genere grassatus est. mox satiatus pœnis & vltione satis expleta securus, de publico mœrore quasi prorsus debellatis hostibus triumphabat. Sed multo aliter euenit. nam his aliis super alias cædibus ceterísque sceleribus, tantum in se hominum odium conciuit, vt omnes prouinciæ ab eo deficerent: donec ab omnibus destitutus, præterquam à quatuor aut quinque libertis qui illum fugientem prosequuti sunt, sua ipse manu caderet. Itaque Neronem sollicitum esse non oportebat qua ratione inimicos in se pararet: quemadmodum hic docet Machiauellus. Neque enim iis moribus deesse illi vmquam inimici poterant. quemadmodum & satis

multi

multi ſemper exiſtunt qui ceteros tyrãnos oderint.

NAM quomodo tyrannis inimici non eſſent, quando egregiis quoque Principibus exoriuntur aduerſarij? Sed hac de re præclarum Philippi Cominæi ellogium hîc inſeram, qui lib. Hiſt. 5. cap. 18. in hanc ferè ſententiam ſcribit: In rebus humanis ita comparatum eſt, vt nullus ferè ſit populus, nullus Princeps, nulla ciuitas, cui non æmulum aliquem & aduerſariũ Deus excitarit. Gallis oppoſuit Anglos, & Anglis Scotos. Luſitani Caſtellanis oppoſiti ſunt: Granatenſes Luſitanis. Inter principes Italię & potentiores ciuitates perpetua ſimultas intercedit. ſic cetera Regna & principatus inter ſe diſſident. Nam ſiqui Princeps aut ſiquæ ciuitas ſecura ſine vllo metu hoſtili viueret, luxuriantibus otio animis, principatus in libidinem & tyrannidem verteretur. Ita Deus dum ſingulari prouidentia Principib. & ciuitatibus excitat æmulos, illis velut quoſdam ſtimulos ſubdit, vt alij aliorum metu modeſtè & temperanter ſe gerant. Neque vlla res eſt quæ Principem melius in officio contineat quàm aduerſarij metus. Neque enim Dei metu, aut caritate proximi, aut rationis imperio (quæ maximam partem Principes negligunt) aut legum reuerentia (quarum vinculis ſolutos ſe eſſe putant) à libidine & ceteris vitiis deterrentur, ſed ſola hoſtis formidine. Et aliquanto pòſt Cominæus, hac quæſtione expedita, aliam huic annexam aggreditur: Quænã cauſſa eſt (inquit) cur Principes in rapinas & ſcelera prorumpant, ſpreto diuinæ poteſtatis & iuſtitiæ reſpectu? Incredulitas hoc efficit, inquit. Nam ſi Principes & ceteri omnes certò ſtatuerent Deum eſſe qui ſcelus nullum finit im-

Com. lib. 5. cap. 18.

Deus cuique Principatui aduerſarium aliquem attribuit.

Principes fide carentes, Dei metu quoque & caritate vacui ſunt.

„ punitum: horrendas & æternas pœnas manere in-
„ iustos & impios: credibile est neminem fore qui vio-
„ lenter aut auarè aut crudeliter aliquid ageret. Om-
„ nia igitur mala & calamitates ex Fidei defectu pro-
„ ficisci perspicuum est. Cui rei argumento vel ipsi
„ Principes esse possunt. Nam quũ ab hoste Princeps
„ aliquis captiuus detinetur, quid habet in rebus tam
„ carum aut pretiosum quod pro sui liberatione non
„ dependat? Quidquid tam è suis quàm è populi fa-
„ cultatibus corrogare potest, hoc eò totum confert:
„ quemadmodum accidit temporibus Ioannis Vale-
„ sij, Galliarum regis, qui captus ab Anglis apud Pi-
„ ctones, dependit eis tricies centena francorum mil-
„ lia, & simul dedit Aquitaniã, id est tertiam ferè Gal-
„ liæ partem: quæ tunc ad extremam inopiam reda-
„ cta, corio cui clauus argenteus infixus erat, loco
„ pecuniæ vtebatur. Hæc omnia ille pro recuperanda
„ libertate persoluit, & vt nihil planè dedisset, Angli
„ tamen non erant eum interfecturi: atque vt id fecis-
„ sent, quota tamẽ fuisset illa (quæso) pars cruciatuũ
„ inferni, qui post hanc vitam impios manent? Cur au-
„ tem se, suos liberos, & populum, hac pecuniarum
„ collatione exhausit? Ideo sanè, quod certò sciret se
„ non alioqui è captiuitate euasurum. Quiduis igi-
„ tur ille fecit vt è vinculis expediretur: at verò vbi re-
„ perias Principes qui posteaquam semel aliquid per
„ iniuriam, aut quocumque modo, occuparint, resti-
„ tuere illud velint. Itaque neq. ratio, neque iurisiu-
„ randi religio, neq. metus diuini numinis, nec æqui-
„ tas vlla, neque inferni cruciatus perpetui, flectere il-
„ los possunt vt quod alienum est, quod à se mala fi-
„ de possideri sciunt, id reddant vltro. Id ergo nul-

la ex re

la ex re adeò fit quàm incredulitate. Quippe nō cre- «
dunt Principes fore vt Deus aliquando ab ipsis sce- «
lerum pœnas expetat, & pro fabulis habent quæ de «
inferis dicuntur. Certissimum tamē est fore vt Deus «
in eos non minus quàm in alios animaduertat, si nō «
in hac in vita, certè in futura. Verùm (dicet aliquis) «
quis de potentibus quæstionem habiturus est? quis «
illos coram iudice accusabit? quis pœnarum erit exa «
ctor? Certè querimoniæ & lacrymæ miserorum ho- «
minum, quos crudeliter vexarunt, viduarum & pu- «
pillorum suspiria & gemitus, quos parētibus & ma- «
ritis inhumanè orbarunt: breuiter eorum quos for- «
tunis omnibus euerterunt, lamenta & voces, pro ac- «
cusatione erunt, quam illi omnes coram supremo «
Dei tribunali sistent. Qui magnitudine scelerum of- «
fensus, non semper concedit diuturniorem impuni- «
tatem, sed illos aliquando præsentibus pœnis ver- «
berat: & quidem ita euidenter vt dubitari non pos- «
sit ipsum iniquitatum esse iustum vltorem. Sed quo «
priuatos homines altius supereminent Principes, eo «
etiā grauius & periculosius cadunt. Præsagium autē «
ipsorum ruinæ nullum certius, quàm vbi Deus mē- Signa & præsagia ruinæ & exitij Principis.
tem illis ita imminuit, vt, sapientum consiliis repu-
diatis, prouehant homines nouos, stolidos, vecor-
des, & assentatores qui omnia ad ipsorum gratiam "
faciant & loquantur. Nam simulatq. hæc eueniunt "
Principi, ipsi à Deo ruinam & perniciem immine- "
re statuere possumus. "

HAEC in summa sententia est clarissimi & sapientissimi viri Philippi Cominæi, iisdem ferè verbis ab eo scripta, de caussa propter quam Deus aduersarios Principibus commoueat. Quæ quidem

germanè Christiana est, & ab hominis vsu rerum tractandarum pollentis prudenti iudicio profecta. Cominæus enim totos triginta annos à rege Ludouico XI, & Carolo VIII eius filio, legationibus obeundis & summis negotiis gerendis adhibitus est. Neq. cum eo vlla ex parte conferendus est Machiauellus, vilis scriba & tabularius: cui quum nulla vmquam grauior res cõmissa sit quàm vt Florẽtinæ Reip. rationes referret in tabulas, ab his rudimentis orsus, ausus est sese Regum principúmq. negotiis inserere, atque eos docere quænam sit optima Reip. administrandæ, aut verius tyrannidis moliendæ, ratio. Siquis verò præstantissimi historici Cominæi Annales legerit, in iis multa luculentáque præcepta comperiet, ab eo longa experientia rerum diligenter collecta & notata, neq. minus idonea bono Principi formando, quàm Tyranno Machiauellica.

PORRO quia insignis inter multas eius ista sententia est, quam superius protuli, Deum videl. alienare mentem Principis quem perdere constituit: ad eam confirmandam veteris cuiusdam sapiens elogium adiungam, cuius meminit Sophocles:

Soph. in Antigone.

Sapienter (inquit) *ex quodam*
Celebre dictum profectum est,
Malum videri aliquando bonum
Illi esse, cuius animum
Deus agit in calamitatem.

XVIII.

XVIII. THEOREMA.

Principi peierare, fallere, & dißimulare, sine vlla dubitatione licet. nam decipiendi artifex semper aliquem fraudi opportunum nanciscitur.

PRINCEPS (inquit Machiauellus) qui opes suas augere & imperii fines prorogare vult, artem fallendi ediscat necesse est. Hac arte Ioannes Galeacius ducatum Mediolanensem Bernardo auunculo suo eripuit. Romani quoque per nomen simulationémque societatis ac fœderis Latinos populos ita imprudentes circumuenerunt, vt prius eos in suam potestatem ac seruitutem redigerent quàm illi hoc suspicarentur. Magnæ quidē ad fallendum simulationes, dissimulationes & periuria adhibēda sunt: sed Princeps qui ad id natura & arte factus erit, prosperos sēper inceptorum habebit exitus. Homines enim ferè adeo simplices & parū cauti sunt temporíq. ac præsentibus necessitatibus adeo seruiūt, vt fallendi artifex fraudi sēper aliquē paratum atq. opportunum reperiat. Posse in hāc sentētiā innumera exēpla fœderū, induciarū, promissorū, referre, quę à Prin

Comm. lib. 2. ca. 13. & c 18. De Principe.

cipibus violata felicem euentũ habuerunt. Recens tãtùm eius rei testimoniũ proferã. Alexander VI. Pontifex nullam vnquã aliã artem quàm imposturam exercuit, neque ad aliud studium animum adiunxit: neque vllus vmquam extitit, qui aut promissa magis exsecrabilibus sacramentis cõfirmaret, aut qui ea minus sancta haberet. Fraudes tamen illi & periuria bene cesserunt. quippe hic hominum ingenia tractare & versare nouerat.

THEOREMA hoc nihil aliud est quàm ἐπεξήγησις & amplificatio superioris illius, qua Machiauellus docet Principi expedire vt Vulpem agat. Siquidem nunc exponit quid sit Vulpem agere: Fallere videl. dissimulare & peierare, atque his virtutibus Principem ornatum esse oportere contendit. De Fallacia seu astutia paulò antè abundè disseruimus: de Perfidia & periurio pòst alio loco agemus. itaq. paucis hoc transigemus, ne sæpius iteremus eadem. Neq. tam exiguæ mentis vllus est quin agnoscat hanc doctrinam non Principi tantùm indecoram, sed & cuiuscumque sortis homini, esse. Immò si eius rei AEgyptij illi errones, & circulatores circumforanei ceterique eius generis æruscatores, iudices caperentur, haud dubitem ipsos dogma hoc vt impium & exsecrandum damnaturos.

QVOD scribit, Impostorẽ, semper aliquem fraudi opportunum nancisci: non nego semper existe-

re

re fatuos & incautos homines qui ab eo imprudentes dolo capiantur, immò etiam nonnumquam acutos & sagaces: sed nemo tamen adeo ingeniosus fallendi artifex est quin sæpius etiam ipse fallatur. Nam simulatque patuere eius fraudes, nec negotij, nec commercij, quidquam cum eo habere volunt homines: aut si cogantur, ne ipsi irretiantur, occupare & dolos ei nectere student. Neque licitum modò sed laude dignum quoque putant Cretissare aduersus Cretensem. Itaque fieri non potest quin deceptor, multorum insidiis appetitus & suis tentatus artibus, sæpe in suas ipse pedicas, quas aliis struxerat, incidat. Quippe & nemo vnus adeo huius artis impostoriæ peritus est, vt alios se doctiores reperire non posit: & multorum sollertia vnius versutias facilè eludit. Ita non rarò euenit vt fallacia in autorem vertat, & (sicuti prouerbio fertur) cornix cornici effodiat oculos.

Impostor sæpe suis artibus capitur.

NEQVE eius rei longius exemplum petã quàm ab ipso Alexandro VI, cuius ea in re peritiam commendat Machiauellus. Quò enim spectabant eius fraudes ac periuria, nisi vt Cæsarem Borgiã spuriũ suum, regem Italiæ, mox totius Christiani nominis, si posset, faceret? Sed consiliorum ac inceptorũ eius tragicus fuit exitus, sicuti aliàs exposuimus. Ceterum quæ fuit causa cur toties ille Pontifex principes Christianos, in iis Ludouicum XII. regem Galliæ, impune falleret? Quia nimirum ea tempestate adeo vehemens bullarum & fulminum Papæ metus occupauerat hominum animos, vt legatum Dei in terris vulgò crederent, omniáque eius verba haberent pro totidem oraculis. Hæc res tum Papæ

impoſturis, famam & autoritatem circumdabat: ſed quum eius hodie ſomnia pueri quoque ludibrio habeant, nihil eſt iam quod talibus illecebris homines inescare ſperet.

QVOD dicit Machiauellus veteres Romanos per nomen & ſpeciem æqui fœderis ac ſocietatis redegiſſe in ſeruitutem Latini nominis populos, fabula mera eſt. Quippe (vti ex Hiſtoriis paret) omnes diuerſis temporibus ſubegerunt. Ita tamen cum illis pacem & amicitiam paciſcebantur, vt quum tanquã bello victis leges dicerent, eas ſibi paulo commodiores quàm illis darét: neq. id iniuria. Nam quum iure gentium victi, victoris ſerui ſint, & omnia ei qui armis plus poteſt dedantur, multo magis ipſe ius & imperium aliquod in victos obtinere debet. Imperium autem hoc in ſubactos populos penes ſe retinebant Romani, in omnibus fœderibus: Ne videl. ſocij & amici cuiquam bellum inferre poſſent ſine ſuo arbitrio & conſenſu: deinde vt ad Romana bella milites ex formula darent. Ceterum veterem libertatem, priſtina iura, ſuas leges, religionem, magiſtratus, & cetera immota populis relinquebant, neque noua vlla tributa illis imperabant. Ea conditio, ſeruitus dici non debet, ſicuti nominat Machiauellus: aut ſi ea ſeruitus vocanda eſt, nulla hodie Chriſtiana gens exiſtit, ſiue earum quæ ſub Regibus viuunt, ſeu quæ Optimatum conſilio aut Populi imperio regũtur, quę duplicis & quadruplicis ſeruitutis iugum non ferat.

Socij ac fœderati Romanorum, ſerui non erant.

IAM quum Machiauellus dicat Artem deceptoriam Principi notam eſſe debere; quæri hîc poſſet cautionis adhibendæ gratia, quænam ſint eius artis

præcepta

præcepta. Huic quæstioni pro Machiauello respondeo, eius rei nõ posse tradi pręcepta singularia, quæ vnicuique negotio accommodentur ad cauendam fraudem: sed generalia principia seu axiomata eius artis hæc esse, Audaciter peierare, Callidè dissimulare, Insinuare se in animos & eos pertentare, Fidem & promissum frangere, & cetera eius generis, quæ partim iam exposuimus, partim exponemus. Sed hîc diligenter animaduertendum est: Ingenioso versutiarum architecto non passim neq. erga omnes Frangendæ fidei præceptum vsurpandum esse. Nam si vbique & semper violaret, peccaret in aliam legem quæ iubet Callidè dissimulare: & quum debeat boni viri orationem & mores imitari, nudaret seipsum & subdolum animũ palam omnibus cõspicuum faceret. Itaq. vt omnia simul artis principia obseruet, fidem in paruis rebus seruabit, vt in magnis & grauib. frangat. Quod vt caueret Scipionẽ Fabius Max. monebat, traiicere in Africam cum exercitu parantem: An Syphaci Numidísq. credis (inquiebat) satis sit, semel creditum. non semper temeritas felix est: & fraus fidẽ in paruis sibi pręstruit, vt, quum operæprecium sit, cum mercede magna fallat. Hoc consilium Fabius vir sapientiss. Scipioni iuueni imperatori dabat. Qua igitur via fidei fallacis insidias eludemus, quę paruis in rebus constans, in magnis destituit? Id planè agẽdũ, quod se actururũ Fabio respõdit Scipio: Syphacis & Massanissæ regũ (inquit) fidei ita innitor, vt veriturus perfidiã sim.

Principia artis impostoriæ.

Liu. Annal. lib. 28.

Sed & alia cautio est aduersus versipelles istos homines, simulandi & dissimulandi artifices, qui multa promittunt, & nihil minus pensi habent quàm vt promissa præstent. Fugiendi enim sunt

tamquam orcus, & angue peius odio habendi: vel Achille teste, qui sic apud Homerum loquitur,

Hom. Iliad. lib. 9. *Odi etenim, ceu claustra Erebi, quicumq. loquũtur*
Ore aliud, tacitóque aliud sub pectore claudunt.

XIX. THEOREMA.

Princeps scire hominum animos versare debet, vt eos fraude circumueniat.

Comment. lib. 2. c. 42. & 18. de Principe.

PRINCIPES (inquit Machiauellus) ætas nostra vidit, qui quum hominum animos astu tractare & pertentare nossent, magnas res gesserunt, eósque vicerunt qui simplicem & nudam fidem colebant. Id fit quũ Princeps vitium aut virtutem eius quem circumuenire vult, diligenter notat, & ad eum inescandum illecebram naturæ eius idoneã offert. Sic Appius Claudius, vnus Decemuirorum qui Romæ creati sunt, quum summum in vrbe imperiũ amplexus perpetuò tenere vellet, potentissimos quosque ducere in partes & sibi conciliare statuit. In his quum Quintum Fabium, egregium antea domi militiæ'que virum, honoris cupidum esse cognosceret, dignitates & honores pol-

licendo

licendo eum labefecit, atque ita mutauit vt Appij quàm sui similis esse mallet. Præterea quum nobiles adolescentes Romanos (alioquin ingenuè & liberaliter educatos) diuitiarum cupidine ex ætate flagrare intelligeret, ad explendas libidines, largiendo pollicitandóq. ita obnoxios sibi fidósque fecit, vt eorum semper circum se, tamquam stipatorum & ministrorum tyrannidis, cateruas haberet. Quare Princeps qui ea arte hominum animos versabit, eos haud difficulter dolo captos quocumque volet inflectet.

AH Galli nimium simplices! Videtis reta & laqueos quibus toties implicamini? Vos simulationum nescij liberè quæ sentitis eloquimini, stolidas voces & inconsultas iacitis, Machiauellitis istis pectora & affectus nudatis; illi simplicitatem vestram callidè captant, speculantur abditos sensus vestros, & arcana eliciunt. ita vos incautos minimo labore illaqueant. Ipsi verò lenti, cunctabundi, taciti, occulti, sensus suos penitus abdunt; deinde suspensa semper & obscura verba: neque illis quidquam temerè ore excidit, quin multo antè cogitent quam in partem interpretari possitis, ídque ita in incertum & ambiguum implicant, vt in contrarium planè sensum quàm quem vos suspicamini dicta inflectant. Neq. verò hoc quidem occultum habent. Galli isti (inquiunt) leues, vani, imprudentes, nimij sermonis, arcana premere, affectus abscondere, non didicerunt. «

Insuper simul loquendo verba alij aliorum præpediunt, & lingua infreni omnibus cogitationes suas aperiunt. Hoc certè nobis ingenuè fatẽdum est, nullius gentis quæ Galliæ vicina sit animos & voluntates tam facilè introspici posse quam ingenia Gallorum. Itaq. hoc Cabalæ Machiauellitarum μυστικώτατον dogma est, neque alio magis vtuntur ad res Galliæ pro arbitrio versandas. Sed si hanc eorum artem Galli eludere possent, vna opera omnes eorum conatus & consilia infringerent: quibus paulatim omnes sibi suspectos aut formidabiles subuertunt, quo ceteris Turcicam in seruitutem detrusis, securi Gallias coloniis Italicis occupent.

Ingenia Gallorum ad scrutandum facilia.

SED hoc præceptum variè vsurpatur: nimirum tam vitiis hominum quàm virtutibus animaduersis. Nam simulatque alicuius ingenium ambitione flagrare intelligunt, dignitate oblata perliciunt hominem, mox ampliorem pollicitando, eo vtuntur vt libet. Ita introspecto & captato eius animo, eum in suam nassam attrahũt, vt nihil sit tam fœdum aut iniquum in quo suam illis operam non commodet. Nam (sicuti Sallustius scribit) Ambitio, quod vitium propius virtutem est quàm auaritia, multos mortales falsos fieri subigit: aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum: magísque vultum quàm ingenium bonum, habere. Itaque insana illa honoris cupido multis sępe ciuitatibus exitij caussa & omnium malorũ quasi materies fuit. Quippe multis veterib. & nouis exẽplis liquet, vecordi ambitione sæpe incẽsos homines in patriæ perniciẽ coniurauisse. Quæ tabes hodie nimiùm multorum mentes occupat, qui obliti se omni iure diuino, humano & naturali, ad pa-

Sall. in Catil.

Ambitio ingentium malorum fax.

ad patriam conſeruandam obſtringi, eam tamen ſeque ac ciues ſuos obſtinatis animis perditum eũt, vt honoris ſpeciem inanem & fumum quemdam fortunarum, vitę, & animarum ſuarum pretio emãt. Verùm quid facias talibus mancipiis ambitione occęcatis & ebriis, quorum animos iſti pro libidine adeò agunt trahúntque vt eos ſuiſmetipſorum vitiis, velut hamis, inuncent? Eodem modo ſi aliquem Machiauellitæ iſti in venerem pronum eſſe cõpererint, meretrices aulicas elegantes & comtas ſummittunt, quæ breui illum ſua libidine, tamquam viſco, implicent. Si cuius auaritiã nudauerint, dono aliquo, forte ſacerdotio aut alio munere, ſibi deuinciunt, & maiorum ſpe ac promiſſis onerant. Ita hominis corrupto animo facilè potiuntur. Si quem probum, in bono & fide conſtantem deprehenderint, conantur ab eo promiſſum aliquod elicere, atque ex eo dolos illi nectunt. Si alterius ingenium boni publici amãs perſpexerint, munus illi aliquod anceps & doloſum mandandum curant, vt ea via pellici in inſidias poſſit. Denique percontandis & explorandis hominum ingeniis, & ſcrutandis eorum virtutibus, vitiis, affectibus, morbiſq. & perturbationib. animorum, vndique machinas fabricantur, quò eos in poteſtate habeant: ſiue vt eos penitus tollãt, ſiue vt in ſuos mores formãtis ad deſtinata ſua exequenda abutantur. Ceterum cautiones, quibus eorum doli fraudéſq. vitentur, nõ admodũ difficiles ſunt, attentis quidem & ſapientibus. quippe, quum eiuſcemodi exploratores ingeniorum ſatis hodie noti ſint, vt in ſuas ipſimet inſidias præcipitent, contrà explorandi ſunt.

XX. THEOREMA.

Princeps qui, velut coactus, clementia & lenitate vtitur, perniciem suam accelerat.

Comm. li. 1. cap. 32.

VIX vmquã euenit (inquit Machiauellus) vt comitas & indulgentia qua Princeps in subditos vtitur, quum rebellionis aut alio quouis metu coactus id agit, gratè ab illis accipiatur. Populus enim beneficia à Principe sic in se collata grato animo nũquam ferò amplectitur: immò potius accepta illa fert iis qui Principem eò necessitatis inuitum traxerunt. Atq. id populum sæpius ad quærendas rationes impellit, quibus Principem in eas angustias detrudat. Quare numquam Princeps extremam illam necessitatem exspectare debet, vt subditos comiter & liberaliter habeat. quippe adeo nihil opis in eo erit, vt exitium quoque eius maturet.

HAVD dubiè longè honestius atque vtilius Principi est, vt subditorum obsequium bono & moderato imperio anteeat: quàm vt vim exspectet, cogatúrque aut summum ius rigorémq. laxare, aut frangi. Consiliũ tamen hoc Machiauelli planè impium est, & eiuscemodi

cemodi vt ex eo Princeps nihil nisi certam perniciem sui ac rerum suarum sperare posit. Quum enim Principi suadet vt subditos duriter & inclemẽter habere obfirmato animo pergat, etiam quum necessitate ad clementiam trahitur: si is de summa seueritate nihil remittat, etiamsi infesta multitudo non procul seditione absit, perstétque in incepto immitis animus: quid inde sequi potest, præter ipsius ac reipubl. status interitum? Qua enim re magis nititur status Principis quàm consensu & vnanimi obsequio subditorum? Si ergo obstinato & inuicto rigore ac sæuitia subditos eò perducat vt ipsius obedientiæ sese subtrahant, nónne eum cum principatu corruere necesse est? Nam, vt luculenter Sophocles,

Nimia Principis seueritas subditos ad obsequiũ negandum impellit.

-Dura nimiùm mentes
Cadunt maximè: & durissimum
Ferrum assatum ex igne firmissimum,
Fractum & ruptum plurimùm videas.

Sophocl. in Antigone.

QVARE hoc Machiauelli consilium, quo rigida & inflexa pertinacia aduersum subditos tendere Principi suadet, non minus ceteris regibus perniciosum est quàm Roboamo fuit, qui populum tributorum & onerum leuamentum orantem obstinatè & superbè repulit. Quippe ille rex consilium isti nimis compar sequutus, inclemẽter populo respondit, se durius asperiúsq. patre suo ipsos habiturum, nedum vt quidquam de oneribus solitis & suo iure deminueret. Itaque tam minaci & contumaci respõso populi animos ita offendit, vt maximam regni partem amitteret.

IAM quod dicit, populo ingrata esse beneficia

Beneficia extorta non omni vtilitate carent.

quæ Princeps necessitate coactus confert, vel experientia ipsa refellitur. Neque enim adeo acuta est plebs, vt multum laboret in vestigandis causis quæ Principem ad hoc vel illud iubendum edicendúmve impulerint: sed eiuscemodi constitutionum bonis perfruens, (quorum gaudium omnium aliarum rerum sensum præoccupat) non præsenti tantùm lætitia effusa, sed per multos dies gratis & cogitationibus & sermonibus reuocata, faustis ominibus precibúsque Principis sui clementiam prosequitur. Eius rei paces Gallicæ, quæ bella ciuilia exceperũt, satis multa exempla suppeditant. Has enim pacis leges Euangelici ab inuito Rege extorsisse videri poterant: & Rex contrariis edictis, quum bella instaurabantur, perspicuè id declarabat. Nam inter alia Edicto anni 1568, testatus est sibi semper eum animum fuisse vt Religionem illam Euãgelicorum tolleret: eam tamen se aliquamdiu tolerasse vt necessitati ac tempori seruiret. Quare Aulici eam per ludibrium Religionem toleratam vocabant: Catholicã Romanam verò, Religionem ratã & approbatam. Quamquã igitur hæc pacis edicta Rex inuitus concederet, nihilo tamen secius populus erga Regem gratus, eum vt boni publici amantem laudabat, & pro ipsius incolumitate Deum orabat. Sed fingamus quod vult Machiauellus, beneficia vi aut necessitate extorta à Principe gratiam omnem apud subditos amittere: an propterea sequitur clementiæ Principis in subditos nullum fructum extare? Quippe eo remedio populi querimoniæ sedantur, rebellionum seditionúmq. materies, siqua erat, discutitur. Id Romæ sæpe accidisse pluribus exemplis ex Liuio probari po-

bari poteſt. Nam quum Romæ atrox aliquod certamen plebis aduerſus patricios ortum erat, ſimulatque illa à patribus obtinuerat quod peteret, quieſcebat. Non deerant vtique inter Patres non minus ingenio conſilióque pollentes quàm Machiauellus (quales erant Appius, Coriolanus, Q. Cæſo, & alij nonnulli) qui ſuaderent, nihil ſeditionum & turbarum metu plebi concedendum eſſe: immò recuperanda iura quæ extorta ſeceſſione ac vi patribus eſſent: diſcordiam ita magis accendi quàm dirimi, neque vmquam defuturam certaminibus materiem, ſi peſſimo exemplo ſeditiones non tantùm impunitas ſed præmia quoque ſequerentur. Vincebat tamen in ſenatu ſententia melior: Plebem per ęqua per iniqua patribus reconciliandam eſſe, ac potius cedendum popularibus procellis quàm reſiſtendum eſſe. Sæpe in Gallia propter noua vectigalia impoſita populares motus exorti, ſublatis vectigalibus exſtincti ſunt. Quippe in omni re ſi cauſſam ſuſtuleris, effectus quoque ſimul pereat neceſſe eſt. Non nego id contra naturam ſeditionis eſſe, vt ex ea aliquid boni oriatur, neque propterea ſeditiones & rebelliones peſsimo exemplo ciendas: ſed viciſſim cogitandum eſt, populum numquam ſine iuſta aliqua & graui cauſſa in ſeditionem exardeſcere. Itaque ſi fumantem ſeditionem maturè non oppreſſit Princeps, accenſam reſtinguere, & quamuis ſero remedio negligentiam corrigere, ne dubitet. Nam in ira & ſæuitia perſeuerare, irritatiſq. animis ignes materiémque ſubdere (quod Machiauellus docet) exitiale eſt: multo tutius honeſtiúſque omni contentione depoſita, mollire animos, quoties bonum publicum pri-

uatúmq.ſuadet:quemadmodum Phœnix apud Homerum Achilli præcipit:

Verum age, vince animum ipſe tuum fortiſſime Achille,
Vince iram, fera corda doma: ne pectore ſæuo
Eſſe aliis videare atque implacabilis ira,
Quod minimè decet atq; indignũ eſt laudibus iſtis:
Quum neq; ſint tales, quoniam placantur & ipſi
Dij ſuperi &c.

Ineptæ Machiauellitarum diſtinctiones.

AC quominus id quoq. obſeruarent boni Principes, Machiauellicis diſtinctionibus numquam impediti ſunt: quales iſtæ ſunt, Subditum priorem ſuppliciter debere veniam & pacẽ orare: Quod Princeps conceſſurus ſit ſubditis, ipſius arbitrij debere eſſe, ne videatur leges accipere ab iis quibus dicere debet: neq. cum iis fœdus ex æquo facere. Dedecus fore Principi ſiquid inuitus & coactus egerit: & alia eiuſcemodi. Prudentes enim Principes (quantum ex hiſtoriis colligere licet) tam ſubtilia rerũ diſcrimina & vix pueris dignas ambages numquam ſeruarunt: ſed perinde vt ſalus ſubditorum & ſui ſtatus incolumitas flagitabant, ita ſeſe accommodarunt. Neque conſilium ſalutare inhoneſtum, neq. conditiones iniquas arbitrati ſunt, quibus integram populi beneuolentiam & obſequium ſeruare poſſent.

XXI.

XXI. THEOREMA.

Princeps prudens fidem seruare non debet, si damno ei est, & occasiones propter quas eam dedit, sublatæ sunt.

PRVDENS & acutus Princeps (inquit Machiauellus) fidem sanctè seruare nec potest nec debet, quum talis obligatio ipsi damno est, & occasiones necessitatésq. quæ illũ ad dandam fidem impulerunt, præteritæ & exstinctæ sunt. Si omnes homines boni essent, præceptum hoc vituperari posset: sed in tanta hominum malitia, quum ipsi fidem non colant, Princeps quoq. suam illis præstare non tenetur. Neq. metuendum est vt Principi desint speciosæ caussæ, quibus hãc fidei violationem velet. Præterea promissa vi extorta posse frangi cogitandum est (præsertim si bonum publicũ agitur) vbi vis aut necessitas præteriit. Cuius rei quum multa exempla legantur, nostra ætate quoque id quotidiano vsu confirmari cernimus. Nam non tantùm promissa coacta à Principibus violantur, postquam vis decessit: sed cetera quoque non seruantur, vbi eorum occasiones seu caussæ sublatæ sunt.

Cap. 18 de Princip. & Com. lib. 3. cap. 42.

Etsi in ſuperioribus placitis Machiauellus omnium qui ſunt & qui fuerũt impietatem nequitiámq. ſuperet, hîc tamen nõ tantùm alios omnes ſed ſeipſum quoque vicit: neq. inter ea quidem dogmata quæ hominũ in homines officia ſpectant, vllum hoc deteſtabilius eſt. Nam ſi Fides illáq. in dictis promiſsíſque conſtantia ex hominum vita ſublata ſit (ſicut Machiauellus tollere nititur) omnes contractus, commercia, omnem ciuilem iuſtitiam, & hominum inter ſe ſocietatem & communionem, ſimul aboleri neceſſe eſt, quæ ſine fidei ſanctitate conſiſtere nequeunt. Iam ſi diſſoluto fidei vinculo, omnia vendendi, emendi, permutandi, commodandi, commercia, ceteríque contractus & omnis negotiatio, iuris æqua deſcriptio, certáque viuendi diſciplina, leges ac mores, diſsipati interirent, quantum inter nos & bruta animantia intereſſet? Paullum admodum, niſi quòd deteriores eſſemus. Nam ſublatis commerciis neceſſe eſſet diſperſos homines, in agris beſtiarum more vagantes, ſine vrbibus, ſine pagis, cultu & victu ferino, in diem rapto viuere. Quare qui è rebus humanis Fidem expellit (quemadm. Machiauellus) in ſilueſtrem & ferinum victum rurſum redigit homines, eóſque ſpoliat omnibus commodis & vtilitatibus quæ ex hominibus percipiuntur, omnibúſque illis artibus quibus exculta mortalium vita tantum diſtitit à victu & cultu beſtiarum. Quod ſiquis Machiauelli diſcipulus reſpondeat, eius conſilium non eſſe, Fidem funditus è communi vita tollere, ſed eam tantùm violare, quum ex ea re aliqua capi poteſt vtilitas, eódem recidere vtrumque

Hominum vita ac ſocietas abſq. fide conſiſtere non poteſt.

conte[n]do

contendo ac propè paria esse, Fidem penitus tollere &, Eam emolumenti sui caussa frangere. Nam qui pannum emit, & pepigit se pretium persoluturum, vbi merces acceperit, poterit dicere se pẽdendi pretij fide & pacto hac regula absolui, quoniam sibi vtile sit & pannum & pecuniam habere. Cui aliquid commodatò vel mutuò datum est, dicet se à Machiauello liberari commodati vel mutui reddendi promisso, quia sibi scilicet commodum sit id retinere. Similiter in omnibus contractibus & commerciis fidei violatio quamlibet fœda vtilitatis velo tegi poterit: atque ita paulatim fides penitus ex hominũ vita eiici. Hæc sunt effecta & fructus pestiferæ huius doctrinæ.

Ei verò refellendæ, vel malorum quæ inde sequuntur coniectura euidens, vel insignis absurditas, quæ vel imperitissimis quibusque obuia est, sufficere possunt. Sufficere quoque potest Scripturæ sacræ vnicum illud testimonium, quo iubet Deus vt fidẽ & promissa, etiam cum incommodo nostro coniuncta, sanctè obseruemus. Sed profanum istum hominem, sicuti antea, Ethnicorum testimoniis refutare mihi consilium est, atque ostendere quàm malè negligentérque T. Liuium legerit, in quem commentationes illas suas ignorantiæ iuxta atq. impietatis plenas scripsit. C. Licinius & L. Sextius tribuni pl. leges aduersus opes patriciorum & pro commodis plebis, promulgauere: Vnam de ęre alieno, vt deducto eo de capite quod vsuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis portionibus persolueretur: Alteram de modo agrorum, nequis plus quingenta iugera agri possideret. Ad has rogationes

Psal. 15

Liu. Annal. lib. 6.

dissuadendas Appius Claudius Crassus ex patritiis processit, docuitque inter alia, hac dulcedine ex alienis fortunis prædandi illici populum non debere ad iniquas leges iubendas: quarum altera solitudines vastas in agris fieri, pellendo finibus dominos: altera fidem abrogari, cum qua omnis humana societas tollitur. Oratio Appij ad id saltem valuit vt tempus rogationum iubendarum proferretur. Postea semunciarium ex vnciario fenus factum, & in pensiones æquas in triennium, ita vt quarta præsens esset, solutio æris alieni dispensata est. & sic quoque parte plebis affecta, fides tamen publica priuatis difficultatibus potior ad curam senatui fuit. Sæpe quoque ab aliis tribunis Lex agraria promulgata est, neque vmquam sine maximis rerum motibus, seditionibus & ciuium cædibus, agitata. Ex quo apparet violationem fidei publicæ perpetuò secum calamitates magnas & malorum Iliada trahere.

Liu. Annal. lib. 23. ROMAE, secundo bello Punico, quum adeo ærarium inops esset vt stipendium ex publico ad exercitum Hispaniensem mitti non posset, re ad senatum relata, plebi nouum onus iniungi non placuit. quippe ipsum tributum conferentium numerum magnis exercituum stragibus imminutum: tum qui superessent pauci, si multiplici grauarentur stipendio, alia perituros peste. Itaque, quũ neq. plebs tot per annos tributo exhausta stipendium ex affecta re familiari pendere posset, neq. pecuniæ quidquam in ærario esset, nisi fide Respubl. staret, opibus non staturam. Prodeundum in concionem Fuluio prætori esse, indicandásq. populo publicas necessitates, exhortandósq. qui redemturis auxissent

patrimonia,

patrimonia, vt reipubl. ex qua creuissent, ad tempus commodarent: conduceréntq. ex lege præbenda, quæ ad exercitum Hispaniēſem opus eſſent: vt quũ pecunia in ærario eſſet iis primis ſolueretur. Hæc prætor in concione edixit: qua die veſtimenta, frumentum, Hiſpanienſi exercitui præbenda, quæque alia opus eſſent naualibus ſociis, eſſet locaturus. Vbi ea dies venit, ad conducendum tres ſocietates aderant hominum vndeuiginti. quorum duo poſtulata fuere. vnũ, ne eo triennio alij publicani eſſent: alterum, vt quæ in naues impoſuiſſent, ab hoſtium tempeſtatíſq. vi publico periculo eſſent. Vtroq. impetrato, conduxerunt, priuatáq. pecunia reſpubl. adminiſtrata eſt, & quemadmodum conducta omnia magno animo ſunt, ſic ſumma fide præbita: nec quidquam deſideratum, acſi ex opulento ærario, vt quondam, alerentur. Si de fide Romana dubitatum eſſet, non tam facilè reperiſſent in tanta rerum difficultate qui priuatis opibus rempublicam ſuſtinerent: ſed quibus conſtans dictorum & promiſſorum veritas non deeſt, deeſſe quoque non poteſt quicum contrahant.

PERSEVS rex Macedoniæ bellum in Romanos cõparans, quũ Græcarum ciuitatum ſollicitatis animis, in primis Achæorum gentis conciliandæ ſibi viam quæreret, literas ad Achæos ſcripſit. Iis recitatis, & pleriſque benignè & moderatè ſcriptas eſſe cenſentibus: Callicrates ex iis qui in eo verti ſalutem gentis crederent, ſi cum Romanis inuiolatum fœdus ſeruaretur: Parua (inquit) aut mediocris res, Achæi, quibuſdam videtur agi: ego maximè grauiſsimam omnium, non agíque tantùm ar- Liu. Annal. lib. 41.

,, bitror, sed quodammodo actam esse. Quis enim
,, non videt viam regiæ societatis quæri, qua Ro-
,, manorum fœdus, quo nostra omnia continentur,
,, violetur? His & multis aliis præterea rationib. Callicrates Romanę societatis & fidei publicę caussam agens, impediit ne de Persei amicitia accipienda decretum fieret: & peruicit vt Achæi, Romanam societatem, vnam tum in terris vel viribus vel fide stabilem, fouentes, ne legatos quidem aut nuntios regis admitterent, per quos aliquorum ex ipsis animi sollicitarentur, ne ea res fidem suam Romanis suspectam redderet. Huic consilio suffragatur præclarũ hoc M. Antonini Cæsaris elogium, Nihil grauius & calamitosius esse quàm fidem nullam in hominibus esse, eámque violari ab amico: sine qua nulla amicitia, nulla virtus, tuta esse possit.

Dion In Marco.

CETERVM quum famæ & fidei damna maiora sint quàm quæ æstimari possint, nõ tãtùm fidei violatæ crimine sed suspicione quoque, quoad eius fieri possit, carendum esse Fabius Maximus memorabili exemplo docuit. Annibal omnibus belli cladibus Italiam vrens, quum ei à perfugis monstratus ager dictatoris Fabij esset, omnib. circa solo æquatis, ab vno eo ferrũ ignémq. & vim omnem hostiũ abstineri iussit, vt occulti alicuius pacti ea merces videri posset. Fabius verò ea re inuidiam sibi quæri prospiciens, quum tunc quoque argentum pro captiuis debitum, quoniam non consuluisset patres, tardius erogaretur, ne cui sua fides suspecta esset, inuiolatum ab hoste agrum misso Romam filio vendidit, fidémque publicã priuato impendio exsoluit. Ac nihil profectò in hominum vita sociali fide ad extre-

Fides nec re ipsa violari, nec perfidiæ suspicione aspergi, vult.
Liu. Annal. lib. 22.

extremum constanti gratius est, præsertim quum sociorum affectis rebus inuiolata seruatur. Itaq. Romani amicorum & sociorum numero habebant, & bene de se meritos existimabant, eos qui ipsis bello implicitis socialem fidem colerēt & fidelium sociorum officio non deessent. Secundo bello Punico quū Ptolemæus rex AEgypti in fide mansisset, peracto bello legati tres ad eum Roma missi sunt, qui annunciarēt victum Annibalem Pœnósque, & gratias agerent regi, quòd in rebus dubiis, quum finitimi etiam socij Romanos desererent, in fide mansisset: & peterent vt pristinum animum erga populum Rom. conseruaret. Liu. Annal. lib. 31.

ATTALVS rex Pergami virtute sua ad regiam dignitatem peruenit. Huic viro (inquit Liuius) præter diuitias fortuna nihil dederat ad spem regni. his simul prudenter, simul magnificè vtendo effecit primū vt sibi, deinde vt aliis non indignus videretur regno. victis deinde prælio vno Gallis, regiū adsciuit nomen; cuius magnitudini semper animum æquauit, summa iustitia suos rexit, vnicam fidém sociis præstitit: & quum in Roman. amicitiam venisset, eā perpetua & constanti fide ad extremum finem vitæ perduxit. Itaque regnum Eumeni filio adeo stabile ac firmū reliquit, vt eum Romani adiecta regni Antiochi parte florentissima præpotentē inter Asiæ reges fecerint: quia patris vestigia ingressus (qui P. R. societatē maximā filio hereditatē relinquere se moriens dixerat) non animū duntaxat bonum ac fidelem præstitisset, sed etiam omnibus bellis pro ipsis arma tulisset. Liu. Annal. lib. 33. & 37.

QVONDAM profectò Romanis adeo venerabilis & sancta erat fides publica vt eam pro numine Liu. Annal. lib. 1. & li. 24.

colerent. Itaq. apud eos sollenne & sacrarium erat institutum Fidei, in quo pacis leges, fœdera, induciæ, iureiurando confirmabantur, vt eius qui ea violaret sacrum diis inferis caput esset. Neque in priuatis contractibus sanctius vllũ iusiurandum quàm fidei: publicæ verò tanta autoritas, tãta existimatio, vt nemini tutius pecunias credere quàm Reipubl. priuati arbitrarentur. Bello Punico secundo, quum fortè Cẽsores ob inopiam ærarij se iam locationib. ædium sacrarũ tuendarũ, & similiũ his rerum, abstinerent, cõuenere frequentes ad eos, qui hastæ huius generis assueuerãt: hortatiq. Censores vt omnia perinde agerent locaréntque acsi pecunia in ærario esset: neminem nisi bello confecto pecuniã ab ærario petiturum esse. Pecuniæ quoque pupillares primò, deinde viduarum, cœptæ conferri: nusquam eas tutius sanctiúsq. deponere credentibus qui deferebant, quàm in publica fide.

Liu. Annal. lib. 29. & lib. 31. 3. SCIPIO Africanus posteaquam in Siciliam venit, vt in Africam cum exercitu transiiceret, Syracusas nondum ex magnis belli motibus satis tranquillas venit: Græci res à quibusdam Italici generis eadem vi, qua per bellum ceperant, retinentibus, concessas sibi ab senatu repetebant. Omnium primum igitur ratus tueri publicam fidẽ, partim edicto, partim iudiciis, etiam in pertinaces ad obtinendam iniuriam, redditis, suas res Syracusanis restituit. Non ipsis tantùm ea res, sed omnibus Siciliæ populis grata fuit, eóque enixius id bellum adiuuerunt.

M. Valerio Læuino & M. Cl. Marcello COSS. bellum gerente in Italia Annibale, quum Romanis ad classem ornandam & militum stipendia pecunia in

nia in ærario non esset, consulibus autoribus voluntaria pecuniarum collatio à priuatis facta est. Nondum perfecto eo bello, sed in Africam verso, ea res à M. Valerio Læuino ad senatum relata est: qui à priuatis collatas pecunias se ac M. Claudio Consulibus, reddi tandem æquum esse dixit. nec mirari quemquã debere, in publica obligata fide suam præcipuam curam esse. Nam præterquam quod aliquid propriè ad consulem eius anni, quo collatæ pecuniæ essent, pertineret, etiam se autorem ita cõferendi fuisse, inopi ærario, nec plebe ad tributũ sufficiente. Grata ea patribus admonitio fuit. iussísque referre consulibus, decreuerunt, vt tribus pensionibus ea pecunia solueretur: primam præsentem ij qui tum essent, duas tertij & quinti Consules, numerarent. Quum tertiæ pensionis tempus venisset, priuati frequentes, quibus ea debebatur, senatum adierũt: quia Cõsules, quum ad nouum bellum & magnas reipublicæ necessitates vix ærarium sufficeret, negauerãt esse vnde iis in præsentia solueretur. Quum & priuati æquum postularent, nec tamen soluendo ære alieno Respublica esset: quod medium inter æquum & vtile erat, decreuerunt: vt quoniam magna pars eorum agros vulgò venales esse diceret, & sibimet emtis opus esse: agri publici qui intra quinquagesimum lapidem esset, copia iis fieret: Cõsules agrũ æstimaturos, & in iugera asses vectigales, testandi caussa publicum agrum esse, imposituros: vt si quis quum soluere posset populus, pecuniã habere quàm agrum mallet, restitueret agrum populo. Læti eam conditionem priuati accepere.

PORRO ea in fide sanctè seruanda integritas nõ

in Romanis tantùm publicè, sed in singulis quoque priuatim, adeo elucebat, vt nihil tantopere fugerent quàm quidquam contra fidem facere. Scipio in Africa bellum gerens cum Pœnis indutias fecerat, vt legatos Romam ad pacem petendam mitterēt. Nōdum reuerterant ab Roma legati, neque sciebatur quæ senatus Rom. de pace aut bello sententia esset: necdum indutiarum dies exierat, quum Asdrubal CC onerarias, XXX longas naues, ex Romana classe, tempestate disiectas & captas Carthaginem abduxit. Eo indigniorem iniuriam ratus Scipio, ab iis qui petissent pacem & indutias, spem pacis & fidem indutiarum violatam esse, legatos Carthaginem extemplo mittit. Qui quum multitudinis cōcursu propè violati essent, nec reditū multo tutiorem habuissent, & alio super alio scelere haud dubiè ruptæ indutiæ essent, legati Carthaginienses ab Roma superueniunt. Iis Scipio, etsi non indutiarū modò fides à Carthaginensibus, sed etiam ius gentiū in legatis suis violatum esset, tamen se nihil nec institutis populi Ro. nec suis moribus in iis facturum esse dixit. ita eos iure belli liberos, intactos & inuiolatos, dimisit. Quippe tum vulgatum Canonistarum dicterium nondum in vsu erat, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*. Inter Cæsaris virtutes minima quoq. hæc nō fuit, quòd quum motis apud Ilerdam deditionis conditionibus, quum, assiduo inter vtrasque partes vsu atque commercio, Afranius ac Petreius deprehensos inter castra Iulianos subita pænitētia interfecissent, admissam in se perfidiam non sustinuit imitari. Naturalis quidem ratio hoc dictat, quæ vitia aut scelera in aliis damnamus,

Liu. Annal. lib. 30.

Suet. in Iulio. c. 75.

mus, ea nos non debere imitari: nec (ſicut dicebat L. Quintius Cincinnatus) qui exemplo aliis eſſe debemus, aliorum exemplo peccare potius, quàm alij noſtro recte faciant.

PRAETEREA veteribus Romanis tanta religione colebatur Fides, vt non tantùm violari eam crederent ſi aliquid contrà facerēt, ſed etiam quum paterentur fieri aliquid ab aliis quo fides læderetur. Poſteaquam Annibal Saguntum Hiſpaniæ vrbem ſociam Romanis, cepit & exſcidit, nō tantùm ingens mæror, miſericordiáque ſociorum peremtorum indignè, & pudor non lati auxilij, recenti clade, ſed, quum iam res proſperæ in Hiſpania eſſent, verecundia Romanos cepit, Saguntum oppidum, cuius ciues ad vltimum fidem ipſis præſtitiſſent, quintum iam annum ſub hoſtium poteſtate eſſe. Itaq. (fidem agi in eo ſuam rati) id oppidum vi pulſo Punico præſidio receptum, cultoribus antiquis quos vis belli reliquerat, reſtituerunt. & Turdetanos qui contraxerant eis cum Pœnis bellum, in poteſtatem redactos ſub corona vendiderunt, vrbémque eorum deleuere. Bellum in Hiſpania propter ipſos ſuſceptum, quatuordecim annos tam pertinaciter geſſerunt, vt Carthaginienſes ex Hiſpania expulerint: per omnem Hiſpaniam Saguntinos ciues venumdatos, dimiſsis qui conquirerent, ex ſeruitute in libertatem vindicarunt. deniq. nullo tempore deſtiterūt quæ Saguntinis commoda, quæque aduerſa ipſorum hoſtibus eſſent, facere. Adeò præclari illi & antiqui moris homines omnibus teſtatū facere ſtudebant, quanti ſupra ceteras res humanas publicam fidem facerent. Liu. Annal. lib. 28.

Salluſt. in Iugurtha.

IVGVRTHA rex Numidiæ, quum duos fratres ſuos pro ſummum ſcelus interemiſſet, Maſaniſſæ nepotes, filios Micipſæ, qui regnum illud tum liberis ſuis tũ Iugurthæ filio fratris ab ſe adoptato reliquerat: Romani, qui Maſaniſſam viuentem dilexerant, eius nepotes à Iugurtha tam fœdè patrio regno pulſos & interfectos indignati, eorum mortem ſeuerè vindicandam cenſebant. Cauſſam tamẽ dicere & factum purgare parantem Romam venire paſsi ſunt, interpoſita fide publica. Is Romam vbi venit, largitione magis quàm cauſſa fretus, homines nobiles factioſos magna mercede parat, quorũ autoritate & opibus, quæcumque deliquerat, cõtra ius munita fore ſperabat. Ibi quoque Bomilcar quidam, mandatu Iugurthæ, Maſsiuam Numidiæ regno imminentem, obtruncat. Ergo fit reus, magis ex æquo & bono quàm ex iure gentium, Bomilcar comes eius qui Romam fide publica venerat. At Iugurtha manifeſtus tanti ſceleris, non prius omiſit contra verum niti, quàm animaduertit ſuper gratiã atq. pecuniam ſuam inuidiam facti eſſe. Itaq. clam in Numidiam Bomilcare dimiſſo, quamquam viſus eſt commiſiſſe vt meritò pœna affici poſſet, vt tamen in regnum remitteretur vicit fides publica.

Dion in Nerua.

NERVA, quum Imperator appellatus orationem haberet, qua moderati imperij ſpem dabat, ad extremũ iurauit nullum è ſenatoribus ſuo iuſſu interfectum iri. Gratiſsima patribus ea vox fuit, quia paullo antè à Domitiano multorum ſenatorum & conſularium cædibus, leuiſsimis de cauſsis iuſſis, Rempub. exhauſtam meminerant. Sed aliquanto pòſt quum aliquot ſenatores in Neruam conſpi

raſſent,

rassent, iusiurandum tamen inuiolatum seruare maluit, q̃ senatores grauissimi sceleris manifestos iusto supplicio adficere. Quid hoc loco dicent Machiauelli fraterculi, qui contra fidem publicam eos etiã interimunt, qui nihil dignum supplicio admiserunt?

SED à veteribus & externis exẽplis (quæ omnia percensere nimis longum esset) transeamus ad domestica. Anno CIↃ. IↃ. VIII. rex Ludouicus XII. (qui tum ducatu Mediolanensi potiebatur) factionem & societatem cum Maximiliano Cęsare & Iulio II. Pontifice Cameraci iniit, vt communi opera & impensa Venetos continenti arcerent, nimirum ditiones Imperij, Ecclesiæ, & ducatus Mediolanensis, iniustè occupantes. Itaque cõuentum inter eos, vt sequenti anno singuli cum suis copiis iis locis præsto essent: & ditionibus illis subactis quæ à Venetis possiderentur, vnicuique quod suum esset restitueretur. Rex Galliæ ex pacto cum exercitu multísque principibus & proceribus Gallis maturè adfuit: Cæsar verò & Pontifex non venere. Gallus tamen quum satis sibi virium esse crederet, Venetis pugnandi copiam facit, eorum exercitum fundit, & viginti millibus hominum stratis, ducibus captis, ita cunctos exterret, vt omnes propè vrbes quas in continenti habent, in deditionem venerint. Quid ibi Rex? Quum socij pactum non obseruassent, quæcumque solus bello ceperat, pro suo iure vt sua retinere poterat. Vltro tamen Cæsari, Veronam, Vicentiam, Patauium, & cetera Imperij Rom. oppida, restituit: Pontifici, Ariminum, Fauentiam, Ceruiam, Rauennã, & reliquas Ecclesiæ vrbes, reddidit. Tanti bonus ille Rex integram & sinceram

Bellaius lib. 1. Comm.

fidei obseruationem faciebat. Si aliquam fraudi speciem iuris imponere vellet & Machiauellicas ambages fallendæ fidei exquirere, an deerat color aut caussæ quibus eam irritam faceret? Non poterat dicere fidem ab illis fuisse abrogatam? neque se vllo vinculo obstrictum esse vt suo sumtu & labore alienum ius persequeretur? Non licebat ei Papam suis canonibus oppugnare, & illud tritum iacere, *Frangenti fidem*, &c? Sed quum verus, candidus & sincerus esset, eiusmodi sophismata & offucias aspernabatur. Itaque eum Machiauellus pro suo iure reprehendit, quòd fraudibus & dolis grassari nesciret, sicuti Alexander & Iulius pontifices.

Bell.Comm. lib.8. INGENTIVM bellorum quæ Carolus V. & Franciscus I. inter se gessere, memoria nondum exoleuit, & quàm sæpe vulgatis scriptis alter alteri perfidiam exprobrarit. Quæcumq. tamen inuicem quasi rixantes obiectauerint, ea quàm vera essent, euentus docuit. Anno enim CIↃ. IↃ. XXXIX, quum Cæsar fide à Rege accepta per mediam Galliam in Flandriam contendit vt Gandauensium motus cōpesceret: nónne & sibi & aliis satis persuasisse visus est, Regem ea fide esse vt ei tutò semetipsum credere posset, vtcumq. inter eos simultates grauissimæ, odia & bella exorta, necdum sopita, essent? Quippe si vel minimùm de Regis veritate ac fide dubitasset, numquam eò amentiæ venisset vt vltro in perfidi Principis & hostis laqueos sese indueret, dum arcē Gandaui exstruere properat. Sed iacta in Regem probra & verba factis refellens, non minus reipsa veracem eum comperit, quàm antè crediderat: neq. Rex Cęsari tutum modò transitū, sed lætū festúmq.
& omni

& omni genere honoris celebrem præbuit. Cæsar vt transitum impetraret vltro promiserat Regi, aut vni ex eius liberis, ducatum Mediolanensem daturum, ad quem ius legitimum Rex haberet. Summa opportunitas Regi oblata erat, si Machiauelli præceptis ad violandam fidem abuti vellet, Cæsaris in Gallia retinendi, donec is Mediolani iure ac dominio in ipsum translato promissi fidem implesset. Verùm generosus ille & sapiens Princeps, fidem publicam puram, miniméque interpretationibus exceptionibúsve callidis corruptam aut adulteratam, præstandam gnarus (quum etiam super ingenitum candorem Conestabilis Mommorentij, prudentissimi & à Machiauelli fuco abhorrentis viri, consilio vteretur) promissum pro virili parte sincerè & candidè seruare voluit. Itaque quamquam Cæsar ipse, posteaquam in Flandriā peruenit, fidei parū memor Regem verbis & vana spe lactauerit, nemo tamen sani iudicij homo Regis factum reprehendere potest. Nam, vt tum violatio fidei fructuosa illi esset, diuturnus tamen is fructus esse non poterat: nihílque intentatum omisisset Cæsar, vt quod sibi ea arte extortum fuisset, quacumque vi aut via posset reciperet: totúmque Imperium secū in partes traxisset. Rex quoque alioquin, aduerso rumore apud omnes, ruptæ fidei sibi perpetuā notam inussisset: nunc verò, constantiæ & veritatis in promissis seruandis decore parto, sinistram famam existimationémque aduersario reliquit.

QVI Fidem honos, quæ cōmoda, sequantur vidimus: nunc Perfidiæ mala & incōmoda audiamus: Primùm qui fidem violant eam mercedem referūt, *Perfidis nemo fidem habet.*

vt nemo illis in posterum credere aut fidere velit/ Samnites, quum sæpe fidem fœderum & spem pacis turbassent, seu finem seu dilationem belli quærentes, legatos de pace Romam aliquando miserunt. Illis suppliciter agentibus responsum est: Nisi sæpe bellum parantes pacē petissent Samnites, oratione vltro citróque habita, de pace trāsigi potuisse: nunc quando verba vana ad id locorū fuissent, rebus standum esse. Consulem cum exercitu breui in Samnio fore: eum, ad bellum pacémne inclinent animi, falli non posse: comperta omnia senatui relaturum: decedentem ex Samnio Consulem legati sequerentur. Itaque quum pacatū Samnium exercitus Romanus benignè præbito cōmeatu peragrasset, fœdus antiquum Samnitibus redditum.

Liu. Annal. lib. 9.

Liu. Annal. lib. 35. & 39.

ANNIBAL, quum Carthaginis cladem sibi à ciuibus suis assignari & se vnum peti ab Romanis non falleret, patria profugus ad Antiochum Syriæ regem concessit. Quum quum fluctuantem adhuc animo, incertúmque de Romano bello reperisset, haud paruum momentū animo eius ad moliendum attulit. Ac certè regi Antiocho diu de eo bello consilia volutanti, nemo aptior super tali re sermonis particeps esse poterat. Quippe & implacabilem eius viri animum esse aduersus Romanos apparebat, & neminem ea ætate peritiorem ducē, nec quem Romani magis timerent, esse constabat. Rex tamen Punicum Annibalis ingenium veritus, neque eum in consiliū adhibuit, neque tanto imperatori maioris alicuius rei gerendę in eo bello facultatem materiémve prębuit. Quippe, pręterquam quòd Annibalem) numquam antea fidem seruare, nisi commodo

ſuo,ſolitum) vilẽ ſuſpectúmque ad omnia regi perfidia faciebat, etiam verebatur Antiochus ne,ſiquid proſperè eueniret eo bello, Annibalis ea gloria eſſet non ſua:néve conciliatis militum animis Punico aſtu ipſi perniciem ſtrueret, nec modò gloriam, victorię præmium,ſed regnum quoque habere vellet. Itaque non tantùm eo duce ad bellum vſus non eſt, ſed ne conſiliis quidem,quæ is non tãtùm vtilia,ſed ad totius belli adminiſtrationem ſalutaria, dabat, paruit. Hæc iuſta eſt perfidi hominis merces,vt ſem per calliditate & perfidia vti velle videatur, etiam quũ conſiliarij & amici fidelis officio fungitur. Antiocho victo,quum Annibalem ante omnia Romani depoſcerent, ad Pruſiam Bithyniæ regem profugit. Ille non minus perfidus quàm Annibal, eius in Q. Flaminini,qui eò legatus venerat,poteſtatem tra dendi conſiliũ cepit. Itaque Annibal poſtquã nunciatũ eſt milites regios in veſtibulo, & omnia circa clauſa cuſtodiis diſpoſitis eſſe: exſecratus in caput regnúmq. Pruſiæ & hoſpitales deos violatæ ab eo fidei teſtes inuocans, venenum hauſit. Quo in exẽplo animaduertendũ eſt, perfidos plerumque in ſui ſimiles incidere, à quibus cogantur perfidiã ipſam deteſtari, quã antea omnium ſuarũ virtutum vnam maximè diligebant.

Perfidi perfidiam tandẽ ipſi damnare cogũtur.

B A S S I A N V S Caracalla multa perfidiæ exempla edidit,ſed in his tria maximè inſignia: quibus effectum eſt vt nulla ei fides haberetur. Primùm,quũ ad eum tamquam ad amicũ Augarus rex Oſroenorum veniſſet, ei fidem fregit,cõprehenſúmque coniecit in vincula, & Oſroenen rege deſtitutam cepit. In eo licebat ei Machiauelli doctrina ſcelus velare,

Dion in Caracalla. Herod.lib.4.

& laudabile facinus esse contendere quod cum vtilitate coniunctum esset. Sed ei insidiæ aduersus Armenium non pariter processere. Quū enim Armeniorum regem à filiis dissidentem, ad se per litteras amicè vocasset, quasi concordiam inter eos reconciliaturus, iis quidē eodem modo quo Augaro vsus est: sed Armenij, sceleratam eius perfidiam perosi, arma capere quàm ad eum deficere maluerunt.

SED multo etiā fœdiore perfidia Artabanum regem Parthorum, specie nuptiarum, decepit. Parthici enim cognomen affectans, litteras ad Artabanum mittit, in quibus scriptū erat se velle eius filiam ducere in matrimonium: principem se esse & principe natum. quare haud decorū priuati cuiusquam & tenuis fieri generum, sed reginā ducere potius filiámque magni regis. Duo maxima imperia esse Romanum & Parthicum, quibus affinitate illa in vnum coëuntib. vnā tantùm potentiā factum iri, nullis expugnabilem viribus. Parthus primò quidem abnuere, negare barbarum matrimonium Romano satis conuenire. quam enim fore cōcordiam, neque voce satis congruentibus, & victu habitúque inter se distantibus? Hæc igitur principiò rescribens, conditionem aspernabatur. Sed instanti Antonino, donísque & iureiurando studij sui & caritatis vxoriæ fidem facienti, credidit barbarus: ac pollicitus daturum filiam, generum iam ipsum appellitabat. Ergo Antoninus, quasi ad sponsam petendam iret, prohibente nullo fluuios transgressus, ac iam Parthicam regionem quasi propriam peragrans, sacrificantibus passim vniuersis, supráque coronata altaria odores incendentibus, lętum se honore illo barbarorum magnopere

gnopere simulabat. Postea verò quàm magno itinere facto, ad ipsam Artabani regiam appropinquabat, occurrit ei rex, nouum nuptum generúmque suum excepturus. Sed vbi omnis barbarorum multitudo confluxit, ac relictis equis, pharetrísq. & arcubus depositis, inter libamina & calices agitabant, collectíque in vnum quamplurimi, inordinati & incompositi, nihil mali suspectãtes, constiterant: tum signo dato Antoninus militibus imperat, impetum cædémque in barbaros faciant. Illi salutatione tam insueta & noua perterriti, cædentib. sauciantibúsq. Romanis, perinde vt in prœlio, turbam inermem, terga obuertũt. Ipse Artabanus à suis stipatoribus raptus, atq. equo impositus, vix ægréque cum paucis fugiens elabitur. Ita in simulatis illis nuptiis lætitia multis in luctum vertit. Artabanus tantæ fœditatis graues pœnas expetere decreuerat: nisi Macrinus eũ illa cura liberasset, Antonino interfecto, qui temerato iureiurando & fœderibus apud omnes infamis erat.

CETERUM præterquam quòd mendaci & fœdifrago nulla in posterum fides habetur, hoc quoq. malum ex perfidia oritur, quòd perfido non tantùm dedecus, sed perniciem quoque, adfert. Exemplum ipsius Annibalis documẽto esse potest. Is enim parta perfidiæ fama, primò omnibus suspectus factus, mox in sui similẽ incidit, à quo contra hospitij fidẽ proditus vim vitæ suæ afferre coactus est. Huic etiã loco conuenit Virij Campani senatoris & viginti septem aliorum tristis exitus (de quo anteà egimus) qui, quum Annibale in Capuam accepto fœdus cũ Romanis ictum violassent, veniam flagitij desperan *Perfidia perfidis ipsis exitio est.*

tes, ſemetipſos necarunt. Sed præ ceteris inſigne eſt Syphacis regis Numidiæ exẽplum. Is cum Scipione iura hoſpitij, cum Romanis fœdus & ſocietatem, inierat aduerſus Pœnos. Karthaginienſes, vt Syphacem ſibi adiungerent, cum nuptiis Sophonisbæ, filiæ Aſdrubalis, cuius forma erat inſignis & florentiſsima ętas, pelliciunt. Illa virum recenti amore accenſum, omnibus delenimentis adeo auertit atque alienauit ab Romanis, vt publicum quoq. fœdus priuato adiiceretur. Ita ſocietas inter populum Karthaginienſem & regem, data vltro citróq. fide, eoſdem amicos inimicóſque habituros, iureiurando affirmata eſt. Scipio, quamquam magno momento rerum in Africa gerendarum, magnáque ſpe, deſtitutus erat, maturare tamen ſtatuit, ne ſimul cum rege & cum Karthaginienſibus foret bellandum. Itaque cum exercitu in Africam tranſiicit. Ibi Syphax pro Karthaginiẽſibus aduerſus Romanos prœlium ciens, equo grauiter ictо effuſus opprimitur capitúrque, & viuus ad Scipionẽ perducitur. Quum ex eo Scipio quid ſibi voluiſſet quæreret, qui nõ ſocietatem ſolùm Romanam abnuiſſet, ſed bellum vltro intuliſſet: tum ille peccaſſe quidem ſeſe atque inſaniſſe fatebatur: ſed tum demum quum arma aduerſus populum Rom. cepiſſet, exitum ſui furoris fuiſſe non principium: tunc ſe inſaniſſe quum hoſpitia priuata & publica fœdera omnia ex animo eiecerit: quum Karthaginienſem matronam domum acceperit. Illis nuptialibus facibus regiam conflagraſſe ſuam: illam furiam peſtémque omnibus blanditiis animum ſuum immutaſſe: nec quieuiſſe donec ipſa manibus ſuis nefaria ſibi arma aduerſus hoſpitem atque

Liu. Annal. lib. 29. & lib. 30.

atque amicum induerit. Hic rex postea à Scipione in triũpho ductus est, & in custodia mortuus. regnúmque eius in populi Romani potestatẽ venit: cuius opulentissimam partem Masanissę dedit alteri Numidiæ regi, qui fidem & dextram datam non fefellerat. Itaque Syphax regnum & vitam perfidia amisit. Masanissa, præter summum decus seruatæ constanter fidei, non patrium modò recuperauit regnum, sed, parte florentissima Syphacis finium adiecta, etiam amplificauit.

CAROLVS Simplex Galliæ rex Robertum ducem Aquitaniæ armis persequens, in Suessionum agro assequutus prælio vicit. Robertus ipse in acie cecidit. Eam cladem adeo ægrè tulit Hebertus Comes Viromanduus, sororius Roberti, vt insidias parare statuerit, quibus Regem caperet. Itaque Regem, per speciem amicitiæ, Peronam ad sollenne conuiuium inuitat: eo conueniunt Rex & multi cum eo principes ac proceres Galli: eos omnes nihil tale suspectantes, comprehensos in arcem Peronæ includit. Principes paulo pòst liberos abire passus est, pactus tamen ne vmquam aduersus se arma ferrent: Regem verò captiuum detinuit. Is quum biennium in custodia fuisset, vita excessit. Ludouicus III, Caroli filius, in ipso statim regni initio pœnas de Heberto palam expetere ausus non est, veritus ne eius propinqui, amici & clientes, quos multos in regno habebat, turbas & tumultus concirent. Sed magnifico instructo conuiuio, ei principes & regni proceres, in iis Hebertum eiúsque amicos, adhibet. Iis epulantibus, cursor Anglus interuenit (totam fabulam ita composuerat rex Ludouicus) & ocreatus petasatúsque au-

Annal. in ann. 916.

lam ingreditur; procumbens in genua Regem salutat, & regis Angliæ literas regi Ludouico tradit. Rex acceptas (quo mimum omnem melius ageret) summissa voce Cancellarium legere iubet. Vbi perlectæ sunt, Rex subridens clara voce adeo vt omnes conuiuæ exaudire posset, ita infit: Vel hoc satis probat „ q vulgo dicitur verũ esse, Anglos parũ sapere. Quip„ pe cognatus meus rex Angliæ ad me scribit, reper„ tum esse in regno suo vassallum quemdam rusticum „ hominem, qui quum Seniorem suum ad epulas in„ uitasset, domi suæ attinuit & strangulauit. Porro sci„ scitari se velle ex Principibus & proceribus Galliæ „ quid supplicij meritum istum censeant. Ille super „ hac re responsum à me exspectat. Quare rogo vt sen„ tentiam de eo vestram dicatis. Quid tibi videtur, Comes Blesensis? (is erat natu omnium maximus) Tum Comes, Rusticum illum capitali pœna dignũ sibi videri respondit. Huic iudicio ceteri assensi: & Comes Viromãduus quoque sententiam rogatus assensit. Tum Rex sermonem excipiens, Comes Viromandue, inquit, te ore & iudicio tuo capitalem fraudem fecisse statuo: Pellexisti domum tuam per simulationem amicitiæ ac conuiuij patrem meum: & domi tuæ in custodiã traditum fœdè ad mortem compulisti. Itaque quum tua etiam confessione capitalem noxam nocueris, tibi extremum & infame supplicium iudico. Sub hęc dicta, Rex corripi hominem & laqueum iniici iubet. Itaque Comes Hebertus fracta laqueo gula suomet ipse iudicio periit: & eam perfidiæ mercedem tulit.

Froiss. lib. 1. cap. 5. 13. 14. EDVVARDVS II. Angliæ rex, Spenserorum opera & consilio admodum vtebatur: qui tractis in se

omnibus

omnibus Reipubl. muniis, proceres regni nobilissimos viros præ se aspernabantur. Fortè accidit, vt quum rex aduerso prœlio aduersum Scotos dimicasset, ea clades Spenserorum consiliis vulgò assignaretur. Illi rati Angliæ proceres, apud quos sua autoritas & gratia inuidię esset, eum de se rumorem sparsisse, eam ignominiam pleno perfidiæ scelere vlcisci statuunt. Ergo regi persuadent vt procerum cœtũ sollennem conuocet, velut cum iis, tamquam in publico Ordinum conuentu de Reipub. summis negotiis deliberaturus. Regis mandatu Principes & proceres conueniunt. Edvvardus (cui Spenseri persuaserant, proceres moliri occultè consilia quibus ipsũ regno pellerent) nihil tale suspicantes comprehendi & in custodia retineri iubet. Mox viginti duos summos viros, principes Angliæ, indicta caussa, capitis pœna adficit. In iis fuit Thomas dux Lanclastriæ, regis auunculus, sapientissimus Princeps, qui post mortem in Diuorũ numerum relatus est. Tam fœda perfidia, tot sæuitiæ exemplis cumulata, tantum omnium odium inuidiámq. in regem conciuit, vt ei Statuum autoritate imperiũm abrogaretur, & priuatus in custodia vitam finiret: Spenseri verò perfidiosi facinoris autores, exquisitissimis pœnis afficerentur. Illis enim, vbi arcæ impositi & circum omnes Erfordiæ vrbis vicos tracti essent, pudenda primùm exsecta, mox cor auulsum pectore, & in ignem vtraque coniecta sunt: deinde capita amputata Londinum, cetero corpore in quatuor parteis discisso, trunci in quatuor vrbes delati & patibulis affixi. Insigne documentum omnibus, quàm detestanda perfidia dictos proceres, specie regiæ autoritatis,

accitos,contra fidem publicam regis ſæuitiæ prodidiſſent.

Comin.lib. 4.cap. 12. & 13. Annal.in ann.1475.

NIHILO meliorem euentum habuit Caroli vltimi Burgundiæ ducis perfidia, qui quum Comiti S.Pauli Coneſtabili Galliæ, fidem dediſſet vt ei liceret ſine vlla periculi ſuſpicione ſe adire, captum in cuſtodia retinuit, & Ludouico XI Galliæ regi prodidit: à quo paullo pòſt, cognita cauſſa, Lutetiæ capitali ſupplicio adfectus eſt. Grauiſsimè quidem ille vtrumq. offenderat, & totus in eo ſemper fuerat vt inter duos illos principes perpetuum bellum aleret. Caroli tamen ſplendore maximè indignum fuit, quòd eum cui fidem dederat, quem arceſsiuerat, cõprehẽdit: ac deinde nõ tam metu quàm auaritia impulſus ad certam necem velut in manus carnificis tradidit. Quippe cogitauerat Comes, niſi deceptus eſſet à Carolo, in Germaniam cum pecuniis profugere: vnde lenito Regis animo cum eo redire in gratiam poterat. Sed ducis Burgundiæ, in cuius præſidium Montium Hannoniæ oppidum confugerat, fluxa fide circumuentus eſt. Quæ perfidia eo fœdior fuit, quòd cupiditate Sanquintini, Hanij, Bohanij (quæ oppida Comitis erãt) potiundi, eum deſtituit, & regi tradidit. Sed tam pudendum flagitium diu inultum non fuit. Nam quum ad Granſonium & Moratum re infeliciter geſta, obſidio quoq. Noueſiana ei non proceſsiſſet, & amiſſo inſuper ducatu Lotharingiæ (quam iniuſtè occupauerat) aliæ ſuper alias calamitates obruiſſent eius animum, in ægritudinem incidit: neque ex eo tempore corporis aut animi valitudine ſatis proſpera vſus eſt. Itaque imminuta mente & popularium fidei diffiſus, peregrinis

grinis ſubſidiis vti voluit. Ergo Comitem Campobachium Italum inter domeſticos habuit, cui negotium dedit vt Italos præterea multos adduceret, quorum opera vteretur. Atq. hic fuit tragediæ ſimul & ipſius vitæ extremus actus. Numquam enim ex eo quieuit Campobachius, donec eum duci Lotharingiæ proderet. Nā quum Carolus Nanceium obſideret, eóque Lotharingus cum exercitu veniſſet vt eum ad obſidionem ſoluēdam cogeret, prœlij fortunam inconſultè expertus eſt, & à Campobachio deſertus & proditus, cum multis infeliciter cecidit. Itaque quemadmodum ille contra fidei & iuriſiurandi religionem Coneſtabilem ceperat, eiúſque caput ac fortunas vendiderat: ita perfidia & proditione Campobachij cui plurimū tribuebat, vita & fortunis euerſus eſt: eiúſque domus, Chriſtiani nominis, ſecundùm Gallicæ domus opes, florentiſsima, diruta & diſsipata.

Longvm eſſet enumerare omnes calamitates, quæ ex Perfidia ortæ ſunt. Illa Carthaginem, æmulam Rom. imperij, florentiſsimā quondam ciuitatū, breui momento euertit. Illa Corinthum, Thebas, Chalcidem, tres Græciæ nobiliſsimas ciuitates, ſolo æquauit. Illa Hieroſolyma & omnem Iudęam deleuit. Deniq. nulla ferè inſignis clades vmquam vrbibus, aut ciuitatibus, aut regnis, aut gentibus, incidit, cuius perfidia cauſſa non fuerit. Etſi enim auaritiam ſæuitiam, & ſimiles peſtes ſecum trahit: hæc tamen illis ad omnia mala dux & quaſi magiſtra eſt. Illa pacem & fœdera turbat, bella ciuilia & externa renouat, gentes quietas ſollicitat, regnorum opes cōminuit, iùs & æquum peruertit, ſacra omnia profa- Florus. lib. 51. 52.

nat: pietatem, iustitiam & Dei metum pellit, audacẽ religionis contemtum inuehit: omnem amicitiam, patriæque & sanguinis respectum, tollit: ordinem politicum, leges, iura omnia, abrogat & conuellit. Denique quid vel in terris vel in inferis mali est, quod monstrũ hoc non vsurpet? Quæ Alecto, quæ furia exitiosior Perfidia, nuper ex ipsis tartaris excita ad concutiendũ & miscendum orbem terrarum, in primis verò regnum Galliæ? Verùm quia descriptio furiæ Alectûs (sicuti apud Vergilium legitur) & iracundię Iunonis, quæ eam ad explẽdam animi sui libidinem & vltionem ab inferis exciuit, calamitosi huius temporis perfidiæ appositè accommodari potest, liceat mihi eam hîc veluti παρῳδεῖν:

Perfidia furiale & tartareum monstrum.

Vix bene compositis ridens Concordia bellis
Mulcebat dictis animos, pacémque ferebat,
Lætáque concordes iungebant fœdera Galli:
Quum frendens veterísque memor Saturnia belli,
*Prima quod in sanctos pro * sacris gesserat aris,*
Et duro æternum seruans sub pectore vulnus,
Pacem ægrè aspiciens, stetit acri fixa dolore:
Tum quassans caput hæc effudit pectore dicta,
Heu stirpem inuisam & fatis contraria nostris
Fata virûm! num Xantonicis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num sæuior hausit
Flamma viros? medias acies mediósque per igneis
Inuenere viam? At credo mea numina tandem
Fessa iacent, odiis aut exsaturata quieui?
Quinetiam patria excussos infesta sub armis
Ausa sequi, & profugis toto me opponere regno?
Absumtæ in Gallos vires regníque Papæq;.
Quid fraudes, quid castra mihi, quid flamma per
vrbeis,

Sic Æn.3. Auri sacra fames.

vrbeis
Profuit? optato componunt fœdere motus
Securi belli atque mei pacémque reportant.
Ast ego tot Regina virûm, nil linquere mausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab exulibus. quòd si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod vsquam est:
Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.
Non dabitur sacris (esto) superare Latinis,
Atque immota manet certis pax aurea fatis:
At trahere atq; moras tantis licet addere rebus,
At licet ambarum populos exscindere legum:
Hac læta coeant mercede in fœdera gentes.
Sanguine & illustri iamiam dotabere virgo,
Et Bellona manet te pronuba: nec fera tantùm
Bella aciésque viris instant, sed pace cruenta
Funestæ Gallis media inter gaudia tedæ.
Hæc vbi dicta dedit, terras horrenda petiuit:
Perfidiam nigra dirarum ab sede sororum
Infernísque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iræq; insidiæq; & crimina noxia cordi.
Odit & ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareæ, monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam sæuæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da propriũ virgo sata Nocte laborem,
Hanc operam: ne noster honos infractáve cedat
Fama loco: da connubiis ambire tyrannum
Hugonoti faciles possint: ac nocte propinqua
Sterne mihi fusos, & pollue fœdera cæde.
Ergo illa attollens stridentes anguibus alas,

Protinus in Gallos stygiis se concitat vmbris,
Bella manu letúmque gerens, cornúque recuruo
Tartaream intendit vocem: qua protinus omnis
Gallia contremuit: belli quâ buccina signum
Dira dedit, raptis concurritur vndique telis.
Illa furens arma arma tonat: discrimine nullo
Cade natant vrbes, atque omnis sternitur ætas.
Interea, dum sic nutu Iunonis eunt res,
Ipsa sedet victrix ac tot secura malorum,
Ridet, & æternùm conuulsâ pace triumphans,
Inter bella sibi mansuros spondet honores.

Speciosi perfidiæ prætextus apud viros bonos nullius momenti.

QVOD dicit Machiauellus, numquam defore speciosa nomina & integumenta ad velandam violationem fidei, id verò apud probos & honestos viros nullius momenti est, qui existimant eiuscemodi velamētis, tamquam malitiosis dolis, perfidiam deteriorem reddi. Karthaginiēses primo Punico bello nauali prœlio apud AEgates insulas victis pax data est, & fœdus illis cū Romanis à Lutatio consule ictum. In eo fœdere disertè additum erat, Ita id ratum fore, si populus censuisset. Itaque Romani, quia neque autoritate patrum nec populi iussu ictum erat, negarunt se eo teneri. Quare aliud de integro fœdus publico populi Rom. consilio cum Asdrubale Pœnorū imperatore ictum est, in quo disertè vtrorumque sociis, nominatim Saguntinis, cautum est. Id fœdus diu vtrimque obseruatum est, & viuo Asdrubale, quamquam Karthaginiēsibus insciis illud icerat, multorum annorum tamen silentio comprobatū. Aliquot pòst annis Annibal nō tam suo quàm publico consilio Saguntum obsedit & exscidit. Romani legatos in Africam miserunt ad percunctandos Kar-

Liu. Annal. lib. 21.

dos Karthaginienses, cur contra fœdera Saguntinos Romanorum socios oppugnassent. Karthaginienses iam tum Machiauellica instituta seruantes, rem speciosis nominibus ornare conati sunt: quum dicerêt Asdrubalis fœdere, quod sine sua autoritate ictum esset, obligari non potuisse: nec minus licere sibi illud non comprobare, quàm Lutatij fœdus Romani abrogauerant. Videbatur hic color aliquã speciem præ se ferre, sed propius inspicientibus facilè erat fucum & fallaciam deprehendere. Quum enim Pœni tot annorum silentio & reipsa Asdrubalis fœdus ita ratum eo viuo habuissent, vt ne mortuo quidem autore quidquam mutarent: etsi verbo non approbassent, antiquare tamen illud iam integrum ipsis amplius non erat. Neq. in Asdrubalis fœdere quidquam tale exceptũ fuerat, quale in fœdere Lutatij. Itaque Rom. legati, callidas Karthaginiensium ambages nihil morati, neque de fœderum iure verbis disceptandum rati cum iis qui reipsa fœdera violauerant, bellum an pacem mallẽt, petiuerunt. Quum à Karthaginiensibus, darent vtrum vellent, succlamatum esset, Romani bellum dederunt: & vicerunt. Ita id de quo verbis ambigebatur, vter populus fœdus rupisset: euentus belli, velut æquus iudex, vnde ius stabat, ei victoriam dedit: & Pœnis speciem colorémque perfidiæ inducere infeliciter cessit.

Eiusce modi colorum & subtilium distinctionum lepida historia exstat apud Liuium. Antiochus rex, quum Romanos Græciæ omnis liberandæ caussa in Asiam iam transcendentes pertimesceret, eósque sibi amicos quàm inimicos mallet, legatos ad T. Quintium miserat qui Rom. amicitiam Liu. Annal. lib. 34.

peterent. Menippus & Hegesianax principes regiæ legationis erant. His verba sine fide rerum iactantibus, nihil iam perplexè (vt antè quum dubiæ res incolumi Philippo erant) sed apertè pronuntiatum vt excederet Asiæ vrbibus, quæ aut Ptolemæi aut Philippi regum fuissent, abstineret liberas omnésq. Græcas: ante omnia denunciatũ, ne in Europam aut ipse transiret, aut copias transiiceret. Ex iis Menippus ignorare se dixit quidnã perplexi sua legatio haberet, quum simpliciter ad amicitiam iungendámq. societatem venissent. Esse autẽ tria genera fœderum, quib. inter se paciscerentur amicitias ciuitates regésque. Vnum, quum bello victis dicerẽtur leges. Alterum, quũ pares bello æquo fœdere in pacem atq. amicitiam venirẽt. Tertium esse genus, quum qui hostes numquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere iungendã coeãt. eos neq. dicere neq. accipere leges, id enim victoris & victi esse. Ex eo genere quũ Antiochus esset, mirari se, quòd Rom. æqúum censeant ei leges dicere, quas Asiæ vrbiũ liberas & immunes, quas stipendiarias, esse velint. Ad ea Quintius, qui res disceptare & distinguere gladio magis quàm verbis nouerat: » Quoniam vobis distinctè agere libet » (inquit) & genera iungendarum amicitiarum enu- » merare, ego quoque duas conditiones ponam, ex- » tra quas nullam esse regi nuncietis amicitiæ cum po- » pulo Rom. iungendæ. Vnam, si nos nihil quod ad » vrbes Asiæ attinet curare velit, vt & ipse omni Eu- » ropa abstineat. Alteram, si se ille Asiæ finibu non » contineat, & in Europam transcendat, vt & Roma- » nis ius sit Asiæ ciuitatum amicitias & tueri quas ha- » beant, & nouas complecti. Populus quidem Rom.

susceptum

susceptum libertatis Græcorum patrocinium non « deserere, fidei constantiæque suæ esse ducit. Ad ea « quum legati (qui tam árguta diuisióne plurimum se assequutos sperabant) hæsitarẽt, nec infitiari possent honestiorem caussam libertatis, quàm seruitutis, prætexi titulo: nihil tamen pacisci vellent, quò Antiochi regnum minueretur: neque remissa vlla re neq. impetrata, æquè ac venerant omnium incerti redierunt. Tandem tamen Antiochus distinctionem Quintij conditionésque ab eo latas accipere, id est Europa abstinere, & omni Asia quæ cis montem Taurum est decedere, coactus est. Itaque eiuscemodi argutæ calliditates & speciosi prætextus, vbi de pace & fide seruãda agitur, ridiculi sunt. Quippe res humanæ solido iudicio neq. à communi sensu abhorrente tractari debent, non argutiis futilibus, distinctionibus & subdistinctionibus; quæ ad sophistas & logicos in scholis rixantes delegandæ sunt.

EIVSCEMODI sophismata placuisse olim Græcis nimio plus quàm par esset, summo Græciæ detrimento, eorum & scripta & exempla demonstrant. Sæpenumero enim quum ciuitates suas argutis magis quàm solidis consiliis regerent, in magnas calamitates præcipitauere. Insigne vnum exẽplum proferam. Belli illius Peloponnesiaci (quod Thucydides scripsit) quo Græciæ opes per viginti octo annos attritæ & propemodum consumtæ sunt, quænam fuerunt caussæ propter quas ruptis fœderibus ad arma itum est, nisi subtiles quædam & vix pueris dignæ ambages? Quum enim ea tempestate Athenienses & Lacedæmonij Græcarum ciuitatum

Thucyd. lib. 1. de bello Peloponn.

principatum tenerẽt, ceteræ in earum comparatione paruæ, ſocietate ac fœdere duarum alteri ſeſe adiunxerant: paucis exceptis, in quibus Corcyrenſes neque Athenienſium, neque Lacedæmoniorum, fœderibus adſcripti erant. Erat autem additum in Lacedæmoniorum & Athenienſium fœdere, Siqua Græcarum ciuitatum ex fœderatis non eſſet, ei licere ad vtros vellet accedere. Quare cum Corcyrenſes aduerſus Corinthios Lacedæmoniorum ſocios bellum gererent, diffiſi viribus domeſticis Athenas legatos mittunt, orantes vt ab Athenienſibus in amicitiam & ſocietatem accipiantur: docéntque id fœderis communis legibus diſertè permitti. Corinthij contrà (qui ad eam ſocietatem impediendam legatos & ipſi Athenas miſerant) docent, quod in fœdere additum ſit, Licere cuilibet non adſcriptarũ fœderi ciuitatum ad vtros velit ſe conferre, non ita dici vt id fiat in perniciem partis alterius: nec de iis debere intelligi qui ad inferendam aliis iniuriam auxilium & amicitiam peterent. Itaq. Athenienſes aduerſus fœdera facturos, ſi cum Corcyrenſib. amicitiam inſtituerent, & receptos in fidem aduerſus Lacedæmonios, Corinthios ceteróſque fœderatos, armis defenderent. Quippe ita licere ex fœdere nouas ſocietates aſſumere, vt id ſine veterum ſociorum detrimento fieret. Corcyrenſes rurſum dicere, fœdus cum Lacedæmoniis ictum non violari ab Atheniẽſibus, quum ſe qui neutrorum ſocij eſſent in amicitiam acciperent: neque cautum eſſe fœdere, ne nouos ſocios iungere, & aduerſus vim atque iniuriam iuſtis armis defendere, liceret. Athenienſes autem Corcyrenſibus (qui vltro eorum ſocietatem appeterent

rent) iniuriam paſsis, nõ inferentibus,opem laturos. Athenienſes, vtriſq. auditis, neglectis Corinthiorum rationib. & ſalubri fœderum interpretatione quam edebant, Corcyrenſibus ſeſe iungere & auxilium ferre ſtatuũt. Altera parte Lacedæmonij Corinthiis opitulari, vti fas erat: atq. eo initio duæ potẽtiſsimæ ciuitates, Corcyrenſibus & Corinthiis laniſtis, contractis diuturni belli cauſsis, multis cladibus ſeſe & omnem Grçciam attriuere. Accenſum enim inter Athenienſes & Lacedęmonios certamen reliquas ciuitates in partes traxit, & Peloponneſiacum illud bellum, longum, funeſtum, ac vniuerſæ propè Græciæ interneciuum, excitauit. Huic autem incendio maximam facem & materiem ſubdidit fallax captioſáq. interpretatio, quam Corcyrenſes illi fœderis capiti affinxerunt.

Nec minus pernicioſa fuit etiam ipſis autoribus arguta & ſubtilis diſceptatio eorum qui Pompeij interimendi conſilium cepere. Pompeius acie Pharſalica à Cæſare victus, cum vxore & amicis conſcenſo nauigio in AEgyptum profugit; ratus ſe à Ptolemęo rege, quem multis erga eius patrem beneficiis ſibi deuinctum habebat, benignè ac comiter exceptũ iri. Quum AEgypto appropinquaret, præmittit certos, qui aduentum ſuum regi ſupplicibus verbis nuntient, & rogent vt illius opibus in calamitate tegatur. Erat admodum adoleſcens Ptolemæus: & in procuratione regni erant, propter eius ętatem, tres eius amici, Pothinus eunuchus, Achillas præfectus, & Theodotus rhetor. Tres iſti, ſummæ rerum digni ſcilicet arbitri, capita inter ſe conferunt, & cõſilium ineunt quid Pompeio faciendum eſſet. Alij Plut. in Pompeio.

reiiciendum, alij vocandum & recipiendum, censebant. At Theodotus facũdiam intempestiuè ostentans, neutrum tutum esse dixit. Quippe si eum recepissent, Cæsarem hostem ipsos habituros; & Pompeium dominum: sin abegissent, in culpa futuros apud Pompeium, quòd ipsum repulerint: apud Cæsarem, quòd non sint persequuti. Optimum ergo factu esse, vt accitum interficiant. Siquidem & illi rem gratam facturos, & hunc non formidaturos. Adiecit tam atroci sententiæ ludibrium, Mortuum nõ mordere. Ita in sententiam mercenarij rhetoris itum est, & huius funesta garrulitate interfectus est magnus Pompeius, vt ipse glorians sophista iactabat. Sed haud ita multo pòst perfidiæ, sophisticæ subtilitate nixæ, pœnas dedere. Nam Cæsar mox in AEgyptũ veniens, non tantùm eum qui caput Pompeij sibi obtulit vt detestabilem auersatus est, sed Achillam quoque & Pothinum interfecit. Theodotus Cæsaris quidem tum vltionẽ declinauit, sed ita vt omnibus exsecrabilis obscuram, inopem & vagabundam, vitam ageret. Eum tandem Brutus interfecto Cæsare Asiam obtinens repertum ibi, atq. omni cruciatus genere affectum, necauit. Hic fuit exitus trium cõsiliariorum Ptolemæi, qui paulo pòst prauis eorum consiliis præceps datus est. Nam bello Alexãdrino, quod isti conflauerãt, à Cæsare victus, quum ex castris fugisset, receptus in nauem, multitudine eorum qui ad proximas naues adnabant demerso nauigio, periit. Vtinam quotquot hodie tres istos consiliarios imitantur, deliberandis cædibus & moliendis insidiis contra fas & fidem, similem mercedem ferant. Sed ne hoc quidem diu deberi illis

potest.

poteſt. quippe Deum, etſi patientem, iuſtum tamen eſſe credimus.

SCVRRILE quidem dicterium Theodoti perpetuò in ore habent purpurati iſti carnifices, Mortuum nō mordere. atq. eo trucidandi cōſilia confirmant. Et huius & iſtius (inquiūt) pœna defungendū eſt: minus multi ſupererūt. Homo mortuus bellū nō gerit. At homo mortuus, etiamſi bellum non gerat, bellorum tamen cauſſa eſſe poteſt. Quis id neget quod & quotidiana experientia & hiſtoriæ perſpicuè docent? Ludouicus dux Aurelianus, Caroli VI. frater, à Ioanne duce Burgundiæ interemtus, arma quidem ipſe non mouit, ſed in Gallia tamen commouit bella ciuilia, quæ 60. annos durarunt. Pompeius cæſus etſi bellum non geſsit, luctuoſi tamen & diuturni belli ciuilis cauſſa fuit. Leuitæ cuiuſdam vxori poſt ſtuprum mors illata, nónne atroci bello facem ſubdidit, quo ſexaginta hominum millia & amplius cecidere. Eorum qui Vaſsiaci trucidati ſunt anno CIↃ.IↃ.LXI. indigna cædes quanta & quàm funeſta bella conciuit? Qui anno CIↃ.IↃ.LXXII. magnis in Gallię vrbib. fœdè oppreſsi & mactati ſunt, nónne hæc incendia excitarunt quibus etiam nunc ardemus? Quamobrem qui ea opinione ad iniuſtas & promiſcuas cædes ſuſcipiendas impellūtur, quòd iſtud, Mortuum hominem non certare, tam verum quàm vulgatum exiſtimant, neq. ſceleris exemplum euentúmq. conſiderant, non modò impiè ſed etiam ineptè & ſtolidè faciunt. Sed in hanc ſententiam inſigne eſt Getæ principis reſponſum, quo Seueri patris ſui ſæuitiam compeſcuit. Quum enim ſtatueret Seuerus eos qui Albino & Nigro fauerant tollere: & inter ſuos diceret, Hoſtes vobis eripio:

Iud. 19. & 20.

Spartian. in Geta.

consentirétq. vsqueadeo Bassianus, vt eorum etiam liberos, si sibi consuleret, diceret occidendos: Geta interogasse fertur, quantus esset interficiendorum numerus: quúmq. pater numerum edidisset: ille addidit, „ Isti habent parentes, habent propinquos? quum „ responsum esset habere complures: Plures ergo (in„ quit) in ciuitate tristes erunt quàm læti quòd vici„ mus. Perinde acsi diceret, Plures nobis inimicos relinques quàm eripies. Hoc iuuenis & mãsueti principis responsum adeo Seueri pectus percussit, vt ingenita sæuitia abstinere statuerit. Et obtinuisset Getæ sententia, nisi Plautianus præfectus & Iuuenalis institissent spe proscriptionum, ex quibus ditati sunt.

I T A Q. tales tyrãnorum ministri & carnifices pro certo habeant pro vno cæso decem illis inimicos enasciturus. Neque hac vna pœna sperent defungi. Nam ad vltimum vitæ finem, super memoriam scelerum, species vmbræq. insontiũ interemtorum eos diris adeo infestè agitabunt, vt nullis piaculis propitiari possint. Atq. haud dubitẽ magni illius Amiralij vmbram Gallicarũ cædium autoribus noctes diésq. obuersari, & quibusdã veluti facibus armatam somnos & vigilias infestas inquietásq. facere, quasi tumulo eius tales planctus audirentur,

Virg. Æn. lib. 4.

--sequar atris ignibus absens:
Et quum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus vmbra locis adero: dabis improbe pœnas.

H AE C de bellis pœnísq. quibus inimicos iniustè cæsi vlciscuntur, aduersus Machiauellitarum dicterium frigidum, Hominem mortuum bellum non mouere, obiter attingere visum est. Nunc vnde deflexit oratio, eò redeat: nimirũ ad versutas argutias,

quas

quas in rebus tractandis ad velandam perfidiam vſurpari numquam debere diximus.

Annibal poſt proſperam ad Cannas pugnã, pecuniæ egens captiuis Romanis ſui redimendi copiam fecit. Itaque placuit decem eorum ſuffragio eligi, qui Romam ad ſenatum irent: nec pignus aliud fidei, quàm vt iurarent ſe redituros, acceptum. Quum egreſsi caſtris eſſent, vnus ex iis, velut aliquid oblitus, religionis ſoluendæ cauſſa quum in caſtra rediiſſet, ante noctem comites aſſequitur. Quum illis à ſenatu triſte reſpõſum, Non redimi captiuos, redditum eſſet, ceteri ad Annibalem reuertére. Vnus ex iis domum abiit, quòd fallaci reditu in caſtra, iureiurando ſe exſoluiſſet. Sed vbi id innotuit, decreuit ſenatus vt ille veterator & callidus minimè Romani ingenij homo vinctus ad Annibalem deduceretur. Neque enim graues & ſapientes illi viri (quales fuere Romani veteres) ingenioſas iſtás calliditates & prætexendæ perfidiæ inuolucra norant aut probabant: quæ tamen Machiauellus Principi, tamquam prudentiam, ſuadet. Liu. Annal. lib. 23.

Havd abſimilis fuit dolus Philippi VI. Galliæ Regis. Quum enim iuſiurandum dediſſet (ſicuti ferè ſuperiores Galliæ reges) numquam ditionem vllam Imperij inuaſurum, & Theoduno (caſtrum Cameraco vicinum eſt) à quo incommoda multa accipiebat, potiri cuperet, Normaniæ ducẽ filium ſuum ſummo cum imperio exercitui præficit, & caſtrum obſidere iubet: quum ipſe veluti vnus ex gregariis militibus nullum imperatorium munus obiret. Hac aſtutia iureiurando ſe liberatum Philippus putabat, ſed fallebatur. Nam qui aliquid alterius opera exſe- Froiſſ. lib. 1. cap. 50. & ſeq.

quitur, perinde est vt si ipse faceret. Ac ne ipse quidē dolus ei satis ex sententia & feliciter cessit. coactus enim est dux Normaniæ obsidionē soluere, & aliquanto pòst Rex magna pugnā ab Anglis ad Creciacum victus est.

Amm. Marcell. lib. 28.

VALENTINIANVS Cæsar, quum in suppliciis irrogādis immitis esset, multos ministros sui similes habuit. In iis Maximinū quemdā Romæ, præfectum annonæ, quæsitorē & cognitorē caussarum capitalium constituit. Is quum reos per tormēta interrogaret, fateri hortabatur & conscios edere; adiecto iureiurādo promittēs nullum igni vel ferro se puniri iussurum. Sed promissā impunitate corruptos & sæpe confessos quæ non admiserant, plumbeis contundi & elidi iubebat. Itaque Maximinus sub Gratiano miti principe capite plexus sæuitiæ & perfidiæ pœnas exsoluit. Neq. rarò vsuuenit vt eiusmodi atroces iudices, qui sæuo Principi diligentiam suā probare conati sunt, à sequenti bono Principe operarum præmia referant.

Liu. Annal. lib. 35.

NABIS Lacedæmone per vim imperium inuasit & tenuit, tyrannus sæuissimus & violentissimus in suos. AEtoli (audaces & temerarij homines) magnū sibi decus fore rati, si tyrannū quoquo modo tollerent: & qui spoliatum maritimis oppidis à Rom. tunc intra mœnia etiam Lacedæmonis ab Achæis compulsum, occupasset occidere, eū totius gratiam rei apud Græcos, præsertim apud Lacedęmonios, laturum: illum dolo capere stătuūt. Caussam mittendi ad eum habebant, quòd fatigabat precibus vt auxilia sibi, quum illis autoribus rebellasset, mitterentur. Ergo per speciem & nomen societatis

mille

mille pedites & triginta equites duce Alexameno ad eum mittunt. Iis denunciatũ, quidquid Alexamenum res mouiſſet ſubiti cõſilij capere, ad id quamuis inopinatum, temerariũ, audax, obedienter exſequẽdum parati eſſent. Cum his ita præparatis Alexamenus ad tyrannum venit, quem adueniens extemplo ſpei impleuit; eíq. perſuaſit vt quas haberet copias non ſineret ſub tectis marceſcere otio, ſed educeret, & in armis decurrere cogens, ſimul animos acueret & corpora exerceret. Educi inde frequẽter ante vrbem in campũ cœpere. Quũ dies patrando facinori ſtatuta veniſſet, Alexamenus tyrãnum procul ſatellitibus adortus transfixo equo deturbat. iacentem equites confodiũt. Alexamenus cum omnib. AEtolis citato gradu ad regiã occupandam pergit. Nec mouiſſet ſe quiſquã, ſi extẽplo poſitis armis vocata in concionem multitudo eſſet, & oratio habita tẽpori cõueniẽs: frequẽtes inde retẽti in armis AEtoli ſine iniuria cuiuſquã. Sed, vt oportuit in conſilio fraude cœpto, omnia in maturãdam perniciẽ eorũ qui fecerãt ſunt acta. Dux regia incluſus diem ac noctẽ in ſcrutandis tyrãni theſauris conſumſit. AEtoli velut capta vrbe, quam liberaſſe videri volebant, in prędã verſi. Simul indignitas rei, ſimul cõtemtus, Lacedęmoniis (alioqui tyrãni cæde lætis) animos ad coeũdum fecit. Itaque armis acceptis AEtolos vagos per vrbem cædunt: tum regiam inuadunt: ibi Alexamenum cum paucis reſiſtentem obtruncant. ceteri, cõprehenſi à magiſtratibus, ſub corona venierunt.

POSTREMVM huius argumenti exemplũ dabit Ioabus, apud Iſraelitas Coneſtabilis dignitate & Dauide auũculo inſignis, cui fidelẽ fortémq. operã 2. Sam. 2. 3. 20. 1. Reg. 2.

domi belliq. pręſtitit. Dauid tamẽ ſupremis mãdatis Salomoni filio iniunxit, vt Ioabum merita morte ob perfidiã adficeret. neq. is, vt Dauid ſupremum diem expleuit, exſequi cunctatus eſt. Abnerum enim & Amaſam (duos ſummos imperatores) dolo & ſpecie amicitiæ incautos interemerat. Videbatur Ioabus excuſando facinori ſatis iuſtas cauſſas habere. Quippe Abnerus Aſaelem Ioabi fratrem interfecerat: neq. fieri poterat vt fraternæ cædis memoria ac dolor Ioabi animum non pungeret. Abnerus præterea Saulis domum & opes aduerſus Dauidem tutatus erat: Amaſa verò etiam rebellionis ſeditioniſq. in Dauidem commotæ particeps, Abſalomi parteis iuuerat. Itaque ſi Ioabus Machiauellicos iudices habuiſſet, non tantùm illi eum omni noxa & pœna liberaſſent, ſed Abnerj quoq. & Amaſæ fortunarum parte opima, tamquam præmio, donaſſent. Sed memorabile illud iudicium Dauidis, quod extremas inter voces aduerſus filium ſororis pronunciauit, à quo multis magniſq. meritis & officiis auctus erat, ſatis argumento eſt quantopere perfidiam exſecratus ſit. Atq. hęc Dauidis autoritas Principibus Chriſtianis verè pro documento habenda eſt, vt ſapientiſsimi ac ſanctiſsimi regis exemplum imitentur: cuius ore docentur fidei & promiſsi religionem, vel cũ ſuo damno, ſeruare. Quæ doctrina fœtidis Machiauelli placitis prorſus contraria eſt.

Deniq. fixũ hoc maneat, Perfidiam ſcelus eſſe adeo ipſi Deo & hominibus deteſtabile, vt fœdifragos & perfidos Deus nũquam impunitos relinquat. Neq. ſemper eorum ſupplicia poſt mortem differt, ſed ſæpe anteuertens etiam in hac vita eos

ſeue

feuero ac inusitato modo vlciscitur, horæ momento coniuges & liberos eorum vniuersámq. sobolem à stirpe subuertens. Quemadmodum apud Homerum Agamemnon Troianorum fraudes ac periuria diuinitus vltum iri pronunciat: Hom. Iliad. 4.

Etsi periuros violato fœdere Troas
Juppiter è cælis præsenti haud puniat ira,
At quandóque graues magno cum fœnore pœnas
Hi cum coniugibus & tota stirpe rependent.

XXII. THEOREMA.

Fides, clementia, liberalitas, virtutes sunt damnosæ Principi: sed opus est tamen vt earum speciem aliquam præ se ferat.

PRINCIPEM necesse non est (inquit Machiauellus) his omnibus virtutibus esse instructum, sed tamen expedit vt earum speciem & opinionem habeat. Quippe fidenter hoc dicam, si omnes earum leges omnibus locis seruet, fore vt plurimùm illi noceant: contrà verò earum simulationem & adumbratam imaginem non mediocriter profuturam. Nam (sicuti quotidiana experientia confirmat) sæpius Princeps ab omni fide, Cap. 18. de Principe.

caritate, humanitate & religione, diſcedere cogitur, vt quod ſuum eſt tueatur ac defendat, quod reipſa protinus amitteret, ſi vellet exactè omnia virtutum momenta librare, propter quæ homines probi & honeſti habentur.

TRIBVS his virtutibus, Fidei, Clementiæ, Liberalitati, reipſa ſemel valedicere Principem Machiauellus iubet. Si poſsit tamẽ earum laruas effigiéſq. politiſsima arte ad viuũ expreſſas alicũde nãciſci, eas vt induat turpe nõ cẽſet: meretricum planè ad morẽ, quæ honeſtarum matrumfamiliâs cultu aſcito, probas & caſtas feminas libẽter ementiuntur. Sed aduerſus putidum hoc dogma inuehi neq. mihi operæ neq. legentibus vſui eſt. Nam quis adeo hebes ac plũbeus, vt nõ perſpicuè intelligat Machiauellum hîc bruto ſtupore & ſcurrili arrogãtia excellẽtiſsimis inter homines virtutibus illudere? Quod attinet ad Fidem in cõmuni hominum ſocietate colendam (nam de ea fide quæ Deum reſpicit, nihil apud Machiauellum) ſuperiore in Theoremate egimus: de Liberalitate quæ dici poterunt ſuo loco reddemus. Clementiam ergo aggrediamur, & conſideremus vtrùm virtus hæc perniciosa ſit Principi nécne.

Clementia vtilis & honorabilis ei in quo eſt.

QVAM non ſolum non damnoſa, ſed vtilis Clementia ei ſit, in quemcumq. diuinitus ea dos collata eſt, nõ aliunde melius quàm ex contrarij vitij cõtentione deprehendi poteſt. Nam ſi Sæuitia (oppoſitum Clementiæ vitium) ſæuis exitium adfert, quod multis antè rationibus probatum eſt: quid ex Cle-

mentia

mentia proficiſci poteſt præter vtilitatem & decus? Quum enim hæc virtus ſponte ſua ſit amabilis, omnium hominum fauorem, gratiam, & beneuolentiam,ei conciliat in quo eſt: neque hi affectus aut otioſi eſſe,aut à ſuis effectis magis ſeiūgi, quàm ignis à calore aut lux à ſplendore, poſſunt. Quare Clementia & lenitate ornatum virum (præſertim Principem) ſuper laudem, amicitiam & venerationem, omnium, vltro etiam omni metu libera ſecuritas & ſumma animi tranquillitas conſequentur. Sed priuſquam vtilitates quas ex Clemētia adipiſci poſſumus exſequi aggredior,moneo me ita Clementia vocabulum vſurpare,vt quum latiſsimè patet, ac nō tantùm miſericordiam erga errantes, ſed & bonitatem quamdam naturæ,manſuetudinem morum,facilitatem popularem, æquitatem in ſubditos, humanitatem affabilem & comitatē officioſam erga omneis, complectitur. Omnes enim hæ virtutes animum à natura bene informatum & compoſitum mellita quadam ſuauitate & dulcedine condiunt; quæ ſuauitas vno Clementiæ vocabulo deſignari poteſt, etſi ex variis effectis officiiſq.varia mutuetur nomina.

NATVRALIS ergo illa bonitas(quæ Clementia dicitur) ingenita Principi, ſontium pœnas minuet ac nonnumquam in totum remittet, pro ratione facti aut perſonarum. & hūc quaſi ex ſe primum fructum fundet. Princeps enim accuratè conſiderare debet quando, quomodo, cui, & quamobrem, criminis gratiam faciat. quippe quum Princeps iuſtas ſcelerib.pœnas irrogare poſsit ac debeat,nec faciat,ea non clementia, ſed crudelis quædam miſericordia vocanda eſt: ſicuti dicebat Rex Ludouicus

cognomēto Diuus. Sed quum AEquitas velut iuris anima sit, eadémq. sæpe legum seueritati repugnet, Princeps clementiam in consilium adhibere debet, vt ad moderandas legum pœnas summum ius æquitate temperet. Verum si nulla neq. æquitas neq. ratio molliendam legum duritiem suadeat, tunc pro magnitudine delicti pœnam ab eo statui par est: nisi pro misericordi sæuus haberi, & se reum eius criminis subdere velit, quod impunitate alit. Qua in re Principem sapientia & vigilantia summa vti decet, ne ab clementia in crudelitatē lapsus, odiosis remissionum & gratiarum flagitatoribus circumueniendū se prębeat. Itaq. periculi huius ancipiti metu se vt liberet, quum facinus mali exempli est, & reipublicæ interest, Princeps maleficium condonare non debet, nisi adhibito consilio & accuratè caussa cognita.

Capit. & Dion in Marco. Vulc. Gallicanus in Auidio Cassio.

MARCVS Antoninus sapientissimè omnium in cognitione criminum seueritatem clementia condiebat. Erat enim illi mos omnia crimina minore supplicio quàm legibus plecti solent punire, si leuia essent, nec pluribus noxis rei se obstrinxissent: sed nonnumquam cōtra manifestos & grauium criminum reos inexorabilis permanebat. Sed in suis potissimùm iniuriis lentus erat & ad ignoscendum facilis: quod in Auidij Cassij defectione reipsâ palā apparuit. Cassius quum in Oriente nuncium de interitu Marci accepisset, Imperatorium nomen vsurpauit. Et quamquam non ita multo pòst verum resciuit, tamē quòd semel motum fecerat de sententia decedendum sibi esse non putauit. Itaque non iam libero regressu, & exitium metuens, sibi imperium

rium armis parare statuit. Quod tamen metuebat effugere non potuit. Nam aliquot eius centuriones, vt Marci gratiam inirent, eum iter facientem obtruncarunt, & abscisso eius capite, ad Imperatorem profecti sunt. Marcus verò, capite Cassij viso, non elatus est: sed doluit etiam ereptam sibi esse occasionem misericordiæ, quum diceret se viuum illum voluisse capere vt illi exprobraret beneficia sua, eúmq. seruaret. Denique, quum quidam diceret, Sed „ quid si ille vicisset? respondisse fertur, Non sic deos „ coluimus, nec sic viuimus vt nos ille vinceret. Enu- „ merauit deinde omnes Principes qui occisi essent: habuisse caussas quib. mererentur occidi, nec quemquam facilè bonum vel victum à tyranno vel occisum, dicens: meruisse Neronem, Caligulam, Othonem & Vitellium, nec imperare debuisse. Nam de Pertinace & Galba paria sentiebat, quum diceret, in Imperatore auaritiam esse acerbissimũ malum. Denique non Augustum, non Traianum, non Adrianum, non patrem suum, à rebellibus potuisse superari: qui egregio principatus temperamento pares habuerũt exitus. Et in quadam ad Verum epistola: Sibi habeat Casius suos mores, maximè quum bo- „ nus dux sit, & seuerus, & fortis, & Reipubl. necessa- „ rius. Nam quod dicis, liberis meis cauendum esse „ morte illius, planè liberi mei pereant, si magis amari „ merebitur Auidius quàm illi, & si Reip. expedit „ Casium viuere quàm liberos Marci. Ex his respon- „ sis liquet bonum illum Principem mira fuisse facilitate in condonandis suis iniuriis & delictis quæ in se propriè admissa erant. Qua virtute nihil magis Principem decet. Vix enim potest Princeps suum

dolorem atq. iniurias sibi factas acriter vlcisci, quin sæuitiæ famam incurrat: quemadm. testatur idem Imperator epistola ad senatum rescripta, quum is quæstionem aduersus Casſij conscios nimiùm acerbè exerceret. Sed quia memorabiles sententias
„ continet, eius partem hîc inseram: Quod ad defe-
„ ctionem Cassianam pertinet, vos oro atq. obsecro
„ P.C. vt censura vestra deposita, meam pietatem cle-
„ mentiámq. seruetis, immò vestram: neq. quemquam
„ vllum senatus occidat. Nemo senatorum puniatur,
„ nullius fundatur viri nobilis sanguis: deportati re-
„ deant, proscripti bona accipiant. Vtinam possem
„ multos etiam ab inferis excitare. Nõ enim vmquam
„ placet in Imperatore vindicta sui doloris: quæ etsi
„ iustior fuerit, acrior videtur. Quare filiis Auidij Cas-
„ sij & genero & vxori veniam dabitis. Et quid dico
„ veniam? quum illi nihil fecerint. Viuãt igitur securi,
„ scientes sub Marco se viuere. Viuant in patrimonio
„ parentum pro parte donato: auro, argẽto, vestibus,
„ fruantur, sint diuites, sint securi, sint vagi & liberi,
„ & per ora omnium vbique populorum circumfe-
„ rant meæ, circumferant vestræ, pietatis exemplum.
„ Nec magna est hæc P. C. clementia, veniam pro-
„ scriptorum liberis & coniugibus dari. Ego verò peto
„ à vobis vt conscios senatorij ordinis & equestris, à
„ cæde, à proscriptione, à timore, ab infamia, ab inui-
„ dia, & postremò ab omni vindicetis iniuria: detísq.
„ hoc meis tẽporib. vt in caussa tyrannidis qui in tu-
„ multu cecidit probetur occisus. Hanc eius clemẽtiã senatus his acclamationib. prosecutus est, Antonine pie, dij te seruẽt. Antonine clemẽs, dij te seruẽt. &c. Quę faustę acclamationes satis ostendũt quàm gratum

tum acceptúmq.omnib. clementia Principẽ reddat: neq.vllam esse rẽ quæ multitudinis amorem in eum magis commoueat, quàm istam animi mansuetudinem. Itaque quum talis extitisset Marcus, tantum clementia consequutus est, vt pro certo haberent omnes, eum in cælum, tamquam in suam sedem atq. originem, reuolasse: neq.fieri posse vt tot ac tantis virtutibus ornatus animus aliùnde quàm è cælo venisset, aut aliò quàm eòdem reuerteretur. Antonini verò nominis tam ingens desideriũ apud omnes per multas ætates mansit, vt multi sequentes Principes, etsi Marcũ aut eius domũ nullo gradu contingerẽt, conciliando tamen multitudinis fauori, hoc sibi cognomen asciscerent. Sic Diadumenus filius Macrini & in imperio collega: sic Bassianus & Geta Seueri filij, sic Heliogabalus, Antonini numcupati sunt. Sed isti, quemadmodum Antonini cognomen falsò vsurpabant, ita nullam eius virtutem habuerunt, cuius nomine gloriabantur. Ceterùm non deerant, qui Marcum reprehenderent, quòd in coniuratos & perduelles nimiùm mitis esset, & malè consuleret sibi ac liberis suis, quum defectionis popularibus ignosceret, qui si vicissent ipsi nõ pepercissent. In iis Faustina Imperatrix permolestè ferebat, quòd de Cassij consciis graues pœnas non sumeret. Is ergo ad Faustinam coniugem epistolam scripsit, cuius ea sententia erat: Tu quidem mea Faustina religiosè " pro marito & pro nostris liberis agis. Nam relegi e- " pistolam tuam, qua me hortaris vt in Auidij con- " scios vindicem. Ego verò & eius liberis parcam, & " genero, & vxori: & ad senatum scribam ne aut pro- " scriptio grauior sit, aut pœna crudelior. Non enim "

,, quidquam eſt, quod Imperatorem Romanum me-
,, lius commendet gentibus quàm clementia. Hæc
,, Cæſarem deum fecit, hæc Auguſtum conſecrauit,
,, hæc patrem tuum in primis Pij nomine ornauit.
,, Denique ſi ex mea ſententia de bello iudicatum eſ-
,, ſet, nec Auidius eſſet occiſus. Eſto igitur ſecura, dij
,, me tuentur, diis pietas mea cordi eſt.

QVAMOBREM nulla virtus eſt quæ Principem magis quàm Clementia decoret: quam ritè exercebit, ſi facilè eorum errori veniam det à quibus propriè offenſus eſt: tum etiam iis qui nihil atrox admiſere, aut quod non aliqua ratione leniri vel æquitate ſubleuari poſsit, aut qui malè agere non aſſueuerũt, aut alioqui Reipubl. vtiles eſſe poſſunt, mitiores pœnas irroget quàm quæ legibus conſtitutæ ſunt. Nam niſi Princeps in has circumſtantias conditionéſve mentis aciem intenderit in exercendis iudiciis, miſericordia ita inconſultè vtetur, vt in ſæuitiam iniuſtitiámq. potius quàm in clementiam propendeat: ſed ſi eam æquitate moderabitur ac definiet, à recta iuris & iuſtitiæ via, cuius æquitas norma eſt, numquam deflectet.

IAM quemadmodum è clementia Principis ſubditi æquitatem percipiunt, ita ipſe quoque Princeps vberrimum ex ea fructum, videlicet omnium beneuolentiam, colligit. Neque vlla res magis Marcum Antoninum carum omnibus & deſiderabilem Principem fecit, ſicuti antè dictum eſt. Eadẽ in Veſpaſianum omnium ſtudia & caritatem accẽdit. Offenſarum enim inimicitiarúmq. minimè memor exſequutórve, Vitellij quoque hoſtis ſui filiam ſplendidiſsimè maritauit, dotauítq. etiam & inſtruxit. Tantúmq.

Suet. in Veſp. cap. 14. & 15. in Tito. cap. 1. & 9.

túmq.abfuit vt iniusta cuiusquam cæde lætaretur, vt iustis etiam suppliciis illacrymaret. Titi quoque eius filij tanta fuit comitas ac mãsuetudo in imperio, vt nullius aduersum se odium commouerit. Neque autor cuiusquam necis nec conscius, quamuis interdum vlciscendi caussa non deesset, periturum se potius quàm perditurum adiurabat. Itaque tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenij vel artis superfuit, vt vulgò Deliciæ atq.amor generis humani dictus sit. Par caussa publicæ caritatis Traiano, Adriano, Pio, Tacito, fuit; & aliis egregiis Principibus, qui propter naturalem comitatem & lenitatem adeo probati & dilecti sunt à suis, vt post mortem in deorum numerum referrentur.

PRAETER hæc verò adeo commendabilis in Principe est Humanitas, vt eius quoq. pulchritudo subditos ad imitandum alliciat. Hominum enim ea vulgò natura est vt ipsi se in Principis, velut vnici exempli, mores forment: &, sicuti prouerbio vulgatum est, Clementia Principis subditis bonorum morum magistra est.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Popularibus verò hanc eius virtutem imitandam sibi proponentibus, Rempubl. longè florentiorem opibus, & pace tranquilliorem, fore haud ambiguum est. Homines enim huic virtuti dediti, iustitiam quoque, temperantiam, caritatem, pietatem, colent, & ceteras simul bonas artes, quæ clementiam comitantur: vnde orietur publici status omnibus propè numeris absoluta felicitas. Cuius rei fidem fecere Marci tempora. Nam quum omnes ad eius virtutum exemplar, præsertim moderationis & bonitatis, sese

componerent, bonorum morũ exemplorúmq. nulla ætas feracior fuit. Quum enim (vt inquit Capitol.) moderatißimus esset in hominibus deterrendis à malo, inuitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis, ex malis bonos, ex bonis optimos, reddebat. Neq. verò eiuscemódi Principes, humano generi ingentium bonorum autores, ciuium suorum honore & beneuolentia viui tantùm perfruuntur: sed quum ab historicis litterarum monumentis tradantur, mortui quoque virtutum suarum fructum ferunt, prosperam ad posteros sui memoriam, & immortalem nominis gloriam & famam. Sæui contrà Principes, detestabiles & probrosi propter magnas illatas hominibus calamitates, omnibus omnium dictis, scriptísq. & in vita & post mortem lacerantur. Quod graphicè ab Homero his versibus depictum est:

Capit. in Marco.

Odyss. lib. 19.

Quisquis inhumanis studet intestabilis vti
Moribus, huic omnes viuo clam dira precantur:
Huic omnes credunt fas insultare peremto.
Sincerum vitæ contrà, culpáq. carentem
Tantus inumbrat honos, vt famam nominis ampli
Quilibet extremas paßim ferat hospes in oras.

Clementia Principis nullius mali caussa est.

Hic mihi Machiauellitæ fortè obiicient, si Princeps animo ad ignoscendum propenso delictorum gratiam facilè fecerit, fore vt multos ad clementiam ipsius experiendam inuitet, atq. impunitatis spe homines ad peccandum illiciat. Quibus ita respondeo. Primùm, si Princeps ita clementia vtetur, vt iustitiam non deserat (sicuti fieri debere diximus) nulla crimina digna supplicio impunita omittentur, neq. ad talia audenda vllus impunitate prouocabitur.

quip-

quippe iudiciorum eadem ſemper erit vis atq. autoritas, quibus tamen clementia & æquitas modum ſtatuet. Secundò, etſi clementia Principis (vt hoc fingamus) vitiorum licentiæ feneſtram apertura eſt, nuſquam tamen id locum habebit, quàm in peruerſis & deprauatis naturis. Nam ingenui & à natura bene inſtituti homines ita potius ad imitandã Principis virtutem, quàm ad prauitatem flectentur. Princeps verò lenis, ceterarum quoque virtutum amans & vitiorum hoſtis, viros probos opibus augebit, honoribus extollet, & abiiciet improbos. Ergo ita fiet vt improbi quoq. homines ſceleribus & criminib. abſtineant: nã etſi ex manſuetudine Principis ſpem facilè impetrabilis veniæ ſibiipſis facere poſſunt: quia tamen metuent ne ſceleribus admiſsis excidãt à gratia & fauore Principis, animum continere cogentur. Tertiò, quamquam Clemẽtia aliquid ſecum iniqui & iniuſti trahat (nam vix fieri poteſt vt Princeps res adeo æquato examine penſet, vt nõ aliquod momentum iniuſtitię ad manſuetudinem ſeſe adiũgat) iſta tamen mali ad Clementiam acceſsio tanti non eſt, vt propterea omnis humanitas è Principis animo excuti & eiici debeat, ex qua tot vtilitates & tanta commoda in Principem, populũ & rempubl. exundant: ſicuti ex iis quæ diximus, & iis quæ dicturi ſumus, colligi poterit.

ROMANI quondam ſuam in ignoſcendo facilitatem multa bella, multas ſociorum defectiones, attuliſſe non ignorabant. Sed an propterea in eos à quibus læſi erant clementia vti deſinebant? Immò nulla magis virtute gloriabantur, neq. vlla vtebãtur frequentius: gnari nulla re validius quàm clementia Liu. Annal. lib. 31.

magnitudinem imperij Rom. & res atq. opes suas stare. Id confirmat oratio à legato Rom. in Panætolico concilio habitá, quum AEtoli solicitarētur à rege Macedonum Philippo vt ipsius amicitiam Romanæ societati anteferrent. Quum enim obiecisset Macedonum regis legatus, Capuæ & aliarum vrbiū finitimarum ruinis creuisse vrbem Romam, & aliá argumenta sæuitiæ: Romanus vt obiecta refelleret, „ inter alia hæc, An Campanorum, inquit, pœnæ, de „ qua ne ipsi quidem queri possunt, nos pæniteat? Hi „ homines, quum pro iis bellum aduersus Samnites „ per annos propè septuaginta cū magnis nostris cladibus gessissemus: ipsos fœdere primùm, deinde cōnubio, atq. inde cognationibus, postremò ciuitate, „ nobis coniunxissemus: tempore nostro aduerso primi omnium Italiæ populorum, præsidio nostro „ fœdè interfecto, ad Annibalē defecere: deinde indignati se obsideri à nobis, Annibalem ad oppugnandam Romam miserunt. Horum si neq. vrbs „ ipsa, neq. homo quisquam superesset: quis durius „ quàm pro merito ipsorum statutum indignari posset? Plures sibimetipsi conscientia scelerum mortem „ consciuerunt, quàm à nobis supplicio affecti sint: „ ceteris ita oppidum, ita agros ademimus, vt agrum „ locúmq. ad habitandum daremus: vrbem innoxiam „ incolumem stare pateremur, vt qui hodie videat eā, „ nullum oppugnatæ captæ've vestigiū ibi inueniat. „ Sed quid ego Capuam dico, quum Carthagini victæ pacem ac libertatem dederimus? Magis illud est „ periculum ne nimis facilè victis ignoscendo, plures „ ob idipsum ad experiendam aduersus nos fortunam „ belli incitemus. Quod ad vos attinet AEtoli, vobis

resti-

restituendi vos in amicitiam societatémq. nostram " fortuna oblata est: nisi perire cum Philippo, quàm " vincere cum Romanis, mauultis. Hæc & alia quum ab Romano dicta essent, AEtoli, nihil aut huic aut illi parti assensi, tum certi quidquam non responderunt: sed, dimisis re suspensa legatis, occultè inter se consilium inierunt, vt euentum expectantes medios sese gererent. tempestiuè vtrius partis melior fortuna belli esset, ad eius societatem inclinaturos. Id cōsilium quum vsu & euentu infelix apparuisset, Romanam tamen etiam ipsi clementiam aliquando experti sunt. Ea certè virtutis huius præstantia est, vt eam numquam Princeps exuere debeat, etsi nonnumquam incommoda videatur: nec siquid inde oriatur mali, clementiæ asignari debet, sed vitio hominum qui ea abutuntur. Nihilo tamē propterea magis reijcienda est quàm vini vsum homines, propter ebriosorum intemperantiam, repudiant. Iam cetera quoque Clementiæ effecta persequamur.

PRAETER vtilitates enumeratas quæ ex Clementia percipiuntur, nimirum vt seueritatem iuris legúmq. temperet, Principem omnibus amabilem venerabilémq. reddat, eius subditos virtutum amore & bonis moribus impleat: tria præterea eius insignia sunt commoda. Illa enim subditos Principi obsequētiores efficit, eius opes statúmq. firmat: postremò Imperium quoque amplificat. Quæ tria ordine vt exsequar, hoc pro indubitato primùm statuam, Principem facilè suis imperare, si eorum voluntates sua sponte ad parendum cōparatæ sunt. Neque dubitandum est quin is animorum voluntatúmq. habitus sit in subditis, si eos Princeps clemēti

Princeps clemēs subditis obsequentioribus vtitur.

mitíq.imperio contineat. ídq. duabus de caussis. Primùm, quia subditorum caritatem adeptus, obedientiam facilimè consequetur. Deinde, quum clemētis Principis nullá nisi æqua moderatáq. imperia & iussa sint, fieri nō potest vt subditi vltro illis morē non gerant. siquidē nihil est quod magis homines ad obediēdū impellat, quàm vbi illis perspecta exploratáq. est imperij ęquitas. Lex enim, quum ab ęquitate (quę imperij neruus est) omnē vim motúmq. mutuetur, si sese ab ea seiunxerit, neque diu neque fidè obseruari potest.

Liu. Annal. lib. 45. QVAMOBREM leges quas Macedonibus abs se victis populus R. imposuit, quàmdiutissimè ita „ durarūt vt neq. mutatæ neq. abrogatæ fuerint. Quip„ pe (vt inquit Liuius) eas tanta cura dedit, vt non ho„ stib. victis, sed sociis bene meritis dare videretur: & „ quas ne vsus quidem lōgo tēpore, qui vnus est legū „ corrector, experiēdo argueret. Itaq. operępretiū est attendere qua prudentia & æquitate vsi sint in cōLegum bonarū & firmarum cōdendi ratio. dēdis iis legib. Nā eam rem agitare in senatu nō satis habuerunt, neq. æquū censuerunt ad paucorū arbitriū senatusconsultum scribere (sicuti hodie nostri purpurati tyrānidis satellites pro libidine domi edicta cudunt, neq. ea consilia cū quoquā, nisi cū suis, communicant) Sed decem legatis decretis, quorū dè sententia imperator res cōponeret, primùm in senatu agitata est summa cōsiliorū, vt inchoata omnia legati ab domo ferre ad imperatorē possent: cetera ipsi imperatori legatísq. relicta, quib. præsens rerum tractatio certiora subiectura erat cōsilia. In primis decem illis viris iniunctum vt mores, ingenia, iura vetera, gētis inspicerent, sententiā exquirerēt, & ad eas

nouas leges accommodarent. Quare leges ita vtiles & cõmodas genti Macedonum dederunt, vt quũ iis ipsis quib. dabantur æquæ & bonæ visæ essent, eas haud grauatè acciperent. Similis perpetuò in nouis legib.edictísq. scribendis moderatio adhibenda, cõsensúsq.& voluntas eorum qui illis teneri debẽt percontanda est: quum nemo melius norit quid in quaque re plus minúsve sit, & incommoda siquæ inde sequutura sunt. Ad eũ ferè modum veteres Galliæ reges de sententia publici Ordinum concilij edicta componebant, aut certè sollẽnis alicuius cõuentus, cui Regni proceres, prælati, & nobilissimarum ciuitatum principes intererant: atq.is cœtus Magnũ Regis consiliũ nuncupabatur. Imperatores quoq. Romani leges de cõsilio senatus latas, eiúsq.autoritate comprobatas, iubere consueuerãt: sicuti alio loco à nobis dictũ est. Temerariæ enim & stolidæ arrogãtiæ est vnum hominẽ aut paucos tãtum sibi sumere, vt satis aptas gẽti alicui leges cõdere se posse existimẽt, absq. illius consensu, & multorum simul consiliis & sentẽtiis cõiunctis. Romani veteres nõ minus quàm isti iudicio & sapientia pollebant: nullam tamẽ legẽ nisi prius diu multúmq.agitatã ac versatam, nec nisi potestate facta eius suadendæ aut dissuadendæ, siquis vellet, accipiebant. Itaq.sæpe Tribuni pl.(quẽadmodum ex Liuio liquet) quorum munus erat procurare vt promulgatæ leges sciscerẽtur aut repudiarẽtur à populo, orationib. & autoritate dissuadentiũ moti à lege aliqua ad populũ ferenda desistebãt: sæpe etiã quũ rogationi alicui intercesissent, eã suadẽtiũ rationib. victi, actionẽ deponebant. Imitaremur hodie hos mores: nec prius sanctiones Regni aut

Reipubl. cuiuslibet componendo statu quæsitæ perferrentur, nisi prius multorum sententiis in publico Statuum concilio deliberatæ: neu quidquam antè decerneretur, quàm copia facta dicendi ac suadendi quod quisque aut vellet aut optimum putaret. Hæc ita si fierent, nec tam absurda edicta nec tam infirma haberemus. AEqua enim & commoda iis in quos lata essent, omnes vltro ad spontè parendũ allicerent: quando AEquitas (sicuti dictum est) leges efficaces, sanctas & inuiolatas, præstat.

CETERVM nequis dubitet eum qui summæ imperij autoritati suorum beneuolentiam adiunxerit, iis melioribus & obedientioribus vsurum, id quoque confirmandum est. Lucullus rei militaris peritus, & omni laude bellica haud dubiè dignus, vir fuit, qui duos potentissimos reges Tigranem & Mithridatẽ bello vicit: quum tamen militares animos tractandi & conciliandi rudis esset, eorum seditionibus parta antè decora propemodũ amisit. Quum enim parum comis & affabilis esset, in primis acer in rerum gestarum rationibus reposcendis, inexorabilis in suppliciis, ita militum in se odia incendit, vt omnem propè laborum & victoriarum fructum alteri concedere coactus sit. Nam quum Lucullus à militibus ludibrio haberetur, Pompeius aduersus Mithridatem missus est, non tam belli quàm triumphi successor, neq. tam ad res gerendas quàm vt rerum ab Lucullo gestarum eiúsq. laborum præmia colligeret. Is ergo quũ exercitum ab Lucullo accepisset, eosdẽ milites ita comiter liberalitérq. habuit, vt iis ad omnia paratissimis vteretur, eorúmq. armis totum propè Orientem Romano imperio subiiceceret.

Dion in Pompeio. Plut. in Lucullo.

ceret. Hoc ergo vitium tot egregiis Luculli virtutibus aſperſum (ſiue is temperare ingenium ſuum, & ſeueritatem miſcere comitate, neſcierit, ſiue noluerit) non minimũ de ipſius felicitate & rerum geſtarum gloria detraxit: quum & paratam ſuo labore ac periculo propè finiti belli famam tradere ſucceſſori coegit, & in mora fuit quominus quæ ſuſceperat ad exitum perduceret.

SED Lucullo Appius Claudius quo aſperior eò etiã infelicior extitit: qui militiæ adeo durus & ſæuus imperator fuit, vt à militibus metui quàm diligi mallet. Is enim quũ iam inde à paternis certaminibus inuiſus infeſtúſq. plebi, miſſus eſſet in Volſcos, eadem in militia ſæuitia eius, quæ domi, fuit. Hæc enim ira indignatióq. quam in vrbe tribuniciæ rogationes accẽderant, ferocem animum ad vexandũ ſæuo imperio exercitum ſtimulabat. Nec tamen exercitus vlla vi domari poterat, tantum certamen animis imbiberat. ſegniter, otioſè, negligenter, contumaciter, omnia agere. nec pudor nec metus coercebat. Si citius vellet agi agmen, tardius ſedulò incedere: ſi adhortator operis adeſſet, omnes ſua ſponte motam remittere induſtriam: præſenti vultus demittere: tacitè prætereũtem exſecrari: vt inuictus ille odio plebeio animus interdum moueretur, omni nequidquam acerbitate promta. Quum productus eſſet in aciem miles, vinci voluit & turpi fuga petiit caſtra, vt gaudere ſua clade atque ignominia appareret. His tamen nihil infractus ferox Appij animus, quum inſuper ſæuire vellet, cõcionémq. aduocaret, concurrunt ad eum legati tribuníq. monentes ne vtique experiri vellet imperium, cuius vis omnis in

Liu. Annal. lib. 2.

consensu obedientium esset. negare vulgò milites se ad concionem ituros. Quum sequenti die castra ex agro Volsco moueret, & Volsci nouissimos adorirentur, nemo vllius nisi fugæ memor fuit, vt prius hostis desisteret sequi quàm Romanus fugere. Itaq. aduocata concione inuectus in proditorem exercitũ militaris disciplinæ, desertorem signorum, inermes milites, signo amisso signiferos, ad hoc centuriones duplicariósq. qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit. cetera multitudo, sorte decimus quisque, ad supplicium lecti. Ita magis irritato exacerbatóq. in se militum odio quàm vlla belli laude insignis in vrbem rediit. Ei aliquanto pòst, partim propter eam inclementiam, partim quòd legi Agrariæ resisteret, dies à tribunis dicta est & à populo producta. Priusquam ea dies veniret, morte ita subita exstinctus est, vt multi voluntariam crederent. In eam calamitatem non incidisset Appius, si, parando ciuium amori, atrox illud & cõtumax ingenium leni & mansueto mutasset.

PORRO clementia Principis erga subditos multis rebus enitescit: si leuamentis onerum, laxamentis laborum, delenimentis animorum corporúmq. illorum voluntates promereri studeat: si iura, si libertatem illis tutam perpetuámq. sub tutela sua præstet: si edicta & leges æquas iubeat, & iudicia incorruptè administranda curet. Sed nihil iisdem gratius acceptiúsq. quàm si eos adeo non despiciat Princeps, vt nonnumquam cum ipsis communicet, de publicis negotiis cum ipsis agat: sententia, opera, opibus, eorum vti æquum censeat. Quum enim subditi vident sibi tantum tribui, vt in partem curarum

rum

rum & consiliorum vocētur, quum necessitates publicas introspiciunt, iustásq. caussas quare hoc vel illud Princeps efflagitet: haud equidē dubitē multo libentius pariturus, quàm quum rerum nullam notitiam habent, neq. sciunt quas ob caussas sibi indicatur pecuniarum collatio, nec quos in sumtus illæ erogentur. Eius rei luculentum exemplum suppeditat sollennis statuum conuentus apud Turones habitus anno CIↃ CCCC. LXXXIII. regnante in Galliis Carolo VIII, quemadmodum Cominæus commemorat. Galliæ opes tum vehementer attritæ erāt: populus per viginti & eo plures annos continuis tributis exhaustus, & ciuilib. bellis propemodum cōsumtus. Quum tamen viderent Galli à Rege Status conuocari ad Reipublicæ necessitates populo indicandas, & quærendam eius opem: non tantùm præsens tributum collaturos polliciti sunt, sed à Rege quoque petiuerunt vt post biennium alij conuentus agerētur: ac si ea pecuniæ summa non sufficeret ad eius vsus, vltro se daturos quantum vellet. Immò siquis aduersus ipsum quidquam moliretur, se non fortunas tantum omneis, verùmetiam sanguinem & vitā pro ipsius incolumitate paratos esse profundere. Tantū valet ciuilis & popularis moderatio Principis de publicis rebus cū suis subditis cōmunicantis, ad conciliandos subditorum animos & obsequium parandum, vt ea via difficillima quæque facilius quàm vi aut minis minima consequi possit. Sed quæ addit in hanc sententiam Cominæus, operæpretium est audire, Num iniquum igitur & inhu- «
manum sit (inquit) tributis & licentia sæuire in eius- «
cemodi subditos, qui tam benignè & munificè con- «

Comin. lib. 5. cap. 18.

„ ferunt? Nónne multo æquius tam Dei quàm homi-
„ num respectu est, pecunias ad eam formam quàm
„ per libidinem exigere? Quippe nullus Princeps tri-
„ butum subditis sine ipsorum consensu & voluntate
„ imponere potest, nisi tyrannide vti & intestabilis
„ esse velit. Et paullo antè: Existimari per id tempus
„ poterat bonum illum Ordinum conuentum peri-
„ culosum esse. dicebántq. nescio qui non magni pre-
„ tij homines, sæpiúsq. post id tempus dixerunt, crimē
„ esse læsæ Maiestatis si quis de trium Ordinum con-
„ cilio conuocando verba faciat. Id enim ad minuen-
„ dam Regis autoritatē pertinere. Verùm illi ipsi sunt,
„ qui crimē illud aduersus Deum & Regem & Rem-
„ publ. committunt. Neq. verba eiusmodi aliis pro-
„ sunt, quàm iis qui nullo suo merito gradus hono-
„ rum & dignitatum obtinent: neq. ad illos obtinen-
„ dos sunt idonei: sed blanditiis & clandestinis su-
„ surrationibus Principum aures demulcere & nuga-
„ toriis de rebus verba facere didicerunt: magnósq.
„ conuentus hominum reformidant, ne quales sunt,
„ tales agnoscantur: eorúmq. opera vituperētur. Hoc
Cominæi elogium memoria dignum est: & ad no-
stra tempora vix quidquam aptius.

Princeps clemens firmum & securum statum obtinet.

NVNC ad alterum Clementiæ effectum acceda-
mus, quod ad tuendas firmandásq. Principis opes &
statum pertinet. Hîc mihi nemo negauerit nihil esse
quod Principis statum tutiorem validiorémq. præ-
stet, quàm si nullos inimicos hostésve habeat. Nul-
las autem inimicitias odiáve in se conciturum Prin-
cipem bonum & lenem, Clementia ipsa spondet:
virtus per se semper amabilis, & quæ eos in quibus
est gratos omnibus acceptósq. reddit. Ac si fortè in
talem

talem Principem aduersarij quoque nonnulli exoriantur (sicuti nonnumquam honorum & diuitiarũ cupido auaros ambitiosósq. aduersus mites stimulat) vix tamen aut eius statum labefacere, aut eum sede ac fastigio euoluere, vmquam poterunt: præsertim si cum Clementia boni consilij copiam habeat. Quum enim ei sua virtus finitimos beneuolentes, subditos vltro obsequentes, efficiat: quis dubitet tot stúdiis amicitiísq. fultum facilè vel occultis inimicorum insidiis obuiam ire, vel impetum propulsare, posse? Alexandrum Seuerum, moderatum, lenem, affabilem & cunctis hominibus amabilem, fuisse accepimus. Itaque quum ei nimiam ciuilitatem obiicerent Mammæa mater & vxor Memmia, & sæpe dicerent, Molliorem tibi potestatem & contemtibiliorem imperij fecisti: Ille respondit, Sed securiorẽ atq. diuturniorem. Prçclarè sanè ac verè. nam nisi illa fuisset, diu imperaturum constabat: sed parca & & sordida mulier tantum arrogantia & auaritia effecit vt sibi & filio exitium attulerit. Simile dictum Theopompo Spartæ regi attribuitur, qui quum regiam potestatem optimam esse intelligeret, si ea reges moderatè vtantur: plures tamen esse qui eam in superbiam & libidinem vertant, quàm qui moderari sciãt, solutæ regum potentiæ Ephororum autoritatem, tãquam frenum, iniecit, sibíq. & sequentibus regibus illos veluti censores & castigatores morum imposuit. Ergo quum exprobraret ei vxor, quòd regnũ filiis minus quàm accepisset esset relicturus, Immò (inquit) eo maius quo diuturnius. Ita nimirũ innuens, principatum nullis melius opibus fundatum quàm moderato imperio stare: quum videl,

Lampr. in Alex. Herod. lib. 6

Plut. in Lycurgo.

Spart. & Dion in Seuero, & in Carac.

Princeps ita iura & leges dat subditis, vt legum autoritati semet ipse subiiciat. Seuerus Imper. multis alioqui virtutibus memorabilis, ea dote caruit: verùm, quum reipsa crudelissimus esset, clementiam tamen dignam Principe virtutem agnoscebat & fatebatur, talémq. se haberi cupiebat, nisi facta obstitissent. Hîc mihi Machiauellitæ obstrepent, Seuerũ, quum natura truculentus esset, clementiæ se admiratorem dolosè & simulatè finxisse (quod Principem decere Machiauellus contendit) sed his gemino responso ita occurro. Primùm, vt fingamus Afrum hominem Punico astu in eo vsum, haud dubiè tamẽ tacito animi iudicio & sua confessione, eam virtutẽ vt egregiam, quũ reipsa negligeret, probabat. Deinde probabile est, Seuerum, etsi per totum ferè tempus principatus sæuitiam stabiliendis regni opibus maximè idoneam & tutissimam credidisset, serò tamen tandem vidisse clementiam esse potiorem, meliúsq. suis rebus consulturum fuisse, si ea vsus esset. Nam Plautianum intimum amicum, quem ex humili fortuna ad summas opes prouexerat, mox etiã Bassianum filium, quem Imperij collegã asciuerat, necem suam molientes videre & ferre coactus est: quum in eos animaduertere non auderet, qui ex se sæuitiam didicissent. Postremò quoque moriens supremas voces has edidit, Se Antoninis (filios innuẽs quibus, vt cari essent, Antonini cognomẽ imposuerat) firmum imperiũ tradere, si boni essent: sin mali, imbecillum. Quæ vox ab eo, velut oraculo missa, imminẽtium præsagium fuit. Nam, truculentia patris nihilo mitior Bassiani immanitas, primùm Getę fratris sanguine imbuta, mox per amicorum, deinde

illu-

illuſtrium virorum, cædes peruagata eſt. Ergo ei (ſicuti Seuerus moriens prædixerat) breue æui ſpatium, breue imperij, fuit. nam quum ſex annos tantùm regnaſſet, à Macrino legato interceptus, ſimul cum vita principatum amiſit. Domitianus, quanquã immanis & ſanguinis ſitientiſsimus eſſet: Clementiã tamen, velut neceſſarium Principis ornamentum, laudibus ferre, & quoties in ſenatu alia de re ſententiam diceret, aliqua ſemper virtutis huius encomia orationi áſpergere, inſueuerat. Famam ſcilicet mãſuetudinis conſequi dictis cupiebat; quum factis euerteret. Sed ex iſtis ſatis liquet eam eſſe Clementiæ vim ac pulchritudinem, vt improbos quoque, à quibus repudiatur, in admirationem ſui rapiat, cogátq; fateri Principe dignam eſſe virtutem.

POSTEAQVAM Romæ, exactis regibus, Reſpublica & libertas inſtituta eſt, populus ſine publico ſtipẽdio militare cogebatur. Interea eodem tempore Reip. operam dare & æs alienum facere: quod nihilo minus vſuris cumulabatur. Ergo militi labore ac vulneribus feſſo, domi pro quiete nouus obiiciebatur labos: quippe aderant creditores, qui ſuper ſortem crediti etiam fructus belli tempore auctos efflagitarẽt. Ita inopes iudicati pecuniæ & nexi ob æs alienum à feneratoribus in ſeruitium ducebãtur. Quamobrem plebes iniuſto fenore obruta fremere: milites ægrè pati, poſtquam bello ſanguinem pro Republ. impenderint, non tantùm fortunas ſuas ſed corpora quoq. pecuniæ creditæ obnoxia eſſe: ſe nexos in ſeruitutẽ & in vincula duci: ac ingentis motus non ſuſpicio tantùm, ſed aperta ſpecies obuerſabatur ante oculos. Iámq. haud procul ſeditione res

Dionyſ. Halyc. lib. 5.

erat: cuius leniendę caussa patribus in curiam vocatis, senatores aliquot æquioris ingenij, Remittēda egenis debita, certè fenore leuandum æs alienum, censebant. neque æquum esse vt plebs suo sumtu militiæ onera sustinens, vsuris insuper fortē ipsam mergentibus obrueretur. Huius sententiæ princeps erat M. Valerius Marci filius, fratris P. Valerij Poplicolæ, vnius eorum quorum opera tyranni vrbe pulsi fuerant. Is addebat irritatos esse inopes: periculum esse ne plebs infensa senatui Rempubl. iniquo tempore desereret: immò ne tyrannorum blandimentis illecta cum illis arma aduersus patriam consociet, ac mox Tarquinium in regnū restituat. Itaque demerendam hoc beneficio plebem, & paruæ rei iactura ciuium beniuolentiam redimendam, sibi videri: qua vna Reipubl. incolumitas staret. Huic Valerij sententiæ senatus assensus est: edixítq. nequis ciuem Rom. vinctum aut clausum teneret: nequis militis, donec in castris esset, bona posideret, aut vēderet: liberos nepotésve eius moraretur. Quippe non ignorabat publici status firmitatem Clementia & æquitate niti.

Liu. Annal. lib. 22. ANNIBAL in Italia bellum gerens, quum Capuæ potiundæ spem haberet, captiuo cuidam imperauit vt se in agrum Casinatem duceret: edoctus à peritis regionum, si eum saltum occupasset, exitum Romano ad opem ferendā sociis interclusurum. Punicum ab horrens ab Latino nomen, Casilinum pro Casino ducem accipere fecit: auersúsq. ab itinere, Pœnos Casilinum deduxit. Sed cognito demum errore, & Casinum lōgè inde alia regione esse, Annibal virgis cæsum ducem ad reliquorum terrorem in cru-

crucem sustulit. Hæc tamen eius sæuitia, nec reliquus terror, quum omnia bello flagraret, fide socios demouit: videlicet quia iusto & moderato regebatur imperio: nec abnuebant, quod vnum vinculum fidei est, parére melioribus.

BELLVM aduersus Antiochum Syriæ regem, L. Cornelio Scipioni mãdauerat senatus, quòd P. Scipio Africanus dixisset, si L. Scipioni fratri suo prouinciam Græciam decreuissent, se legatum iturum. Fortè accidit vt, iis bellum in Græcia gerentibus, filius P. Scipionis captus in Antiochi potestatem veniret. Eum Antiochus ad se deductum ita comiter accepit, vt si pax cum populo Rom. maneret, hospitiúmq. priuatim regi cum Scipionibus esset, neq. liberalius neque benignius haberi colíq. adolescens quàm cultus est, potuerit. Quippe non dubitabat eũ esse Scipionis animum, vt pro tanto in ipsum munere gratus esse vellet: & tanti amicitiam viri sibi ad omnes casus paratam & opportunam fore. Itaque quum audisset Scipionem ægrum Elæam delatum, legatos qui filium ad eum reducerent, misit. Non solùm animo patrio gratum munus, sed corpori quoque salubre gaudium fuit: satiatúsq. tandem complexu filij, Renuntiate, inquit, gratias regi me agere: referre gratiam aliam nunc non posse, quàm vt suadeã ne antè in aciem descendat, quàm vt in castra me redisse audierit. Quamquã LX. millia peditum, plus XII millia equitũ, animos interdũ ad spem certaminis faciebant: motus tamen Antiochus tanti autoritate viri, in quo ad incertos belli euetus omnis fortunæ subsidia posuerat, sese recepit. Annon (obsecro) hic singularis Clementiæ fructus fuit, quum rex Liu. Annal. lib. 37.

haud perinde firmum ſtatus munimentum ratus opes ſuas quàm manſuetum hoſtis animum, plus in eius clementia quàm in viribus ſuis ſpei poſuit?

VERVM quid pluribus exemplis aut teſtimoniis in re tam perſpicua opus eſt? Nónne perpetua omnium ætatum experientia docuit docétve, nullum ſtatum diuturniorẽ firmiorémq. vllo tempore fuiſſe ac eſſe quàm bonorũ & clementiũ Principũ? Teſtes, Auguſtus, Veſpaſianus, Traianus, Antonini, multiq. alij Romani principes: & ex Galliæ regibus non pauci, moderati & lenes, tranquillum principatus curſum emenſi & miti obitu defuncti, ingens ſui deſiderium populis reliquerunt. Memoria dignum eſt Anton. Pij ἀπόφθεγμα, neq. hoc loco prætermittendum: quod à Scipione acceptum frequentare conſueuerat, quũ diceret, Malle ſe vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere. Digna prorſus bono Principe vox, qui ſanguine humano ludere nollet: quemadm. noſtri hodie Machiauellitæ, qui eorum quos in hoſtibus ſuis numerant ſanguinẽ adeo ſitiunt, vt quum aliquem ex iis illuſtrem ac nobilem bello fortè captũ in poteſtate habent, centum ſuis non permutarint. Poſſunt ergo illi meritò iactare contrà ac Scipio & Pius Cæſar dicebãt, Malle ſe videlicet vnum hoſtem occidere, quàm centũ ciues ſeruare. Digni certè homines qui imperiũ obtineãt: ſed in beluas. quippe nec alio quidẽ loco Principis ſubditos habent quàm ſi ære emta mancipia eſſent, aut beſtię, quas cędere, lacerare, mactare, ius fáſq. ſit. Nuper quidẽ repertus eſt ineptus quidã ſcriptor & chartarũ inquinator, è mercenariis Machiauellitarũ operis vnus, vulgare impudẽter auſus, perinde ius

Capit. in Pio.

eſſe

esse Principi in subditos, vt domino in seruos: adeo vt omnẽ vitę ac necis potestatẽ in eos habeat, eósq. pro suo iure indefensos ac indẽnatos necare, & eorũ fortunas publicare, posit. Credo isti fatuo regiã autoritatem horridi alicuius triremiũ præfecti officio videri similem: vt rex perinde in subditos, ac iste in remiges, sęuiat, & catenis onustos verberib. quotidie laceret. Enimuerò multo æquius censeã ego, istos qui in ea opinione sunt incidere in validũ & immitẽ aliquẽ trierarchũ, qui bis térve in die disciplinam istam in tergo eorũ experiatur, & lũbos illis atq. humeros fuste aut neruo demulceat. Quãto humanioris ac ciuilioris animi fuit Augustus Cæsar, qui adeo metuebat ne libertatẽ populi, nõ dico abolere, sed imminuere velle putaretur, vt Domini appellationẽ, veluti probrum & maledictum, semper exhorruerit? Quia videlicet mutua quędã relatio Domini ad Seruũ erat: etsi multũ abesset à superbis illis titulis quos alij postea Principes asciuerunt, ita tamẽ vt nominis sola vsurpatione contenti rei ipsius vsu abstinerent. Suet. in Augusto, cap. 53.

TERTIVM superest, nempe vt doceam Clementiam Principis ad augendũ imperiũ valere. Rom. imperio nullũ vmquam florentius fuit: sed cui debetur tantæ incrementũ vrbis, maximíq. in terris imperij principium, nisi clementiæ? Romulus enim nõ tam armis vincendo, quàm leniter consulendo victis, vicinas gentes edomuit. Quippe volitante per vrbes non tantùm fama bellicæ Romuli virtutis, sed etiã erga victos clementiæ: & multi viri fortes cũ valida manu clientum & amicorum ad eum migrabant, & integri populi eius fidei se committebãt. Hæc virtus Iulio Cæsari Gallias aperuit. quum enim populos Princeps clementia imperium amplificat. Dion. Halyc. lib. 2. Plut. in Alex. & Cæsare.

armis inuictos, comitate & gratia vicisset, ceteros eorum ope atq. opera paruo negotio subegit. Alexander per Asiam bellum & arma circumferens, tam moderatè victoria vtebatur, vt nobilissimarum vrbium ciues vltro semetipsi & suas ciuitates eius fidei tradẽtes venirent. quum enim ita consuleret victis vt de pristino statu nihil mutaret, ea clementia prouocati sub eius imperio viuere, quàm suis legibus, malebant.

Liu. Annal. lib. 22. ANNIBAL, Sagunto exscissa, tantum sui terrorem iniecit, vt omneis Hispaniæ populos à societate Romana auerterit: quòd Romani Saguntinis sociis suis auxilium aduersus Annibalem non tulissent. Romani vt eum errorem (cuius vehementer pudebat) corrigerent, Cneum & Publium Scipiones cum classe & exercitu in Hispaniam misere. Ibi exposito exercitu & conciliata clementiæ fama, non veteres tantùm societates renouarunt, sed instituerũt nouas. Annibal vt Hispanos in fide contineret, obsides totius Hispaniæ, quos à nobilissimis & principibus ciuitatum acceperat, Sagunti custodiæ tradiderat. Id vnum pignus inclinatos ad Romanam societatem omnium Hispaniæ populorũ animos morabatur, ne sanguine liberorum suorum culpa defectionis lueretur. Forte quadam ij obsides custodia elapsi, in Romanos inciderũt, & ad Scipiones perducti sunt. Eorum cæde quum Scipiones ob defectionem Hispanos vlcisci possent, beneficio deuincire maluerunt. Itaque comiter acceptos adolescentes suis domos restituerunt. Ita quum Romani primo aduentu ab re clementi liberaliq. initium fecissent, id priuatim parentibus, quorum maximum nomen

men in ciuitatibus suis erat, & publicè populis, ita gratum fuit, vt ingenti consensu omnes ad defectionem spectarent, breuíq. vniuersa Hispania ad Romanos descisceret. Id non tam facilè consequuti essent Scipiones, si ex præceptis & consiliis Machiauelli de obsidibus statuissent.

ESTI nihil huic benignitati addi potuisse videatur, patrem tamen & patruum ea virtute vicit Africanus Scipio. Is post vtriusque mortem in Hispaniam cũ imperio missus, Carthaginem nouam (veteris Carthaginis coloniam) oppugnare magno animo aggressus, tamdem scalis & corona cepit. Ibi præda ingens omnis generis fuit: atq. extra alia nobilium Hispaniæ regum ac populorũ obsides, quos in ea vrbe Carthaginienses custodiri iubebant: pignus fidei earum ciuitatum quas post mortem Scipionum Romanis abstulerant. Sed capta à Romanis vrbe, eorum perinde acsi sociorum liberi essent, cura habita: mox pro concione vocatos Scipio, bonum animum habere iussit. venisse eos in populi R. potestatem, qui beneficio quàm metu obligare homines malit: exteráſq. gentes fide ac societate iunctas habere, quàm tristi subiectas seruitio. Deinde acceptis nominibus ciuitatum, recensuit captiuos, quot cuiusq. populi essent: & nuncios domum misit, vt ad suos quisque recipiendos veniret. si quarum forte ciuitatum legati aderant, eis præsentibus suos restituit. ceterorum curam benignè tuendorum C. Flaminio quæstori attribuit. Inter captiuos adducta est ad eum à militibus adulta virgo, adeo eximia forma, vt quacumq. incedebat, cõuerteret omnium oculos. Scipio percunctatus patriam parentéſq. in-

Liuius Annal. lib. 26.

ter cetera accepit, desponsatam eam principi Celtiberorum adolescēti, cui Allucio nomen erat. Extēplo igitur parentib. sponsóq. ab domo accitis, quum interim audiret deperire eũ sponsæ amore: vbi primùm venit, accuratiore eum sermone quàm parentes alloquitur: Iuuenis (inquit) iuuenẽ appello, quo minus sit inter nos huius sermonis verecundia. Ego quum spõsa tua capta à militibus nostris ad me deducta esset, audirémq. eam tibi cordi esse, & forma faceret fidem: quia ipse, si frui liceret ludo ætatis, præsertim recto & legitimo amore, & non respub. nostrum animum occupasset: veniã mihi dari sponsam impensius amanti vellem: tuo cuius possum amori faueo. Fuit spõsa tua apud me eadẽ qua apud soceros tuos parentésq. suos, verecundia: seruata tibi est, vt inuiolatum dignum me téq. dari tibi donum posset. Hãc mercedem vnã pro eo munere paciscor: amicus populo Rom. sis: & si me virum bonum credis esse, quales patrem patruúmq. meum iam antè hæ gentes norant: scias multos nostri similes in ciuitate Romana esse: nec vllum in terris populum hodie dici posse, quem minus tibi hostem tuísq. esse velis, aut amicum malis. Quum adolescẽs simul pudore gaudióq. perfusus, dextrã Scipionis tenẽs, deos omnes inuocaret ad gratiam illi pro se referendam, quoniam sibi nequaquam satis facultatis pro suo animo, atq. illius erga se merito, esset: parentes inde cognatíq. virginis appellati. Qui, quoniam gratis sibi redderetur virgo, ad quam redimendam satis magnum attulissent auri pondus: orare Scipionem, vt id ab se donum acciperet, cœperunt: haud minorem eius rei apud se gratiam futuram affirmantes, quàm

quàm redditæ inuiolatæ foret virginis. Scipio,quãdo tantopere peterent,accepturum se pollicitus,poni ante pedes iussit: vocatóq. ad se Allucio, Super dotem,inquit,quam accepturus à socero es, hæc tibi à me dotalia dona accedent. aurúmq. tollere ac sibi habere iussit. His lætus donis honoribúsq. dimissus domum, impleuit populares laudibus & meritis Scipionis. Venisse diis simillimũ iũuenem, vincentem omnia cùm armis tum benignitate ac beneficiis. Itaque delectu clientum habito, cum delectis CIↃ. & CCCC. equitibus intra paucos dies ad Scipionem reuertit. Paullo pòst aliorum etiam necessarij quum ad Scipionem venissent,iis etiã suos restituit, fide ab iis accepta amicos fore populi R. Mandonij quoque vxorem, qui frater Indibilis Ilergetum reguli erat, suis reddidit. quæ caussa Indibili & Mandonio fuit, haud dubiè omnis Hispaniæ principibus, vt cũ omni popularium manu ad Scipionem,relicto Asdrubale, transirẽt. Fortè etiã quũ inter captiuos puer adultus, Masiua nomine, regij generis esset,cui auũculus Masanissa Numidiæ rex, eũ annulo aureo, cultu magnifico, & equo ornato, donatum, & iussis prosequi quoad vellet equitibus, ad auunculum dimisit. Ea res Masanissæ animum Scipioni & Romanis adiunxit. itaque ad eos transgressus,ex eo tẽpore constantissimæ ad vltimam senectã fidei, & Scipionẽ ad vincẽdos Carthaginienses, & rem Rom. forti fidelíq. opera semper adiuuit. Hispani quoq. quibus obsides sine pretio reddiderat, eo omni bello egregiam illi populóq. R. operam nauarunt. Deniq. clementia & benignitate Scipionis factum est, vt omnia ingentia eius

conata plana & facilia essent. Sed geminatæ in eodem hoste clementiæ exemplum illustre hoc loco prætermittendum non est. Mandonium & Indibilem regulos, quibus paullò antè obsides reddiderat, mors Scipionis falsò credita ad concitandos populares exciuit. Sed postquam Scipionem viuere allatum est, abiectis belli consiliis, nihil tutius sibi experta fidē & clementia Scipionis rati, ad eum veniunt: & genibus aduoluti errorem fatentur, eam suam esse conditionem testantur, vt seruati bis vni debitam vitam pro eo in perpetuum deuoueant. Scipio multis in eos verbis inuectus, Illos quidem meritò perituros fuisse ipsorum maleficio, ait: victuros suo atq. populi Rom. beneficio. Ceterum se neq. arma iis ademturum: quippe ea pignora timentium rebellionem esse: se libera arma relinquere solutósq. metu animos: neq. se in obsides innoxios, sed in ipsos, si defecerint, sæuiturum: nec ab inermi sed ab armato hoste pœnas expetiturum: vtramque fortunam expertis permittere sese, vtrùm propitios an iratos habere Romanos mallent. His itaque Scipionis exemplis facilè liquet rerum omniū nihil aptius nihil vtilius esse Principi ad opes tuendas ac tenendas quàm Clementiam: qua parare amicitias, imperium propagare, iram Dei atq. inuidiam hominum effugere, & alteri, quod sibi factum velit, facere possit. Atq. hoc ipsum est quod Romulum victis ab se Antemnatibus & Ceninensibus dixisse commemorat Dionysius. Quamuis (inquit) omnia extrema meriti sitis, vt qui amicitiam nostram aspernati bellum malueritis nec honestum nec necessarium, nos tamen multa mouent vt de vobis moderatius consulamus;

Dionys. Halyc. lib. 2.

lamus: in primis respectus indignationis deorum quibus inuisa est omnis superbia, deinde metus hominum inuidiæ:& quòd misericordiam in tot mortalium miseriis vtilissimam esse credimus: quam & ipsi vellemus aduerso tempore nostro impetratam ab aliis. Itaque hoc peccatum vobis benignè condonamus,neq.vos agris aut aliis bonis multamus.

SENATVS quidem Rom. misericordiæ meminisse consueuerat, etiam aduersus eos qui sępius rebellarent. Ligures(quos nunc Genuenses vocamus) sępius in deditionem accepti à Romanis,bellum sępe renouabant. Quum ergo à M. Popillio consule prœlio victi essent,dediderunt sese,nihil quidem illi pacti: sperauerant tamen non atrocius quàm superiores imperatores consulem in se sæuiturum. At ille arma omnibus ademit, oppidum diruit, ipsos bonáq.eorum vendidit,literásq.senatui de rebus ab se gestis misit. Quas quum pretor in curia recitasset, atrox res visa senatui, deditos in fidẽ populi Rom. vltimæ crudelitatis exemplo laceratos ac deletos esse: tot millia capitum innoxiorum, fidem implorantia populi Rom. nequis vmquam postea se dedere auderet, pessimo exemplo venisse,& distractos passim, iustis quondam hostibus populi Rom. pacatis seruire. Quas ob res s.c.factum est, placere senatui M.Popillium consulem Ligures pretio emtoribus reddito, ipsos restituere in libertatem,bonáq. vt iis,quidquid eius recuperari possit,reddantur curare: arma primo quoque tempore fieri in ea gente: consulem de prouincia decedere, quum deditos in sedem suam Ligures restituisset: claram victoriam vincendo pugnantes,non sæuiẽdo in afflictos, fieri.

Liu. Annal. lib.42.

Liu. Annal. lib. 5.

CAMILLVS, cui bellum in Faliscos mādatum erat, vrbem eorum obsidebat. Mos erat Faliscis eodem magistro liberorum & comite vti: simúlq. plures pueri vnius curæ demandabantur. Is, quum in pace instituisset pueros ante vrbem lusus exercendíque caussa producere, nihil eo more per belli tempus intermisso, vbi res dedit progressus inter stationes eos hostiū castráq. inde Romana in prætorium ad Camillū perduxit. ibi scelesto facinori scelestiorem sermonem addit, Falerios se in manus Romanis tradidisse: quando eos pueros, quorum pàrentes capita ibi rerum sint, in potestatem dediderit. Quæ vbi Camillus audiuit, Non ad similem, inquit, tui nec populum nec imperatorem scelestus ipse cum scelesto munere venisti: nobis cum Faliscis, quę pacto fit humano, societas nō est: quā ingenerauit natura, vtrisque est éritq. sunt & belli sicut pacis iura: iustéq. ea non minus quàm fortiter didicimus gerere. Arma habemus non aduersus eam ætatem, cui etiam captis vrbibus parcitur, sed aduersus armatos, & ipsos qui nec læsi nec lacessiti à nobis castra Romana ad Veios oppugnarunt. eos tu quantum in te fuit nouo scelere vicisti: ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, sicut Veios, vincam. Denudatum deinde eum, manibus post tergum illigatis, reducendum Falerios pueris tradidit: virgásque eis, quibus proditorem in vrbem agerent verberantes, dedit. Ad quod spectaculum concursu populi primùm facto, deinde à magistratibus de re noua vocato senatu, tanta mutatio animis est iniecta, vt qui modò efferati odio iráq; in Romanos ferrentur, apud eos pacem vniuersa posceret ciuitas. Fides Romana, iustitia

ſtitia Imperatoris, in foro & curia celebrantur. Conſenſúq; omnium legati ad Camillum in caſtra, atq. inde permiſſu Camilli Romam ad ſenatum qui dederent Falerios, proficiſcuntur. Introducti in ſenatũ ita loquuti feruntur: Patres conſcripti, victoria, cui " nec deus nec homo quiſquam inuideat, victi à vobis " & imperatore veſtro, dedimus nos vobis: rati, quo nihil victori pulchrius eſt, melius nos ſub imperio veſtro quàm legibus noſtris victuros. Euentu huius belli duo ſalutaria exempla prodita humano generi ſunt. vos fidem in bello quàm præſentem victoriam maluiſtis: nos fide prouocati, victoriam vltro detulimus. Sub ditione veſtra ſumus: nec vos fidei noſtræ, nec nos imperij veſtri, pænitebit. Camillo & ab hoſtib. & à ciuib. gratiæ actæ. Ipſe cum exercitu, ad triumphũ multo iuſtius clemẽtia partũ, quàm ſi armis viciſſet, inſignis iuſtitia fidéq. in vrbẽ rediit.

TEMPVS maturius me quàm res deſereret, ſi vellem huc coniicere quæcumq. exempla in hanc ſententiam hiſtoriæ ſuppeditant. Itaque illuſtriſsima quæque attigiſſe ſufficiet: neque in re per ſe ſatis perſpicua diutius hærere neceſſe eſt.

XXIII. THEOREMA.

Princeps ingenium verſatile & arte vſuq. factum in ſæuitiam & perfidiam habere debet, vt reipſa talem ſe præſtet quoties expedierit.

Cap. 18. de Principe.

FIDELEM, humanum, misericordem, liberalem (inquit Machiauellus) videri & reipsa quoque esse bonum est, siqua ex eo consequetur vtilitas. Sed Principi ingenium flexibile & consuetudine exercitum esse decet, vt contrarias partes agere sciat, si res postulabit. Sæpius enim necessitas exigit vt perfidum, sæuum, immitem, & parcum, se præbeat.

HABITVM Philosophi definiunt, facilem illã & promptam aptitudinem ad aliquid agendum quam homines frequenti exercitatione & multo vsu in quaque arte sibi comparant. Sic sutor vestiarius crebro vsu secandi & suendi habitum tandem & artem vestium conficiẽdarum sibi acquirit. Sic sagittariis sæpe arcu tẽdendo & collimando, petitę aliquando iaculari & scopum attingere in consuetudinem atque in habitum vertit. Eodem modo cæteris in actionibus atq. artibus, quilibet assiduè studium aliquod meditando atq. exercendo eius tamdem facilem industriam ac scientiam consequitur. Ita Principem vult Machiauellus non tantùm crudelem aliquando esse, perfidum, & illiberalem: sed frequenti actione & vsu perfidiæ, sæuitiæ, &c. parare sibi habitum, vt tam egregias artes, quoties expedierit, habere in promtu & dextrè obire possit. Nisi enim ea quotidie meditando facilia & familiaria sibi reddiderit, ea, quorum vsu non callet, expeditè peragere, quum necesse fuerit,

rit,nō poterit: ſicuti qui fiſtulam ferream aut quæcumque arma bis térve tantùm tractauit,iis, ſi opus fuerit, peritè ac concinnè vti non poteſt. Quippe (vt inquit Ariſtoteles) vna actio habitum non facit, ſicuti neq. vna hirundo propinqui veris fidē facere ſolet. Verùm ánnon (obſecro) erudiendo Principi egregiè comparata eſt hæc doctrina? Certè, ſiquid dæmonibus diſcere libeat, vix quidquam reperiri poſsit aptius. Quum enim natura nō niſi in malum vitiúmque ferantur,fortè haud abſurdum ſit vt Machiauellum aliquem habeant (ſicuti fors & habent) nequitiæ doctorem. Iſtius quidem artis (ſi ars ea vocanda eſt) hoc vnum præceptum eſt, quo iubet vt crudelitas, perfidia, illiberalitas, & eiuſdem generis virtutes, Principis animum inſideant: non vt ſimplices tantùm qualitates, ſed tamquam perfecti & adulti iam habitus.Mihi verò in dogmate hoc refellendo hîc morari non libet:quum de ſæuitia perfidiáq. antè agens,quātum Principem iſta dedeceāt ſatis multis verbis demonſtrauerim:de Illiberalitate quoque alio loco dicturus.Rogo tamen omnes atq. obteſtor, qui pietatis virtutíſque amorem animo nō eiecerunt,vt vel hinc tam nefariam doctrinam exſecrari velint. Quis enim Arabs,Scytha, aut Turca,in extrema barbaria natus, fœdius aut immanius aliquid in mores humanos inuehere poſsit, quàm hic perſuadere nititur: videlicet vt Principes vitiis aſſueſcendo nequitiæ habitum colligant?Deinde hinc quoque diſcamus non temerè quibuſuis credere,ſed ſpiritus & ingenia probemus. Si Machiauellus antè cognitus eſſet,qualem hiſce commentationibus patefactum iri confido, non tantum detrimenti attu-

lisset. Postremò Deo etiam gratias agamus, quòd non passus sit animos nostros tam pestiferæ doctrinæ contagione infici, vt in opiniones prodigiosas & ab omni pietate ac ratione abhorrentes prolaberemur. Nam sicuti Thucydides mancipia opinionum absurdarum eos vocat qui noxiis consiliis potius quàm sanis parent, quemadmodum sæpe Athenienses: ita ego duplo immò centuplo miseriorem credo esse eorum seruitutem, qui se peruersæ & impiæ Mathiauelli doctrinæ discipulos & obnoxios tradunt.

XXIIII. THEOREMA.

Princeps pacem cum finitimo pactam & iureiurando firmatam violare cupiens, amico eius & socio arma inferre debet.

Comm. lib. 2. cap. 9.

SI Princeps (inquit Machiauellus) amicitiam cum finitimo certis legibus iunxerit, easq. diu firmas & seruatas directè violare & hostilia arma inferre in eum vereatur: speciosum prætextum assumere, & eius sociū bello aggredi, debet. Quippe ita futurum, vt ille amici & fœderati periculum ad se pertinere existimans, eum defendere ac protegere

æquum

æquum cenſeat. Hac arte fiet vt ille prior bellum incepiſſe ac fœdus rupiſſe videatur.

CONSTARE ſibi voluit Machiauellus, ne à ſe ipſe diſsideret. Antea docuerat velandæ perfidiæ ſatis multa ſpecioſa nomina reperiri à Principe poſſe: nunc eius rei legem & regulam aliquam tradit: Nimirum vt Princeps fœderi frangendo ſpeciem honeſtam & cauſſam quærens, amicum eius cum quo fœdus icerat, bello adoriatur. Nos verò antè aduerſus eiuſcemodi ſpecioſos & callidos prætextus copioſè diſſeruimus, eóſq. ſuis autoribus pernicioſos ferè eſſe, pluribus exemplis docuimus. Aſtutiæ quidem certè tales ac verſutæ ambages non Principe modò ingenuo, ſed quouis etiam homine, indignæ ſunt: nec leuiorem pœnam irrogant leges ei qui per dolum quàm qui per vim alteri nocuit.

ROMANOS veteres ex more & forma quam in ſanciendo cum finitimis populis fœdere ſeruabant, ſatis conſtat ab iſtis Machiauelli præceptis alieniſſimos fuiſſe. Nam Paterpatratus (is pacis arbiter & ſtipulator, ad iuſiurandum patrandum, id eſt ſanciendum, fiebat) fœderis legibus vtrimq. acceptis & recitatis, clara voce hæc effatus: Vter, inquiebat, prius populus illis legibus defecerit, tũ illum Dieſpiter ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tantóque magis ferito, quanto magis potes polléſq. Id vbi dixerat, porcum ſaxo ſilice percutiebat. In ſumma tectam & inſidioſam pacis violationẽ non minus exſecrabantur, quàm ſi bello aperto fieret. Quippe certum habebant, omnes redintegrati belli

Liu. Annal. lib. 1.

clades in eos experi à quibus pacis fides rupta erat. Sed quia de his abundè antè disserui, ad sequentia propero.

XXV. THEOREMA.

Princeps ad temporis auram & varios fortunæ casus animum circumagere debet, vt vitio quoque sciat vti, si res postulet.

Cap 18.&25. de Principe. BONVM (inquit Machiauellus) neque semper vtile neque tempestiuũ est: ac sæpe Princeps qui eo vti volet, exitium suũ lacesset. Quippe aliquando tempora incidunt, quibus necessariò malo & vitio vtendum est. Itaque prudenti Principi accuratè temporis aura ac fortunæ varietas obseruanda est: tum scire vitio vti suo commodo atq. emolumento debet, quum tempus postulat. Nam fortunæ inconstantia momenta temporum virtuti adeo aduersa obiicit, vt si eam vsquequaque colere volet, breui corruat.

METVS suberat ne Princeps virtute imbutus, Machiauello lecto, assensum suspenderet, iudicarétque ab se alienum, virtute exuta, vitium asciscere. Idcirco Michiauellus nodum hunc soluit: docet Principi haud indeco-

decorum esse, virtutem vitio mutare. Atque vt illi animum ad eam rem faciat, monet sæpe incidere eiuscemodi tempora & casus vt Principi necessariũ sit scire vti vitio, vt fortunæ, quæ sæpe virtuti aduersa est, seruiat. Verùm quis tam ingenio hebes est, cui non id perspicuum sit, duo impia prorsus hac doctrina contineri? Vnum, Principi necessarium esse ad tuendum suum statum vt vitio vtatur: alterum, vt leuitatem inconstantiámq. in moribus probet, & sine vlla dubitatione virtutem vitio mutet. De primo copiosè antè diximus, ac docuimus egregios Principes & virtutis studiosos perpetuo tenore felicitatis egisse: improbos contrà & in flagitia prouolutos infaustis casibus obnoxium & fœdum principatum deformi exitu clausisse. De altero, Inconstantia videlicet, paucis hoc loco disseremus.

Constantia omniũ virtutum comes.

In primis igitur statuo, Cõstãtiam, qualitatem esse ceteris virtutibus adeo artè implexam atque adhærentem, vt eiusdem generis ac naturę meritò censeri posit. Itaque vulgò Iustitiam definiunt, cõstantem voluntatem suum vnicuique tribuendi. Nec minus Temperantia definiri potest, constans rerum omnium vtendarum ac fruendarum modus. Prudentia itidem, constãs & sollers in omnib. rebus prouidentia. & ad eum modum ceteræ virtutes. Quamobrem, quum omnium virtutum veluti cognata & consanguinea Constantia sit, Inconstantem hominem omnium virtutum exsortem esse necesse est: quando virtus sine constantia esse non potest. Atq. hoc Machiauellus ipse, quantumuis bliteus homo, vidit. quũ enim Principes & ceteros sectatores suos ad summum nequitiæ & mali fastigium veluti per

gradus prouehere vellet (quemadmodum philosophi sua doctrina ad summum bonum eniti & porrò agere homines conantur) facilè intellexit id se assequi non posse, nisi Inconstantiæ fundamentum substerneret. Inconstantem enim hominem & ad omnem leuitatem paratum vitiis omnibus abundare, virtute vacuum esse, necesse est. quia, quum virtutes secum ipsæ concordent, in eas nulla leuitas, nulla temeritas, cadere potest: sed vitiis mutatio & inconstantia potest accidere, quum in extremis ferè locata multùm à se inuicem dissideant. Verbi gratia, Prodigalitas & auaritia, temeritas & ignauia, ignorantia & malitiosa calliditas, sæuitia & dissoluta lenitas, ambitio & supina bonæ famæ neglectio, vitia inter se cõtraria sunt. Itaque Incõstantia in vitiis hospitium in quo stabulet facilè nanciscitur, ex alio in aliud commigrando: inter virtutes haud perinde serpere potest, quæ constantiæ ita sunt συγγενεῖς, vt ne virtutes quidẽ sine ea esse posſint. Quare quum Machiauellus Principem vetat pudere incõstantiæ, docétq. cum fortuna & temporum casibus mutabilem animum gerere, callem sanè reperit quo eum in summum nequitiæ iugum atque arcem educat. Nam simulac Princeps in omneis sese formas vertere instar Protei, & impar sibi neque in dictis constantiam neque in factis æqualitatem vllam seruare assueuerit, vitiis omnib. mancipatus, pro insanabili ac deplorato habendus est. Neque à tali Principe, inconstanti, vario, cuius neque dictorum fides constans, neque mores neque imperia certa sunt, quidquam nisi malum, dedecus, omnia in exitium præcipitia, exspectes.

SCIPIONIS Africani imperatoris clarissimi mihi potius exemplum intueātur Principes, memorabilémq. illius vocem insigant animis, Victos fortunæ non cedendo vincere. Sed quia eius sententiæ latissimè patet vtilitas, caussam cur eam ediderit, paucis exsequar. Quum duo summi imperatores Scipiones intra dies x x x. in Hispania cecidissent, qui in locum duorū succederet, extraordinaria cura deligendus erat. Quum ergo proconsuli in Hispaniam creando diem comitiis Consules edixissent: mæsta ciuitas, propè inops consilij, comitiorum die in campum descendit. Ibi in magistratus, & eos qui se tanto imperio dignos crederēt, versi, circumspectant ora principum aliorum alios intuentium, nec nomina profitentium: ac fremunt res adeo perditas desperatúmque de Republ. esse, vt nemo audeat in Hispaniam imperium accipere. Quum subitò P. Cornelius, illius qui in Hispania ceciderat filius, quatuor & viginti fermè annos natus, professus se petere, in superiore vnde conspici posset loco constitit. In quem postquam omnium ora versa sunt, clamore ac fauore ominati extemplo sunt felix faustúmque imperium. iussi deinde inire suffragium ad vnum omnes P. Scipioni imperium esse in Hispaniam iusserunt. Ceterum post rem actam, vt iam resederat impetus animorum ardórq. silentium subitò ortum, & tacita cogitatio, quídnam egissent noui. quòd fauor plus valuisset quàm ratio ætatis, maximè pænitebat. quidam fortunam etiam domus horrebant, noménq. ex funestis duabus familiis, in eas prouincias, vbi inter sepulcra patris patruíque res gerendæ essent, proficiscentis. Quam

Liu. Annal. lib. 26.

vbi ab re tanto impetu acta sollicitudinem curámq. hominum animaduertit, aduocata concione, ita de ætate sua, imperióq. mandato, & bello quod gerendum esset, magno elatóque animo disseruit: vt ardorem eum qui resederat rursus excitaret: & impleret homines certioris spei, quàm quantā fides promissi humani aut ratio ex fiducia rerum subiicere solet. Ipse ad exercitum profectus, alloquēdos maximè veteres milites ratus, qui tantis cladibus superfuerant, gratias illis egit, primùm quòd ea pietate erga patrem patruúmque suum viuos ac mortuos fuissent. Deinde quòd amissam tanta clade prouinciæ possessionem, integram & populo Rom. & successori sibi virtute obtinuissent, labantémq. fortunam Reip. Rom. sustinuissent. Sed id deinceps parandū non vt ipsi in Hispania manerent, sed ne manerent Pœni. Mihi quidem (inquit) vt familiaris pe- » nè orbitas ac solitudo frangit animum: ita publica » cùm fortuna tum virtus desperare de summa rerum prohibet, eo fato quo donata nobis sors est, vt magnis omnibus bellis victi vicerimus.

Liu. Annal. lib. 37.

IDEM Scipio Asiatico bello, quum Zeuxidi & Antipatro, qui ad pacem petendam oratores ab Antiocho missi erant, responsum daret, graui & prudenti oratione Romanā in vtraq. fortuna constantiā

Constantia nec aduersis nec prosperis rebus frangitur.

asseruit: Romani (ait) eosdem animos in omni fortuna gessimus gerimúsq. neq. eos secūdæ res extulerunt, nec minuerūt aduersæ. Eius rei (vt alios omittam) Annibalem vestrum vobis darem testem, nisi vos ipsos dare possem. Priusquam aciem videremus, quum communis Mars & incertus belli euētus esset, de pace vobis agentibus, quas pares paribus ferebamus

mus cõditiones, easdẽ nunc victores victis ferimus. En Romanos in virtute & bono constantes, quos neque aduersæ res neque secundæ mutarent. Quippe à Machiauelli institutis plurimum abhorrebant: neq. Scipionem, aut alium quemquam ex veteribus Romanis, eo animo fuisse accepimus vt nulli proposito adhærere, & ad omnes fortunæ nutus circumagi, vellet. Huius moris siue artis disciplinã sibi habeant ac profiteantur Machiauellitæ, minimè Romani ingenij homines: qui meretricibus similes, neminem & omnes amantibus, ancipiti semper ambiguóq. animo trochi in morem huc & illuc feruntur.

Rex νόμος ἔμψυχος.

VULGO dici solet Regem subditorum viuam esse legem, ac Principem populi exẽplar esse oportere. Atqui nónne ridiculum esset legẽ, quæ constans & inuiolata manere debet, mutabilem & fluxam esse dicere? Ita Princeps omnium constantissimus esse debet, vt reipsa se veram ac viuam populi legem esse doceat, in cuius velut vnici exẽpli mores, subditi seipsos forment. Quare Principem minimè aut bilinguem aut in promissis inconstãtem esse decet, sed excelso & generoso animo, virtutis & publici boni studiosum: quem neq. res prosperæ flatu suo efferant, neq. aduersæ infringant, aut efficiant vt à recto virtutis cursu deflectat. Deinde ita maiestatem & magnitudinem summæ fortunæ retinere, vt grauitatem populari quadam & moderata comitate temperet. In omni actione sibi ipsi parem ac sui vbique similem, comiter probos reipublicæq. vtiles viros excipere: impuros, adulatores, mendaces, & similes, pariter reiicere. Postremò, constantem esse oportet in probis amicis ac fidis ministris

Constantia Principis quibus in rebus potissimùm exercenda sit.

retinendis, vt neque temerè neque leui de caussâ sinistram de ipsis opinionem concipiat: & perpetuò sanis consiliis parêre, suísque affectibus sapienter moderari. Eiuscemodi fuerunt Romani principes, Augustus Cæsar, Vespasianus, Traianus, Adrianus, Antonini duo; Alexander Seuerus, Constantinus Magnus, Theodosius, & eorum similes. Tales fuere priscis temporibus, Darius rex Persarum & Medorum, qui Assyriorum monarchiam euertit, Cyrus, & Alexander Magnus. Neq. ab his multùm abhorrentes veteres Galliæ reges, Clodoueus I. Carolus Magnus, Ludouicus cognomentò Diuus, Philippus Augustus, Carolus Sapiens, Carolus septimus, Ludouicus duodecimus, Populi pater, Franciscus I. literarũ instaurator, Henricus II, & alij item aliquot. Hos hos sibi ad imitandum proponat Princeps, nõ homines nihili, indignos qui in Principum numerum referantur: cuiusmodi fuere, Agathocles, figulo patre ortus, qui Siciliæ tyrannidem inuasit: Oliuarius Firmanus, gregarius miles, sæuitia magis quàm vlla re alia insignis, qui cognatos & amicos per insidias trucidauit vt patriæ principatum raperet: Cæsar Borgia, Papæ spurius, perfidia, crudelitate, inconstantia & aliis vitiis, illustris, regiarũ artium & virtutũ prorsus expers: Digni scilicet homines in quos Machiau. tamquam in exemplaria vnica, Principẽ intueri iubeat. Sed à Principe subditos tranquillo ac pacato imperio sine constantia regi non posse, vel bestiæ ipsæ documento sunt. Reges apum constanter in aluearíis resident, vt examina in officio & opere contineant:

-non illis quisquam cunctantibus altum

Ire

Ire iter, aut castris audebit vellere signa:
inquit Poeta. Itaque si qui fortè reges incerti & instabiles extra fauos euolent, omnia turbis ac temerario tumultu permiscent. Nam simulac rex apum sese commouit, tota gens exemplum illius sequuta, relictis operibus, vagatur: ac sæpe rex ille vagus & inconstans, inconsulta temeritate præcipitans in stagna aut paludes, semetipsum cum toto exercitu perdit. Quare vel ex ipsis animalculis discant Principes & ceteri nihil sibi magis necessarium esse constantia: & ab ea si discesserint, fieri non posse quin cæca & temeraria leuitate alios, & primùm seipsos, pessumdent.

VIRI quidem boni hæc est dos vel maxima: cuius etiam præclarũ hoc ellogium exstat apud Euripidẽ, Etiamsi cælum mutet, mores non mutare: neque in rebus secundis aut aduersis ingenio alio atq. alio vti. Sic enim ille:

Non mirum est, si terra quidem mala Eurip. in Hecuba.
Nacta bonum cælum diuinitus bonam segetem fert:
Bona verò, frustrata iis quæ conueniebat consequi,
Malum præbet fructũ. Inter homines verò semper
Malus nihil aliud quàm malus,
Bonus autem bonus: neque præ calamitate
Ingenium perdit, sed bonus est semper.

NEQ. profectò Machiauellitarum ars, ingenij subinde ad omnes rerum conuersiones casúsq. mutandi, magis viris bonis ac fortibus, qui insitæ animo ingenuitatis obliuisci nequeunt, probari potest, quàm versus illi malè tornati, quos Machiauellitæ perpetuò in ore habent:

Quum fueris Romæ Romano viuito more,

Quum fueris alibi, viuito sicut ibi.

Quippe versatili morum inæqualitate vti, & quamlibet formam habitúmque induere, Chamæleontem imitari est, qui ad colorẽ loci in quo est sese accommodat: aut Polypum, qui cuicumque petræ adhæserit, eius colorem corpore imitatur. Quod parum bonis viris conuenit, qui constantes in bono esse debent, nec à recto proposito demoueri, etiãsi vel cælum ipsum rueret. Itaque Horatius constantem virum his versibus politissimè depinxit:

Hor. Car. 3. od. 3.

Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solida: neq. Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

XXVI. THEOREMA.

Illiberalitas laudabilis in Principe est, & sordidi existimatio dedecus est absq. maleuolentia.

Cap. 8. & 16. de Principe.

Si Princeps (inquit Machiauellus) munificentia vti volet, breui dando egebit, & ad inopiam lapsus omnibus contemtui erit. Si verò conabitur subditis expilandis egestatem suam

ſuam explere, odia eorum in ſe concitabit, ac Tyranni nomen perniciémq. ſibi arceſſet. Sin contrà parcus extiterit, & ſuppetent illi copiæ vnde publicis neceſsitatibus, ſiquæ oriantur, ſubueniat: & laudem ex eo conſequetur. Nam ſiqua fortè illiberalitatis infamia aſpergatur, nihil tamen inde periculi ipſi timendum eſt, quando ita viuat vt nihil per vim à ſubditis auferre ei neceſſe ſit. Principi quidem licet ex alieno, vt ex belli manubiis, largiri, quemadmodum Cyrus, Alexander, Cæſar, ſolebant: ſed de re ſua parcè & moderatè impertietur. Nihil enim eſt quod ſe magis exhauriat quàm largitio; qua quo in plures vſus ſis, eo minus in multos vti poſsis. Nec magnas res noſtra ætate ab vllis geri vidimus, præter quàm ab iis qui parſimoniæ famam obtinerent: ceteri in nihilum dilapſi ſunt. Iulius Papa munificus fuit donec ad Pontificatum aſcenderet: ſed vbi eò peruenit, liberalitati valedixit vt bellum aduerſus Ludouicum XII. Galliæ regẽ gerere poſſet. ſicuti fecit. Rex quoque Hiſpaniarum (Ferdinandum auum maternum Caroli V. Cæſaris ſignificat) numquam tot incepta feliciter ad exitum perduxiſſet, ſi famam liberalitatsi affectaſſet.

AVLICIS omnibus, siue illi Machiauellicæ nationis seu cuiuslibet alterius sint, parum probari hoc dogma non dubito. quippe illi Principem non modò liberalem sed prodigum quoque esse malunt, quàm parcum aut auarum. Sed quũ sicut in Principe tenacitas & auaritia turpis est, ita indecora quoque sit profusa largitio, medium iter capessere honestè poterit: nimirum vt munificè meritis & officiis in se collatis gratiam referat, sitq. in viros bonos, & Reipubl. caussa, liberalis. Ea enim demũ verè Liberalitas est, quum pecuniarũ munerúmve largitio & beneficentia in honestos vsus confertur. Sed vt doceamus quomodo Princeps ea rectè vti debeat, prius de Auaritia & Prodigalitate, quæ vtrimque æqualiter à medio absunt, agemus.

Illiberalitas & Profusio, perniciosæ: Liberalitas, laudabilis.

QVOD ad Auaritiã & tenacitatem attinet, quam Machiauellus honestam in Principe esse asseuerat, nihil est quod eum in maiorem omnium contẽtum adducat. Nam cùm in aliis omnibus odiosa est, quia sordida est & illiberalis, tũ maximè in Principibus, quos, quo ampliore & opulentiore fortuna vtuntur quàm ceteri homines, & liberaliores & ab auaritia remotiores esse decet. Galba inter bonos & prudentes Principes numerari poterat, nisi auaris & rapacibus libertis se regendũ abutendúmq. permisisset, & ipse nimiùm parcus erga milites eo vitio virtutes omnes fœdasset. Ergo illum nimia parsimonia, & ministrorum eius rapinæ, odio & contemtu destruxerunt, tantámq. ei militum inuidiam conciuerunt, vt ab ipsis iugularetur. Pertinax omnes ante & post se Principes sapientia, moderatione & omni virtutum genere, æquauit: ita vt meritò Populi pater dici posset,

Tenacitas & Auaritia Principi exitiosæ.

Tac. Annal. lib. 17. Dion in Galba.

Dion & Capitol. in Pertinace.

posset, adeò publicis vtilitatibus cõsulere studebat. Quum tamen parcior esset, à militibus spretus & interfectus est. Mauricius Imper. cetera egregius Princeps, eo vitio adeo laborauit vt nulli rei magis quàm cumulandis thesauris operam daret: deinde adeo tenax, vt stipẽdia rara aut nulla militibus penderet. vnde in omnium odium atq. infamiam incurrit. Itaque pecuniarum quas collegerat cupido Phocam ipsius legatum (timidum & ignauum hominem, sed auarum) ad necem eius & Imperium inuadendum impulit. Sed ille Mauricij cæde non edoctus, tenacius etiam eo aurum seruans, inexplebili rapacitate pecunias vndique corradere perrexit. De Imperij & Reipubl. procuratione nihil aut parum sollicitus. Itaque auaritia & ignauia Phocæ propè factum est vt Imperij status & nomen deleretur. Illo enim imperante, Germania, Gallia, Hispania, bona pars Italiæ, Pannoniæ, Mœsia, & magna pars Africæ: in Oriente Armenia, Arabia, Macedonia, Thracia, Assyria, Mesopotamia, AEgyptus, multęque aliæ prouinciæ, partim à Romano Imperio defecerunt, partim à Persis alijsq. barbaris Principibus occupatæ sunt. Earum calamitatum & ruinæ totius propè Imperij caussam cui rei verius quàm auaritiæ Phocæ asignemus? Pomp. Lætus in Mauricio & Phoca.

PERSEVS verò Macedoniæ rex non aliqua tantùm Imperij parte ob auaritiam multatus est vt Phocas, sed regnum penitus etiam amisit. Quum enim bellum in Romanos pararet, magnam pecuniæ vim collegerat: sed mox quum ei impensa facienda fuit ad societates parandas, in animum inducere non potuit vt quemquam sibi adiungeret. Miserat Liu. Annal. lib. 44.

in Gallos Bastarnas ad arcessenda auxilia: & illi diu solicitati ab suis sedib. per Illyricum sese effuderant. Veniebant decem millia peditum, par numerus equitum, pacti eques denos præsentes aureos, pedes quinos, mille dux eorum. Sed vbi ad pecuniæ mentionem ventum est, ibi hæsitās, & auri melior quàm regni custos, institit de perfidia & feritate Gallorum differere. Multorum iam antè cladibus expertum, periculosum esse tantam multitudinem in Macedoniam accipere, ne grauiores eos socios haberent, quàm hostes Romanos. Quinque millia equitum sat esse, quibus & vti ad bellum possent, & quorum multitudinem ipsi non timerent. Denique, velut nihil aliud ageret quàm vt quanta maxima posset præda Romanis ex victo reseruaretur, auxilia in vltimum discrimen sibi prorsus necessaria alienare auaritia maluit, quàm thesauros attingere. Itaque Galli indignantes se frustrà excitos sedibus suis, retro ad Istrum perpopulati Thraciam, quà vicina erat viæ, redierunt. Romani verò paulò pòst victo Perseo, eius regno & omni gaza potiti sunt. Hanc Perseus auaritiæ & sordidæ parsimoniæ mercedem tulit.

Ioseph. Antiq. 14. cap. 8. & 13. Plutar. in Crasso.

MARCVS Crassus, (quum in censu haberet millies septingenties quater H.S. (id est, bis & quadragies sexaginta millia aureorum, vt nunc loquimur) Luculli tamē prædam & manubias ex Asia cernens & prouinciæ cupiditate incensus, populum Rom. expugnauit vt Parthicum bellum sibi decerneret. Ergo quæstus maximè gratia contra Parthos expeditionem parans, in Iudæam peruenit, fama diuitiarū templi Hierosolymitani permotus: ac veluti Romani mercatorem aut quæstorem potius in prouin-

ciam

ciam quàm Imperatorem misissent, duo millia talentorum, pecunias pupillorum & viduarum quas Pompeius non attigerat, abstulit: totóque reliquo auro ad octo talentorum millia templum spoliauit. His ita gestis, Mesopotamiam & Parthorum ditionem ingressus, à Surena, Hyrodis Parthorum regis legato, victus prœlio, filiũ amisit. Deinde quum infelicis belli reliquias colligens fuga sibi consulere vellet, eum Parthi adepti interfecerunt: caput eius amputatum, & ad Hyrodem allatum quum fortè tragœdia inter epulas ageretur, ipsi regi & ceteris conuiuis lætum simul & tragicum spectaculum fuit. Is fuit tristis & tragicus Crassi profundæ auaritiæ hominis exitus, qui nefarij sacrilegij & expilati tẽpli Hierosolymitani non minus celeres quàm iustas pœnas luit.

Hæc igitur & similia exempla documento sunt Auaritiam non, vt docet Machiauellus, Principibus vtilem esse, sed in primis pestiferam atq. exitiosam. Extitere fortè pauci aliquot inter multos, quos Auaritia non pessumdedit: in quibus Vespasianum patrẽ numerare possumus. Cuius rei hæc caussa reddi potest, quòd pecuniæ cupiditatem ferè non nisi in procuratores & magistratus rapaces exerceret, & rapinis maléque partis pecuniis optimè vteretur, eásque in Reip. vsus non in libidines consumeret. Ceterum in omne hominum genus, præsertim in doctos viros, liberalissimus: plurimas quoque per totum orbem ciuitates terræmotu aut incendio afflictas, restituit. Itaque, si quod fortè vitium excusari potest, duabus hisce caussis auaritię dedecus deprecari potuit Vespasianus. Primùm enim, etsi vul- Dion. in Vespas. & Suet. in Vespas. cap. 16. 17.

gò furacibus magistratibus pro spongiis diceretur vti, quòd siccos madefaceret vt exprimeret humentes, nihil tamen reprehensione dignū faciebat, quum extorqueret istis prædas, quas è populi fortunis cupidius hauserāt. Rem enim per se bonā meliore exēplo agebat: neque malè nobiscum ageretur, si hodie idem fieret. Probabilior verò etiam altera caussa est, quòd videlicet nō in luxum ac voluptates pecunias profunderet, sed in publicos & necessarios vsus. Nihil enim æquè molestum est subditis, qui tributa conferunt, quàm quum Princeps publicas pecunias inhonestè prodigit: libentiúsq. assem quàm coronatum largiantur, si suos nummos bene collocatos viderint. Ludouicus XI. Vespasiani in eo ferè ingenium & mores imitabatur. Quum enim à populo ingentia tributa, immò triplo grauiora quàm superiores reges solitì essent, exigeret; erogandæ tamen per honesta pecuniæ cupidus, ea non in libidines aut delicias consumebat, sed in Regni ac Reipubl. necessitates: siue pax cum vicinis emenda esset, seu beneficiis ac muneribus deuinciendi peregrini homines, ad eam rem aut ad quælibet alia negotia idonei. Nequaquam in eo Mauricij Cæsaris aut Persei regis similis, qui cumulatos auri & argenti aceruos attingere non audebant. nam (vt scribit Cominæus) quantumcumq. pecuniarum coegerat, tantum erogabat.

Principes igitur qui à populo magnam vim pecuniarum exigunt, excusari aliqua ratione possunt, si eas in Reip. & ceteros honestos vsus impenderint: in primis verò si rapacissimum quemque in prædam corripiant, populiq. ac reip. vulturios spo-

lient

llent, quo parcant ceteris. Sed profusos ac nepotes qui immanibus iacturis & infinitis sumtibus subditorum facultates hauriunt, quis vllo modo excuset? C. Caligula, Tiberio succedens immensam pecuniam in ærario, nempe ad sexagies septies millies mille aureos, & quingenta præterea millia, reperit. Tantam tamen auri vim intra finem anni vertentis effudit. Nec mirum, si quis insanos sumtus reputet in quos tantam pecuniam coniecit. Quippe (vt Suetonius scribit) in exstructionibus prætoriorũ & villarum omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quàm quod posse effici negaretur. Itaque eius iussu iactæ moles infesto ac profundo mari, exscissæ rupes durissimi silicis, cãpi montibus aggere æquati, & complanata fossuris montium iuga: idque incredibili celeritate, quum moræ culpa capite lueretur. Præterea prodigiosis sumtibus omnium prodigorum ingenia superauit: vt commentus nouum Balnearum vsum, portentosissima genera ciborum atque cœnarum, calidis & frigidis vnguentis lauaretur, preciosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet, conuiuis ex auro panes atque obsonia apponeret. Quin & fabricauit de cedris liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnáque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: quibus discumbens de die inter choros ac symphonias, littora Campaniæ peragraret. His ergo immanibus & prodigiosis effusionibus pecuniarum immensas opes totúmque illud Tiberij Cæsaris vicies ac septies millies H.S. non toto vertente anno absumsit. Quare exhau-

Profusio pecuniarum exitiosa Principi.

Suet. in Calig. cap. 37. 38. 40. 41.

ſtus atque egens ad rapinas conuertit animum, vario & exquiſitiſsimo calumniarum, auctionum & vectigalium, genere. Nam pro eduliis quæ tota vrbe venirent, pro litibus atque judiciis vbicumque conceptis, ex gerulorum diurnis quæſtibus, ex capturis proſtitutarum, ex luſu aleæ, vectigalia noua atque inaudita inſtituit. Poſtremò contrectandæ pecuniæ cupidine incenſus, ſuper immenſos aureorum aceruos patētiſsimo diffuſos loco, & nudis pedibus ſpatiatus & toto corpore aliquādiu volutatus eſt. Quibus rebus (præter ſæuitiam ceteráque vitia quibus abundabat) omnium odium meritus, breui occiſus eſt. Neque aliter ſanè aut tot eius flagitiis ſubueniri aut ipſe vllo pacto excuſari poterat, quòd noua tributorum genera excogitans, ſanguine & opibus populi per libidinem ac turpitudinem abuteretur.

Suet. in Nerone. cap. 27. 30. 32. Dion. in Nerone.

NERO quoque auunculi veſtigia cupidè ingreſſus, ingentia tributa exegit à ſuis: teſtamenta eorum qui ſe heredem non reliquiſſent, velut ingratorum in Principem, reſcidit: templis dona detraxit: multiſque aliis rapinis omnes vexauit. Neque honeſtius pecunias collocabat quàm quæſierat. Quum enim diuitiarum fructum non alium putaret quàm profuſionem, nec largiendi nec abſumendi modum tenuit. Prodigioſas epulas inſtruxit: adulatores & ſcurras immēſis donis auxit. Nullam veſtem bis induit. Quadrigenis in punctum II. s. aleam luſit. Piſcatus eſt rete aurato, purpura coccóq. funib. nexis. Numquā carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mulatum argenteis, canuſinatis mulionibus, armillata & phalerata hamaxicorum ac curſorum turba. Sabina Poppæa eius vxor adeo delicatè viue-

bat,

bat, vt mulas quibus agebatur, haberet aureis funibus subligatas, & quingentæ asinæ quæ recenter peperissent, quotidie mulgerentur, vt ipsa earum lacte lauaretur. Deniq. Nero tot modis pecunias trahebat & vexabat, vt tanto impensarum furori nullæ opes sufficerent. Itaq. rapinis & manubiis animum intendens, prouincias tributis exhausit: & rapacitati sæuitiam adiungens (quarum altera sine altera ferè numquam est) omnium odiis in se accensis, miserrimo genere mortis periit, sicuti alio loco diximus.

NEC multo secus Vitellius Imper. qui adeo profundæ & inexplebilis gulæ fuit, vt prodigis epulis nonagies cētena millia aureorum paucissimis mensibus interuerterit. Dion scribit, eum patinam vnam apparasse, in qua, decc. millium aureorum impensa facta, scarorum iocinora, phasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes, commiscuit. Suetonius, cœnam ei à fratre datam, in qua duo millia lectissimorū piscium, septem auium, apposita tradantur. Quare quum luxuriæ & auaritiæ non temperaret, ad prædam sæuitiámq. cōuersus, pollutus & ignauus Princeps turpiter periit, quum annum vnum, decem diebus detractis, imperasset. Dion. in Vitellio Suet. in Vitel. cap. ij.

HVC Domitiani, Commodi, Bassiani, aliorúmque Principum Romanorū exempla coniicere possem, qui diuersis duobus vitiis auaritia & luxuria laborantes, quum altero ad conquirendas pecunias, altero ad profundendas abuterentur, Neronis, Caligulæ, Vitellij, cædibus pares exitus habuerunt. Sed sufficiant quę protulimus, vt ex iis demonstremus, contrà quàm Machiauellus docet, Principem tena-

cem & auarum, præsertim pecuniis abutentem, rebus prosperis & ex voto fluentibus vti non posse. Superest vt doceamus Liberalitatem & gratiam bene collocatam Principi vtilem ac necessariam esse.

Plutar. in Alex.

ALEXANDER Magnus in Asiam traiecturus aduersus Persas, conuocatis amicis & copiarum ducibus, penè vniuersum regium patrimonium ac vectigalia eis benignè largitus est, vt nihil ipsi propemodum superesset. Tum Perdiccas vnus ex purpuratis, Tibi ipsi rex, inquit, quid reliquum fecisti? Cui Alexander, Spes meas, inquit. Ergo nos quoque (ait ille) qui auspicia tua sequimur harum erimus consortes. Repudiantem asignatum sibi diplomate prędium Perdiccam nōnulli alij ex amicis sunt imitati. Ac non minore gratia quàm si ea munera accepissent, Alexandrum ad bellum sequuti sunt, eiúsq. auspiciis Asiam subegere. Itaque beneficentia Alexandro non inutilis fuit.

Liu. Annal. lib. 37.
Plut. in Catone.

ROMANI olim sociis & amicis pro merito cuiusque & gratiam dignam referre eósq. præmiis belli ditare consueuerant. Sic Masanissam, quia in Africa aduersus Syphacem & Carthaginienses fideliter atque impigrè cum ipsis steterat, adiecta opulentissima parte regni Syphacis, præpotentem inter Africæ reges fecerunt. Eumenis quoque regnum, quum ei quæ cis Taurum montem Antiochi finium fuerant attribuissent, amplum & egregium & quater tanto maius quàm antè fuerat, fecerunt. Simili munificentia in Attalum regem Pergami, Hieronem Siciliæ tyrannum, Ptolemæum regem Cypri, & alios plurimos, vsi sunt. Quid igitur ipsis profuit liberalitas? Nempe vt ad eos illorum regnorum ius

& pos-

& possessio deferretur, siue ab ipsis Regibus testamento relinquerentur heredes, seu populi voluntate & suffragiis, seu alia qualibet ratione. Nam beneficentiæ fama, quam Romani consequuti erant, omnium regum ac principum animos inclinabat vt eorum societatem amicitiámq. peterent. Sylla bello Iugurthino Marij quæstor regi Mauritaniæ Boccho persuasit vt cum Romanis amicitiam & fœdus aduersus Iugurtham iungeret: propterea quòd populus Romanus non magis beneficiis quàm armis vinceretur. Sall. in Iugurth.

COTYS Thracum rex, quum se in fide & amicitia populi Rom. mansurum pollicitus, fidei pignus obsides dedisset, Perseum tamen Macedoniæ regem auxiliis iuuit aduersus Romanos. Eo bello quum fortè captus esset filius eius Bitis, legatos Romam misit, pecuniam ad redimendum filium aliósque obsides apportãtes. Eis in senatum introductis & defectioni excusandæ vana quædam prætendentibus, respõsum ex autoritate senatus est: Etsi Cotys Persei gratiam prætulisset amicitiæ populi Rom. magis tamen quid se dignum esset, quàm quid merito eius fieri posset, æstimaturum: filium atque obsides ei remissurum. Beneficia gratuita esse populi Romani: precium eorum malle relinquere in accipientium animis, quàm præsens exigere. Liu. Annal. lib. 45.

AVGVSTVS Cæsar quum bellis ciuilibus multorum in se odia commouisset, incertúsque esset animi vtrùm eos occideret, quorum morte nõ magis securum se esse intelligebat: an eos viuere sineret, à quibus periculum sibi immineret: in tantam dubitationẽ venit vt dies noctésq. curis angeretur. Itaq. Dion. in Augusto.

Liuia eius vxor (proba & ſapiens mulier) ei conſilium dedit, vt inimicos liberalitate & beneficiis vinceret. Ei paruit Auguſtus, & initio facto à Cneo Cornelio, qui Pompeij Magni ex filia nepos erat, cum conſulem deſignauit, ceterorúmq. quos ſuſpectos habebat, lenitate & beneficentia animos adeo molliit, vt ex inimicis amiciſsimos faceret. Sed quia inſignis eſt ea Liuiæ oratio qua Auguſtum dubium animi confirmauit, eius ſummam hîc inſeram: Mirum non eſt (inquit) mi vir, à multis tibi parari inſidias: partim quòd alienum non ſit ab humana conditione: partim quòd in tanto imperio multa facias ex quibus par eſt pleroſque moleſtiam capere. Princeps enim non ſolùm non poteſt omnibus placere, ſed etiam, quantumuis rectè imperet, cum multis inuiſum eſſe neceſſe eſt. Neq. enim tam multi homines iuſti ſunt, quàm ij qui iniuriam facere volunt, quorum cupiditates expleri non poſſunt. Deinde mutatio iſta ſtatus Reipubl. in vnius principatum efficit, vt ne ab amicis quidem etiam ſatis tutus ſis. Ego verò tibi conſilium dabo, quod quamuis muliebre ſit, rogo vt patienter audias neque repudies. Procliues in malum ſeu naturæ ſeu voluntates hominum facilius humanitate & beniuolentia inflecti & corrigi poſſe videtur mihi quàm ſæuitia. Etenim qui veniam dant, non ſolùm cari ſunt iis quibus ſe miſericordes præbuerũt, ſed & apud ceteros omnes ſummo in honore ſunt. Homines verò iracundi & inexorabiles, non tantùm odio ſunt iis à quibus timentur, ſed etiam reliquis omnibus ſunt permoleſti: vnde fit vt iis plerique parent inſidias, ne prius ipſi pereant. Annon vides medicos quàm raro veniant

ad vrendum & secandum, ne morbos efficiant gratiores,& vt eos mitibus medicamentis curent atque molliant. Nec verò inter morbos corporum & has animi perturbationes quidquam interest: vt ob eam caussam consimili medicina egeant. Mitia verò animorum remedia, placidam & lenem Principis orationem, clementiam & misericordiam, voco: non promiscuam eam quidem & in omnes. Nam temerarios, molestos, sceleratos, postremò omnes quorum flagitiosa adeo vita est vt sanari nequeant, tollendos censeo, non secus quàm eas partes corporis quibus medicina adhiberi nõ potest: ceteros verò qui propter adolescentiam, aut imprudentiam, aut ignorantiam, alióve casu volentes deliquerunt, aut inuiti, eos arbitror esse admonendos & propositis minis continendos. Ceterum Principem non solùm nihil facere per iniuriam, sed nec omnino facere videri oportet: neque alio pacto potest hominum animos ad beneuolentiam allicere, quàm si nemini volens inuitúsve iniuriam faciat. Etsi enim vt alterum metuat cogi aliquis potest, tamen vt amet id ei persuaderi necesse est. Quamobrem te Auguste hortor atque moneo, vt quos tibi inimicos esse existimas, eos clementia & benignitate deuincias. quippe ita & isti consilium mutabũt, & ceteros quoque meliores & beneuolẽtiores efficient. Hac oratione Liuiæ permotus Augustus, reos omnes verbis admonitos dimisit, multósque eorum honoribus & opibus auctos, beneficiis & caritate tanta sibi coniunxit, vt nemo inde insidias ei faceret, aut omnino facere videretur. Hunc igitur Augustus beneficentiæ fructum consequutus est.

Dion. in Marco.

M. Antoninus nihil magis timuit & deprecatus est quàm Illiberalitatis crimen: atq. ita vixit vt ne minima quidem auaritiæ labe aspergi posset, sed munificentiam Principe dignam exerceret. Nam & Athenis omnis disciplinæ doctores annua mercede conductos instituit ad omnium gentium vtilitatem. Itaque tam vberem doctorum virorum prouentum ea ætas tulit, vt meritò Imperij eius tempus seculum aureum dictum sit. Nostra ætate Franciscus I, Galliæ rex, sapientis huius Principis exemplum imitatus, publicos professores propositis honorariis in Parisiensem Academiam acciuit: quo facto maiorem diuturnioremq. nominis gloriam & famam sibi peperit quàm tot gestis & confectis bellis. Præterea Antoninus remisit Romanis quæcumque fisco ærarióve debebãt ab annis quinquaginta, iussítque syngraphas omnes scriptas de iis rebus in foro cõburi. Id pulcherrimũ videlicet & maximum populo Rom. donum conferens, ne in posterum fisci procuratores, veteribus & obsoletis nominibus excutiendis, cuiquam negotium facesserent. Tertiò in exigendis pecuniis aut nouis tributis imperandis nemini molestus erat: quum in re familiari & in aulico apparatu temperans & frugalis esset. Postremò, vt palàm testaretur quantùm eam virtutem diligeret, Beneficentiæ templum in Capitolio exstruxit.

In hoc igitur exemplar inspiciant Principes, atque inde exemplum sibi sumant, discántq. quomodo exercẽda sit liberalitas. In quo in primis obseruandum est, ita publicè liberalẽ fuisse Antoninũ, vt domus & aulæ suæ statũ frugalitate honesta tẽperaret, mul-

multum abhorrens à profusis & prodigis Caligulæ, Neronis & Vitellij, sumtibus. Satius enim ducebat Imperij opes in Reip. vsus quàm per libidines & luxū absumi. quippe Largitionē sequi rapinas & Principem sumtibus exhaustum alienis bonis manus afferre cogi: quum Largitio effusa (sicut prouerbio fertur) fundum non habeat. Itaque Traianus optimus Imper. statum domesticum & aulicum intra modum ita coercebat, vt inutiles homines nullos aleret. Alexander Seuerus palatium suū comitatúmq. omnem, abiectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis & infamibus, purgauit: nec quemquam passus est esse in palatinis ædibus nisi necessariū hominem. Ceterum quos Reip. iudicabat vtiles, ita liberaliter fouebat, vt si quos sciret vel nihil petiisse, vel non multùm, vnde sumtus suos augerent, vocabat eos & dicebat, Quid est cur nihil à me petis? an me vis tibi fieri debitorem? pete ne priuatus de me queraris. Adrianus quoque amicos solebat ditare, & quidem non petentes, quum petentibus nihil negaret. Sed in primis erga doctos & literatos viros munificus erat: oderat autem eos qui malis artibus opes quærerent. Denique boni omnes Imperatores beneficentiam ea moderatione ac prudentia exercuere, vt neq. in Machiauelli sordes, neq. in prodigam largitionem deflecterent. Ergo secundum principatus cursum feliciter emensi, perpetuam prosperámq. virtutum suarum memoriam ac laudem posteris reliquerunt.

Dion. in Traiano. Lampr. in Alex. Spartianus in Adriano.

GALLIAE quoq. reges, Clodoueus, Carolus Magnus, Ludou. Pius, Robertus, Henricus I. Ludou. Crassus, Ludou. VIII. Ludouicus, cognomēto Diuus

& permulti alij liberalitate insignes fuerunt: quam tamen pręcipuè exercuerũt in Ecclesiasticos, & eos quidem nimio plus quàm par esset, ditarunt. Carolum tamen Magnum in doctos etiam viros beneficum fuisse legimus: ac nullis pepercisse sumtibus vt Academiam Parisiensem institueret ac foueret. Atq. in vniuersum Galliæ regibus id sollenne fuisse, vt pauperum tenuitatẽ Christiana munificentia sublevarent. Quo Liberalitatis fructu nullus neq. certior neq. Principe dignior videtur.

ITAQ. his cùm rationibus tum exemplis euerti Machiauelli dogma necesse est, quum inde liqueat Auaritiam non minus damnosam & indecorã Principi quàm pecuniarũ effusionem esse: Liberalitatem verò iuxtà ei honestam atque vtilem. Nam quæ argumenta adfert Machiauellus, non minus quàm ipsius cõclusio inepta & falsa sunt. Quum enim dicit, Principem potentiæ famam consequuturum, si ingentes thesauros cumulauerit, quàm validum est hoc argumentum? Perseus rex Macedoniæ etsi multum auri argentique congessisset, nihilo secius tamen degener & ignauus etiam à suis habitus est. Crassus Pompeio multo ditior, bellicæ tamen virtutis & probitatis fama, atque omni genere honorum, inferior fuit. Mauricium & Phocam Imperatores Rom. anxiis sordibus magnas opes corripere auaritia subegit: sed an propterea potentiores & fortiores habiti sunt? Immò ita imbelles & desides iudicati sunt, vt etiam in serie Romanorum Principum inter abiectos & ignauos numerentur.

Principis potentia & opes in pecuniarum copia sitæ non sunt.

SED omissis exemplis rem ipsam consideremus. Si diuitiæ Principis inclytæ & fama celebres fuerint,

rint, nóne finitimorum cupidinibus flammam subdent vt eum adoriri audeant, quo ipsius thesauris potiantur? Itaque Veneti (qui, si liberet, omnium Christianorum Principum pecuniosissimi esse possunt) legem tulere, nequem in Republ. thesaurum, præter arma, habeant. Quippe qua sunt sapientia satis intelligunt thesauros, siquos cumularent, fore irritamenta quibus vltro inuitarent vicinos suos ad bellum sibi inferendum. Bellorum autem nimium multæ caussæ suppetunt, neque ea, veluti proposito præmio, allicere aut lacessere opus est. Itaque quum pecuniarum magnitudo sæpe malo vertat; feréque impellat auri cupidos ad nocendum: haud magnopere expedit Principi pecuniosum videri, sicuti iudicat Machiauellus. Etsi enim pecuniæ belli nerui vulgò habeantur, necessariæ tamen adeo non sunt vt sine his geri non possit. Quippe & Gallos Euangelicos militiam grauem sine vllis sæpius stipendiis tolerantes nuper vidimus: & vetus Romanæ militiæ mos ac disciplina, vt Valentiniano imperante & posterioribus etiam seculis in vsu erat, eius rei fidem facit. Tum enim ita instituta militiæ ratio erat, vt milites non æs aut argentum in stipendium, sed menstruum salariū, id est panem, vinum, laridum, & reliquam annonam, finito pondere aut mensura, acciperent. Deinde ad constitutam diem tunicas nouas, ceteráque ad cultum victúmque necessaria: vt quum nullius rei egerent, pecunias tamen nullas, aut paucas, attingerent. Immò in vita communi quis nummorum est vsus, quibus nemo vescitur, aut vestitur, aut æger curatur? Nullus, nisi vt permutandis facultatibus, mercibus, commodis,

Comin. lib. 7. cap. 15.

commercia inter homines faciliora & promtiora sint. Nam si nummi suppetant, ea facillimè quibus egemus à nobis comparari possunt. Itaque si res ipsæ necessariæ, non pecuniæ, suppeditarentur militi (sicuti Valentiniani Cæsaris & sequentium temporibus fiebat) verè æstimantibus appareret, nummorum copia Principis opes non niti. Neque tamen infitias eo, vt nunc sunt militiæ leges quæ pecuniarium stipendium militi persolui iubent necessarias esse pecunias: neque sine illis quidquam magnum effici posse: immò eas veluti neruos artúsque belli esse cōcedo. Sed vicissim dico eas à Principe vberrimè diligēti industria & frugalitate parari posse, vt neq. tenacem neq. auarum eum esse necesse sit.

QVOD ad famam & opinionem Illiberalitatis quam Machiauellus Principi negligendam suadet, libens quæsierim, non dico ab iis qui excelsum & heroicum spiritum gerunt, qualis Principem decet, sed qui indole tantùm ingenua præditi sunt, quæ quolibet libero & nobili homine digna est, quibus decus suum vile non est, num ægerrimè sint laturi si vulgò sordidi atque illiberales habeantur. Non ignoro quidem Machiauellitas nobiles, qui mercaturam potius quàm belli artes exercent, ignobili tantùm lucro & quæstui affixos, sordidæ huius parcimoniæ famam & existimationem contemnere: sed Galliæ Germaniæ, Angliæ, & ceterarū Christiani orbis prouinciarum, nobiles mechanicam istam & mercenariam nobilitatem aspernantur: neque vlla ratione adduci possint vt illiberales & sordidos se haberi libenter patiantur.

PORRO exempla Iulij pontificis & Ferdinandi re-

di regis, quæ huc adfert Machiauellus, nihil ad rem. neque Iulius magnas res gesſit, ſicuti vulgò notum eſt: neque Ferdinandus in ſuſcipiendis aut gerendis bellis plus æquo parcus aut auarus fuit, quantum quidem ex hiſtoriis colligi poteſt. Verùm tamen vt in his duobus verum hoc eſſe vincat Machiauellus, opponam his duobus obſcuris eorum quoſcumque antè commemoraui multo illuſtriora exempla: quibus abundè docui Tenacitatem & auaritiã Principibus pernicioſam, Liberalitatem ab effuſa largitione remotam, vtilem & honeſtam eſſe.

POSTREMO, vt hoc argumẽtum ſemel abſoluam, Auaritiæ Ingratitudo ferè adiuncta eſt. Quo vitio nullum in Principe maius, nullum fœdius, dici poteſt. Eius enim negotia quum ſine diligenti fidelíque amicorum & miniſtrorum opera tractari non poſsint, eos numquam habebit tales, ſi in gratia meritis referenda malignus & tenax extiterit. Itaque Princeps Bocchi Mauritaniæ regis ſententiam inſcriptam animo gerere perpetuò debet: REGEM armis quàm munificentia vinci, minus flagitioſum. Quamobrem Titus Cæſar recordatus quondam ſuper cœnam, quòd nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, memorabilem illam meritóq. laudatam vocem edidit, Amici, diem perdidi. Perinde vt ſi diceret, Beneficentiam præcipuum eſſe ſcopum in quem Princeps collimare debeat, vt omne tempus perdere videatur quod in eam rem non impenderit.

Sallust. in Iugurth.

Suet. in Tito cap. 8.

XXVII. THEOREMA.

Princeps, si exactè vir bonus esse vult, diu inter homines agere non potest in tot improborum colluuie.

Cap. 15. de Principe.

PERMVLTI (inquit Machiauellus) scriptis Principem erudire conati sunt, cúmque ad perfectum summúmque omnium virtutum fastigium adducere. quemadmodum Xenophon in Cyripædia fecit. Extitere item philosophi & alij, qui Ideas quasdam & simulacra Rerumpubl. & Regnorum literis effinxerunt, quorum in mundo nihil vmquam simile fuit. quippe multum interest inter eam viuendi rationem quæ vulgò instituitur, & eam quæ institui debet. Siquis ergo in formis Regnorum ac Rerumpubl. quas philosophi depinxerunt hæserit, spernens ea quæ fiunt, & ea laudans quæ fieri debēt: næ ille perniciem inde potius quàm salutem suam hauserit. Itaq. iis omissis quæ de perfecto Principis exemplari plerique commenti sunt, ídq. vnum spectans quod reipsa existit, quódque vulgò in vsu est, contendo

tendo Principi, vt dignitatem atque opes suas tueatur, discendum & meditandum esse vt nonnumquam à virtute deflectat, sitque improbus, siquò res & negotia postulabunt. Nam si virtutis rectum iter insistere & viri boni mores exactè in vita repræsentare volet, fieri non potest vt diu viuat incolumis in tãta improborum multitudine.

THEOREMA hoc propria refutatione non eget, quum ex superioribus abundè refelli posſit. Multis enim verbis antè demonstrauimus egregios & laudatos Principes, florentes opibus non tantùm diu sed etiam tranquillè regnasse; sceleratos contrà & breue imperium habuisse & de statu violenter fuisse deiectos. Quod ad perfectas Regnorum & Rerumpub. Ideas formásq. attinet, nõ eò disseruere de iis philosophi vt persuaderent simile aliquid reipsa existere, sed vt regibus & ciuitatum moderatoribus exemplar aliquod ad imitandum proponerent. Porro exemplar quod intuẽdum offertur, pulcherrimum & perfectiſsimum esse decet: vt qui inde sibi exemplum sumere volunt, ad illud pro se quisque quàm proximè fieri posſit accedant. Verùm si Princeps exemplaria Machiauellica inspicienda sibi & exprimenda sumserit (puta Cæsarẽ Borgiam, Oliuarium Firmanum, Agathoclem) quid egregium, quid laude dignum peragere poterit, quum ipsa quoque exemplaria multum à virtute abhorreant? Itaq. exemplaria ad quorũ formam nosmetipsos nostráq.

Exemplaria ad imitandum proposita, perfectiſsima esse debent.

componere cupimus, politiſsima & accuratiſsima eſſe debent: vt ſi fortè à perfecta virtutis effigie imitando aberremus, eam tamen in vita & moribus noſtris vtcumque exprimamus.

SED quid ſibi vult Machiauellus, quum dicit iis omiſsis quæ veteres de perfecto Principis exemplo ſcripſerunt, vulgarem vſum ſequendum? Nónne hoc dicit, deſerenda eſſe virtutis præcepta vt animum ad vitia & tyrannidem flectamus? Nam quæ de Principis inſtitutione à veteribus prodita ſunt litteris, non vſqueadeo à communi vſu abhorrent vt nulla ratione attingi & perfici queant: ac ſi Princeps aſſequi non poteſt vt omnia præſtet, præſtabit tamen nonnulla. Itaq. ſi perfectus euadere Princeps nequeat, non continuò tamen deſerendæ ei erunt virtutis partes, & in caſtra vitij ac tyrannidis tranſeundum. Nam, vt inquit Horatius,

Eſt aliquà prodire tenus, ſi non datur vltra.

Quare quum dicit Machiauellus negligenda eſſe quæ de perfecta Principis forma à Philoſophis ſcripta ſunt, & quæ in vſu ſunt ſequenda, nugas agit. Nam ſi vitium ſolum in vſu eſſe contendit, pro ſuo more conſilium prauum & pernicioſum dat: ſi virtutem quoque vſurpari & coli fatetur, ne ea quidem repudianda erunt, quæ de perfecto Principe tradita ſunt, etiamſi nemo eam perfectionem adepturum ſe ſperet. Nam aliquà tenus progredi, & quamproximè fieri poſsit, conniti, ſemper laude dignum eſt.

PORRO quum dicit bonum Principem in tanto improborum numero incolumem diu nõ permanſurum, facilè apparet non aliò ſpectare quàm vt perſuadeat Principi vt ad improborum exemplum ſuos mores

mores inflectat. Verùm si seriò cogitasset, virtutem vel nequissimis & nullius pretij hominibus venerabilem esse, qui quod oderunt laudare tamen coguntur: ac pro certo habuisset (sicuti certum est) subditos facilè mores suos formare ad exemplum Principis (sicuti Dion scribit Antonini Imper. cognomento Philosophi, tempore multos vltro ad philosophiæ studium se contulisse, vt eius gratiam inirent) numquam venisset illi mentem suadere Principi vt publica & communia vitia exemplo suo, & veluti suffragio, comprobet. Hortatus illum potius esset ad studium virtutis, vt ad bene agendum subditis facem præluceat, & eò summa cum sua laude ceteros alliciat exemplo. Sed nemini mirum esse debet Machiauellum tam fœda & à virtute aliena oratione vti. quippe hoc sibi non proposuit vt virtutis iter tenere Principem institueret, sed vt ei ad omnem impietatem & iniustitiam præiret: sicuti pluribus locis demonstrauimus.

ROMANI, secundo bello Punico, quum inspectis libris Sibyllinis carmen ab Decemuiris inuentum esset: Quandocumque hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia vincíque posse si mater Idæa Pessinunte Romam aduecta esset: cogitantes quæ ratio transportandę Romã deæ esset, legatos ad Attalum regem Pergami decreuerunt: quem facturum quæ posset populi Romani caussa sperabant. Legati Asiam petentes, protinus Delphos quum exscendissent, oraculum adierunt, consulentes, ad quod negotium domo missi essent perficiendi eius quam sibi spem populóque Rom. portenderet. Responsum esse ferunt, per Attalum Liu. Annal. lib. 29.

regem compotes eius fore quod peterent. quum Romam deam deuexissent, tum curarēt vt eam qui vir optimus Romæ esset, hospitio acciperet. Pergamū ad regem peruenerunt. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit: sacrúmque iis lapidem, quem Matrem deûm incolę esse dicebant, tradidit ac deportare Romam iussit. Remissus ab legatis M. Valerius Falto nunciauit deam apportari: quærendum virum optimum in ciuitate esse, qui eam hospitio ritè acciperet. Haud paruæ rei iudicium senatum de matre Idæa accipienda consultantem tenebat, qui vir optimus in ciuitate esset. veram certè victoriam eius rei (inquit Liuius) sibi quisque mallet, quàm vlla imperia honorésve suffragio seu patrum seu plebis delatos. P. Scipionem Cn. filium, eius qui in Hispania ceciderat, adolescentem nondum quæstorium, Africani Scipionis patruelem fratrem, iudicauerunt in tota ciuitate virum optimum esse, & ad matrem Idæam accipiendam ire iusserūt. Si Romani illi, antiqui moris homines, Machiauelli doctrina tincti fuissent, & ex èo disciplinam istā hausissent, Virum bonum ad vnguem esse non expedire: tantopere concupiuissent eius nominis gloriam? eúmq. titulum Dictaturis & cōsulatibus antepesuissent? Sed illi, quum diuersum planè sentirent à Machiauellicis placitis, pluris virtutem quàm diuitias & honores faciebant.

Boni viri nomen honorificentius apud Romanos quàm consulis aut Dictatoris.

Rervm quidem veri & sani æstimatores, Viri boni nomini quem dignitatis titulū anteferant non inueniunt. Neque hîc ego, Conestabilium, Mareschallorum, Amiraliorum, Cancellariorū, Præsidum, Equitum auratorum, & alia honorū speciosa vocabula,

vocabula, excipiam. Nihil istorum est quod, Viri boni nomine detracto, vel flocci faciendum sit: & quo magis oneratos quàm honoratos non existimem eos quib. istá tribuuntur. Si ceteris imaginum insignibus & titulis Viri boni nomen adiunxerint, geminato honore spectabiles & qui ab omnibus amentur & colantur dignissimos esse fateor.

XXVIII. THEOREMA.

Homines nec summè boni nec summè mali esse: neque crudelitate & iniusta vi perfectè vt,inorunt.

IOANNES Pagolus (inquit Machiauellus) vt Perusiæ (quæ dominij Ecclesiæ Romanæ est) principatũ inuaderet, propinquos & amicos suos interfecit. Ei homini omnia vitia, sed neque fides neque religio, inerant: & cum sorore sua stupri consuetudinem habebat. Iulius II. pontifex, anno 1505, quum in eo totus esset vt Ecclesiæ Rom. restitueret agros ac ditiones quæ ab eius patrimonio auulsæ, & à pluribus Principibus vsurpatæ, fuerant, Perusiam inermis profectus est, magno Cardinalium comitatu & quotidiana Comm. lib. 1. cap. 27.

corporis custodia tantùm stipatus: & erant in eo agmine supellex & impedimenta inæstimabilis precij. Pagolus, qui sciret eò venisse Pontificem vt se dominatu pelleret, non satis animi habuit ad eum cum Cardinalibus opprimendum, quum id agere & spoliis ditescere ipsi facillimum esset: sed se à Pontifice hoste suo corripi & abduci passus est. In eum sanè errorem Pagolus non aliquo conscientiæ terrore percussus, aut religione lapsus est: sed quòd planè perfectéq. sceleratus, quũ maximè fuit opus, esse nesciit. Quare statuo (inquit) homines magnas rerũ oblatas opportunitates, obuiáq. temporum fortunæq. momenta labi ac corrumpi sinere, quòd summa perfectáq. nequitia vti in tempore non norunt.

Machiauellus summæ nequitiæ doctor.

HAEC Conclusio scopum ipsum velut digito monstrat, quò Machiauellus Principem ceteròsq. discipulos suos tendere iubet: nempe vt summum Nequitiæ fastigium attingant. Gradus qui ad summum & editissimum illum improbitatis verticem ducunt, sæpe antè aperuimus. Machiauellus enim docuit, sæuitia, perfidia, impietate, astutia, auaritia, velut præclaris artibus, Principem instructum & ornatum esse debere. sunt autem eæ Machiauellicæ virtutes, veluti gradus quibus ad extremæ nequitiæ cacumen peruenitur. Nunc queritur homines, quamquam omnibus

bus flagitiis coopertos, iis tamen ita dextrè & sollerter vti nescire, vt altius semper enitendo in eminentissimum vitiorum iugum euadant. vnde multa ipsis damna & pericula oriantur. Posset (obsecro) inter Scythas, Arabas, aliásve quamlibet barbaras gentes, quibus nullæ leges, nulli mores humani, sunt, disci aliquid immanius aut fœdius quàm in Machiauelli ludo? Quid enim aliud tam impura præcepta quàm meram tyrannidem spirant? quid aliud struit, dum eandem etiam methodum adhibet in summo malo vitióq. docendo, qua philosophi vtuntur in summo demonstrando bono? Aristoteles, Plato, Cicero, & quotquot de summo bono disserũt, primùm de virtutibus & bonis moribus agunt, quibus veluti gradibus per arduum ad illud summum ascenditur. Ita hic putidus doctor, eadem docendi ratione & via, ab omni flagitiorum & scelerum specie Principis institutionem inchoat, vt eum mox ad summam vitiorum arcem & ἀκρόπολιν euehat.

IAM in ista Conclusione pluribus refellẽda multum operæ ponere non libet. Gradus enim istos, quos dixi, ita mihi expugnasse & perfregisse videor, vt qui callem à nobis apertum subierit, cum altera illa via numquam ascensurum putem: sed planè diuersa. Deinde perspicuis quoque argumentis & illustribus exemplis docui, eos qui perfidiæ, impietati, sæuitiæ, & aliis malis artibus, quas Machiauellus pro virtutibus laudat, sese tradunt, ferè atroci & infelici mortis genere absumi: nedum vt perniciosum sit, absolutæ nequitiæ cumulum assequi non posse: sicuti iste impudenter affirmat. In exemplo verò Pagoli hoc vnum miror, quî factũ sit vt homo ille

nequam & ſceleratus improbitatis faſtigium attingere non potuerit: quum genus hoc hominum ad cogitanda & perpetranda ſcelera animum paratum atque impigrum habeat. Credibile igitur eſt hominem fuiſſe ignauum & ſecordem, cui Pontificis interficiendi voluntas non deeſſet, ſed animus ad facinus ſuſcipiendum. Niſi potius credere libeat, metuentem Pagolum nequid boni ſciens aliquando faceret, ideo vim abſtinuiſſe à Iulio Pontifice. Nam ſi eum de medio ſuſtuliſſet, præclaro illo facinore multum de Chriſtiano nomine meritus eſſet. Iulius enim diſcidia & bella inter Chriſtianos principes ſerere pro ludo & iucundo ſpectaculo habebat: & iactare conſueuerat, quando Petri claues haud ſatis efficaces experti eſſent ſuperiores Pōtifices, ſe Pauli gladio vſurum. Itaque Pagolus (qui in Machiauelli doctrinam iuraſſet, vt videtur, ſtatuiſſétq. nihil vmquam boni agere, ſed in flagitiis tantùm & ſceleribus volutari) tam egregiæ rei autor eſſe, & eo monſtro Chriſtianum nomen liberare, noluit. Machiauello tamen aliter videtur. exiſtimat enim peccaſſe in eo Pagolum quòd Iulium non occiderit, & ea de re non ſine aliquo animi morſu & dolore loquitur. Neq. enim capitalior vmquam hoſtis Papæ extitit quàm Machiauellus. Vnde miror Machiauelli nomen apud Papiſtas tanto in honore eſſe. quamquam qui eum admirantur, verbo quidem fortaſsis, reipſa certè, Papiſtę non ſunt: ſed tetri homines qui pudore omni conſumto, nec Dei reuerentia, nec pœnarum apud inferos metu terrentur: qui nec veram nec falſam religionem fouent, qui Papam & Papatum ludibrio habent: pietatis expertes, ἄθεοι, & magiſtri ſimiles.

Machiauellus Papæ hoſtis, Pagolū vituperat quòd Papā non occiderit.

ſimiles. Ceterum & Miſſæ intereſſe & ceremoniis defungi & ſimulare ita didicerunt, vt facilè probent ſe in hæreſi Machiauellica tantos progreſſus feciſſe, vt perfectionem, quam iſte Machiauellitarum coryphæus hîc docet, adepti eſſe videantur.

XXIX. THEOREMA.

Qui viri boni perſonam ſemper gerere conſueuit, vúltq. fieri improbus vt quò cupit perueniat, eam mutationem ſpecioſa aliqua cauſſa velare debet.

QVVM quis mutationem morum inſtitutorúmq. facere ſtatuit (inquit Machiauellus) vt ſiquam ob cauſſam improbi perſonam ſuſcipere vult, quum antea viri boni mores naturámq. præ ſe tulerit, eam prudenter & conſideratè facere debet, & multo antè opportunitates quærere & ſpeculari occaſiones, maturéq. prouidere vt nouos amicos in ſubſidium comparet, quos veteribus & diſceſſuris ſubſtituat. Qua in re grauiter lapſus eſt Appius Claudius Decemuir. Quum enim antè ſemper, popularem, comem, affabilem, aditu facilem, in iudiciis æquum & in- Comm. lib. 1. cap. 4.

corruptum, se præstitisset, ac postea summum imperium Romæ occupare vellet; nimis repentè à pristinis moribus illis in cõtrarios migrauit, perinde vt si albam vestem nigra mutasset. Quare simulatione & malitia eius populo nudata, & palàm omnium oculis exposita, conata sua ad exitum perducere non potuit. Quod facilè facturus erat, si sensim ac pedetentim seipsum immutasset, captassétq. occasiones speciosas, ne sine caussa crudelis, superbus, rarus aditu, & colloquentibus difficilis, factus videretur: interea etiam muniendis dominationis opibus amicos eiusdem ingenij parasset.

EIVSDEM generis est hoc Theorema cum superiore illo de Vulpino astu, quod antè confutauimus. Hîc enim docet Machiauellus quomodo quis ex viro bono malus tam industriè fiat vt id à nemine deprehendi posit. Neq. enim adeo inconsultè & apertè id ei tentandũ esse, vt repentè ex probo improbus, velut ex albo niger, appareat. Posse enim tam repentinam mutationem in hominum suspiciones & sermones incurrere: sed astu & arte progrediendum esse, quæsitísque coloribus omni ope curandum vt ea migratio non sine bono consilio & ratione instituta esse videatur. Itaq. si sæuire libeat, sæuitiam specie aliqua iuris velabit: si rapinis animum adiecerit, auaritiæ necessitates & vtilitates publicas prætendet. Ita paulatim a-

liam personam induet, & ita lento gradu è bonis moribus in malos migrabit, vt omnium sensus fallat. In primis verò notanda est colorum cum moribus similitudo, quam hîc Machiauellus adhibet. Quemadmodum enim colorem nigrum alba imbibere nequeunt, si nihil admistum sit: sed vt alba nigro tingantur, ea primùm alio colore, vt cæruleo aut rubro, infici necesse est: ita (inquit) ista boni viri in malum conuersio facilè & commodè fieri non potest, nisi adhibito specioso aliquo prætextu, qui hominem inter bona & mala mistum ostendat.

SINGVLARE hoc est artis nequitiæ pręceptum, A virtutibus ita pedetētim & tacitè transire in vitia, vt nemo id sentiat. Id enim ita præstare vt homines intelligāt, imperiti est hominis & artis ignari. Nam callidè simulare & dissimulare quiduis, summa industria & dexteritate vultum fingere, & omnes fallere, ea demum ars & summa sapientia est. Istius autem artis hoc planè germanum præceptum est, quo Machiauellus docet qua ratione aliquis improbus tutò euadere possit, ita nimirum celando quod agit & dissimulando, vt id nemo sciturus, nemo ne suspicaturus, quidem sit. Itaque Principem (quod perspicuè omnes vident) sceleratus iste nebulo perfectę nequitię disciplina instituere & informare pergit. Sed quia in omnes eius species, nominatim aduersus hypocrisin & malitiosam simulationem, copiosè antè disserui, de iis nunc agere pluribus supersedeo.

CETERVM Appij Claudij exemplū, quod profert Machiauellus, nihil ad rem facit. Nam Appius Claudius Decemuir quū in annuo magistratu esset, Liu. Annal. lib. 3.

cum primo anno ita cum collegis gesſit, vt nullius eorum populum Rom. pæniteret. Sequenti anno quum ei comitiorum habendorum munus creandis Decemuiris, cõſenſu collegarum, iniũctum eſſet, deiectis honore per coitionem ſummi faſtigij ciuibus: quos ſibi opportunos & obnoxios fore ratus eſt, Decemuiros creauit. & ſe in primis. quod nemo facere auſurum crediderat. Tum ille finis Appio alienæ perſonæ ferendæ fuit. ſuo iam inde viuere ingenio cœpit. Quum enim antè adeo nouũ ſibi ingenium induiſſet vt plebicola repentè omníſque auræ popularis captator euaſiſſet pro truci ſæuóq. inſectatore plebis: tum viam ad continuandum in tertium annum magiſtratum quærens, quum id voluntate plebis conſequi ſe poſſe deſperaret, omnibus terrorem iniicere inſtituit, vt clandeſtino fœdere cum collegis nefariè icto perpetuo decemuiratu poſſeſſum ſemel imperium retineret. Feciſſétq. fortaſsis, niſi duobus circumſtantibus vrbem bellis externus timor & domeſticũ nefas conatis ipſius obſtitiſſet. Quum enim ægrè delectu habito & plebe priuatorum imperium detrectante, ductu atq. auſpicio Decemuirorum nihil proſperè in bello gereretur: & in vrbe Appius intolerandæ libidinis exemplo multitudinem ad repetendam libertatem concitauiſſet: Decemuiri autoritate & conſenſu Patrum victi, depoſitis imperij inſignibus, abdicauere ſe magiſtratu. Appius & Sp. Oppius correpti à plebeiis accuſatoribus in vincula ducti ſunt, vbi ante iudicij diem vitæ finem fecerũt. collegæ eorum reliqui quum exilij cauſſa ſolum vertiſſent, eorum bona tribuni publicarunt. Itaque Appius quòd ex bono & populari

Decem-

x.viro repentè ſuperbus & atrox euaſit, non ideo perpetuum Romæ imperium adipiſci non potuit: ſed quòd tempore magiſtratus ipſius finito, populus obſequium abnueret. Fruſtra igitur ad iniuſtam dominationem retinendam ſimulationes & verſutias Machiauellicas adhibuiſſet. Tum enim Romæ publicè aliquo munere fungentem (ſiue bonus ſiue improbus eſſet) legitimo imperij ſpatio expleto, magiſtratu abire leges cogebant.

SED hoc præceptum non tantùm flagitioſum eſt, verumetiam difficile ad exſequendum. Quamlibet enim honeſtis & ſpecioſis nominibus veletur perſonæ morúmque mutatio, fieri tamen vix poteſt vt quis tam cautè nouum ingenium induat & ex bono fiat improbus, quin id aliquis olfaciat. Semper enim exiſtunt aliqui acuti homines qui ſimulatoribus iſtis vafris perſonam eripiant, & ſagaci odoratu ac veſtigiis Machiauellicas vulpes perſequantur.

XXX. THEOREMA.

Princeps, ſi pacis tempore diſcidia inter ſubditos foueat, facilius iis ex voluntate vtetur.

MAIORES noſtri Florentini (inquit Machiauellus) pręſertim qui ceteros ſapiẽtia anteire videbantur, in ea ſemper fuere ſentẽtia, Piſtoriã diſcordiis inteſtinis in fide & obſequio Cap.20.de Princ.

continendam esse. Quamobrem in oppidis suo imperio subiectis discidia inter ciues alebant, quo facilius iis potirentur. Eodem consilio Veneti in suæ ditionis ac iuris vrbibus Guelforum & Gibellinorum factiones fouebant, vt subditorum animis in hæc studia conuersis meditandæ rebellioni otium non suppeteret. Belli tamen tempore Princeps sapiens contentiones nullas accendet. Multum enim detrimenti ipsi afferrent: sed in pace earum adminiculo subditis commodius vti poterit.

Si Respub. prudenti consilio à bono Principe administretur, isque subditorum beniuolentiam sibi conciliet, ne ei quidem defuturum vel pacis vel belli tempore eorum obsequium pro certo habendum est. Populi enim maxima pars ei libenter morem geret: ceteri metu legum & iudiciorum continebuntur, quæ Princeps in sua ditione iustè exercebit. Itaque ex huius præcepti vsu nullum fructum Princeps præter certissimam animorum alienationem, odium subditorum, postremò exitium, colligere potest. Nam si factiones inter suos alet, numquam poterit tam æquabiliter inter vtrosq. medium sese gerere, vt in suspicionem & inuidiam alterutrius partis non incurrat. Quum enim ancipitem animũ inter infensos ita diuidat, vt ad hos magis quàm ad illos inclinare se videatur: nusquam gratia stabili vtriusq. factionis odium

Factiones exitiosæ Principi.

odium,& ex eo perniciem, sibi inueniet. Atq. vt alterius tantùm partis maleuolentiam in se commouerit, ne sic quidem tamen ipsius securitati satis prouisum est. Odia enim ferè mortales ad ea perdenda quæ oderunt stimulant: neq. tantùm plures sed vel vnus incepti quouis modo patrandi rationem viámq. reperit. quemadmodũ pluribus exemplis antè demonstrauimus. Quare huius consilij periculum facere in subditis, valdè Principi noxium est. Tyranno quidem fortè opportunum esse videtur ad abrumpendam multitudinis cõcordiam, quę tyrannidi semper inimica atq. infesta est. Nám aduersus consentientes tyrannus haud satis quisquam validus est, neque in concordi populo violenta & iniusta imperia satis commodè exerceri possunt: quia iugum detrectat,& iniqua tyranni iussa nouáq. onera subire abnuit. Itaq. obsequio negato imperium vincitur, cuius vis omnis in consensu obedientium est. Quamobrem qui tyrannidem moliuntur, ab ipsa discordia, velut tyrannicæ potestatis fundamento, ferè initium ducunt. Quamuis enim tyrannis constans aut diuturna nulla sit, nulliq. aut pauci tyranni longo imperio fruantur (siue quòd tyrannidi ferè vis adiuncta est, nihil autem violentum natura durabile: siue quòd Deus iustus scelerum vindex præcipites ipsos è superiore loco deiicit) nulla tamen fundandæ & stabiliendæ tyrannidi aptior ratio fingi potest, quàm si discidia & contentiones in populum serantur. Neq. aliò sanè spectat Machiauellus quàm vt tyrannidem instituat: sicuti sæpe diximus.

Factiones & ciuiles discordiæ Tyrãnidis fundamentum.

CETERVM ab Appio Claudio huius axioma-

Liu. Annal. lib.2. Dion. Halyc. lib.9.

tis exemplum ſumſiſſe videtur, vehementis ingenij viro & truci inſectatore plebis: cui ſi multos ſimiles habuiſſet ſenatus, tyrannidem haud dubiè occupaſſet in ciuitate, & ſtatum Ariſtocraticum in Oligarchiam vertiſſet. Sed percommodè accidebat vt eius ſententiæ perſæpe nemo aſſentiretur. Is ergo, quum Tribuni (plebeij magiſtratus ad plebem aduerſus vim & opes potentium tutandam inſtituti, quibus & nouis ſenatuſconſultis, legibus, atq. oneribus, intercedere licebat: & nouas rogationes promulgare prout populo commodum eſſe cenſerent) legis Agrariæ autores, rogationem promulgaſſent vt ager ex hoſtibus captus viritim diuideretur: quo plebiſcito vt plebis commoda augebantur, ità magnæ partis nobilium publicabantur fortunæ: quum ergo Tribuni de plebis commodis ſanctiones ferendo ſenatum vexarent, Appius viam Patribus oſtendit diſſoluendæ tribunitiæ poteſtatis vnam eſſe, ſi inter ipſos tribunos factiones ſererent & ex collegio ipſorum quoſcumq. poſſent ad interceſsionem pellicerent. Ita enim fore, vt ſuis ipſa viribus diſſolueretur: neque tamen plebes eius rei cauſſam Patribus aſsignaret. His Appij præceptis ſæpenumero quum paruiſſent Patres, reipſa tãdem apparuit haud ſalutaria eſſe. Quum enim tribunitiæ rogationes collegarum interceſsione tollerentur, neq. tranquilla comitia habere aut quidquam ſuffragiis ſciſcere ratúmq. facere populus poſſet, ad arma & ſeceſsiones decurrebat. Ac ſæpe à Patribus per vim extorquebat, quæ illi ſuffragiis & vſitato more diſceptari paſsi non fuerant: multáq. à quibus obſecundando ratione & leni via deterreri poterat, ea leniendæ ple-

plebis caussa senatus concedere cogebatur. Ea enim ingeniis hominum cupiditas insita est, vt in vetitum semper nitantur & quæ negantur ardentius cupiant, &, vt præclarè Horatius,

Audax omnia perpeti,
Gens humana ruit per vetitum nefas. Horat. Carm. lib. 1. Ode. 3.

PRAETEREA siquando Patres ad senatusconsultũ aliquod promulgandũ quod vtile Reip. iudicarẽt, Tribunorũ auxiliũ implorarent, cõsequi tamen quod cupiebãt nõ poterãt. Illi enim Patrũ impulsu factionibus assueti, intercessionẽ multis sæpe certaminibus expertam in ipsius autores vertebant. Itaq. ex turbulentis Tribunorum factionibus tanta inter nobilitatem & plebem certamina exarsere, vt in vrbe & foro, velut in acie, armis sæpe certaretur: quẽadmodum contigit quum Gracchi duo vindicare plebem in libertatem aggressi ferro necati sunt. His tot ac tantis malis Appij consilium caussam materiémq. prębuit: neq. vlla populis certè ac ciuitatib. maior labes aut præsentius vllum venenum discordia intestina reperiri potest. Christus ipse, ęterna & certa veritas, affirmat, Regnum aduersus seipsum Matt. 12. dissidens, vastari: & vrbem domúmve discidiis laceratam stare non posse. Quæ verba si Machiauellitæ adeo bardi sunt vt animo non capiant, credant rebus ipsis. Galli certè ipsi, nisi planè stipites sunt, hæc & iactura bonorum & suorum cæde & tot aliis super alias calamitatibus, nimio plus quàm vellent vera esse experti sunt. Vnde enim Galliæ clades, nisi ex discidiis Papistarum & Hugonotorum (vt vocant) quorum semina sparserunt peregrini & aluerunt? Neque mihi hîc dixerit aliquis, di-

ſcrimen Religionum diſſenſionum ſemen fuiſſe. Nam ſi de Religione, concionibus, diſputationibus, colloquiis, diſceptatum eſſet vti cœptum erat, in has bellorum ciuiliũ vndas numquam incidiſſemus. Verùm vbi primùm reperti ſunt qui ferro & armis hanc controuerſiam diiudicarent, & ad quidlibet credẽdum vi conſcientias adigerent, tum moueri omnia & in partes diſcindi cœpere. Ita quod volebant externi illi homines adepti ſunt, vt in Gallia Machiauellici ſtatus fundamenta iacerent.

Liu. lib. 35. ITAQ. à Chalcidenſibus ſapientiſsimè factum eſt, qui AEtolorum conſilium repudiarunt, quod huic Machiauelli præcepto & Appij conſilio compar erat. Exorto enim inter Romanos & regem Antiochum bello, AEtoli (gens inquieta, vana & infeſta Romanis) quum legatos circa vrbes regéſq. vicinos miſiſſent: qui non ſolùm tentarent animos eorum, ſed ſuis quemq. ſtimulis mouerent ad Romanum bellum: id agitabãt quónam modo res in Græcia nouarentur. Omnibus igitur in Græcia tumultu completis, Antiochus in Europam tranſiecit. Ibi cum AEtolis conſultare cœpit vnde bellum ordiretur: Chalcidem primùm aggredi placuit. Prius tamen tentandos Chalcidenſium animos, ſiquibus conditionibus in amicitiam regis perlici poſſent. AEtolorum principes cum magiſtratibus Chalcidenſium ad colloquium congreſsi magnopere ſuadere cœperunt, vt ſalua Romanorum amicitia regem quoque aſſumerẽt ſocium atque amicum. Neq. enim eum inferendi belli, ſed liberandæ Græciæ cauſſa, in Europam tranſieciſſe, & re liberandę, non verbis & ſimulatione, quod feciſſent Romani. Nihil

autem

autem vtilius Græciæ ciuitatibus esse quàm vtramque complecti amicitiam. ita enim ab vtriusque iniuria tutam alterius semper præsidio & fiducia fore. Id consilium Chalcidenses non acceperunt, gnari duarum simul gentium animis armísque certantium amicitiam tutò haberi non posse, eósq. qui bello se nihil interponentes vtriusque partis gratiam fouere student, sæpe sine vllius gratia sine dignitate nihil aliud quàm prædam victoris esse. Igitur ad hæc Mictio vnus ex Chalcidensium principib. mirari se dixit ad quos liberandos Antiochus relicto regno suo in Europam transiecisset. nullam enim ciuitatem se in Græcia nosse quæ aut præsidium habeat, aut stipendium Romanis pendat, aut fœdere iniquo alligata quas nolit leges patiatur. Itaq. Chalcidenses neq. vindice libertatis vllo egere, quum liberi sint: neque præsidio, quum pacem eiusdem populi R. beneficio & libertatem habeant. Amicitiam regis non aspernari, neque ipsorum AEtolorum. id primùm eos pro amicis facturos, si insula excedant atque abeant. nam ipsis certum esse non modò non recipere mœnibus, sed ne societatem quidem vllam pacisci nisi ex autoritate Romanorum. Hoc Chalcidensium sapiens responsum aspernantium factiones & consilia AEtolorum, & responso non dissimilia facta, felicem exitum habuerunt. AEtolorum verò, nunc Romanos nunc Antiochum fouentium, vana & praua cõsilia in ipsorum caput reciderunt. Quum enim neutram partem vellent altera oppressa potentiorem fieri, sed integris vtriusque viribus inter Antiochum & Romanos perpetuum bellum alere omni ope tentarent, & horũ & illius odiũ in se mo-

uerunt. Itaq. deuicto & fugato è Græcia Antiocho AEtoli proprio bello à Romanis fracti, pacem diu æquis conditionibus impetrare non potuerunt. Ergo tribus repulsis fatigati, & complorantes inutili lamẽtatione fortunam gẽtis, furorem in semetipsos verterunt: & tam perniciosi dati cõsilij alij alios incusantes, mutuis cædibus ad internecionem gentem propè adduxerunt. Donec diu iactati, senatu ægrè ad audiendas eorum preces conuerso, & vix pace tandem impetrata, Romanam clementiam experti sunt: & in AEtolia res vtcumque compositæ.

Liu. Annal. lib. 4. ARDEAE (vicinum erat Romæ oppidum) similia certamina factionum erant quæ Genuæ etiam hodie sunt. Genuæ enim Republ. in duas partes distracta, plebs cũ nobilitate discordias & simultates exercet: neque vllum Ducem ex patriciorum corpore pati potest. Duces ergo ex plebe creant: & eiusdem sortis ac loci nimiùm multos hodie nobilitatem generis venditantes in Gallia esse haud ambiguum est. Itaq. quum Ardea similibus studiis scissa esset, fortè incidit vt virginem plebeij generis, maximè forma notam, iuuenes duo simul peterent, alter virgini generepar, tutoribus fretus, qui & ipsi eiusdem corporis erant: nobilis alter, nulla re præterquam forma captus. Adiuuabant eum optimatum studia, per quæ in domum quoque puellæ certamen partium penetrauit. Nobilis iudicio matris superior esse: quæ quamsplendidissimis nuptiis iungi puellam volebat. tutores in ea re quoque partium memores, ad suum tendere. Quum res peragi intra parietes nequisset, ventum in ius est. postulatu audito matris tutorúmq. magistratus secundùm parentis

tentis arbitrium dantius nuptiarum. Sed vis potentior fuit. namque tutores inter suæ partis homines de iniuria decreti palàm in foro concionati, manu facta virginem ex domo matris rapiunt. Aduersus quos infestior coorta optimatium acies sequitur accensum iniuria iuuenem. Fit prælium atrox. Pulsa plebs, armata ex vrbe profecta, colle quodam capto, in agros optimatium cum ferro igníq. excursiones facit. nec vlla species cladésq. belli abest, velut contacta ciuitate rabie duorum iuuenum, funestas nuptias ex occasu patriæ petentium. Parum parti vtrique domi armorum bellíq. est visum: Optimates, Romanos ad auxilium vrbis obsessæ, Plebs ad expugnandam secum Ardeam Volscos exciuere. Romanus, Volscis profligatis, Ardeæ turbatas seditione res, principibus eius motus securi percussis, boníſq. eorum in publicum Ardeatium redactis, composuit. Eat nûc Machiauellus & intestina arma laudet, quorum Ardeæ initium non aliunde quàm ex certamine factionum ortum est. Quæ (vt insigne " T. Liuij ellogium hac de re non prætermittam) fue- " re erúntq. potentibus populis magis exitio quàm bella externa, quàm fames morbíve, quàm quæ alia in deûm iras velut vltima publicorum malorum vertunt. Nam (vt alio loco T. Quintius Flamininus Liu. Annal. apud eumdem Liuium dicit) discordia & seditio o- lib. 34. mnia opportuna insidiantibus facit, quum pars quæ domestico certamine inferior sit, externo potius se applicet quàm ciui cedat. Hæc verba sicuti longè alium autorem quàm Machiauellum habent, ita eius doctrinæ planè aduersantur. Itaque Machiauelli impudentiam mirari satis non possum, qui in T. Li-

uium commentationes edere ausus sit, quem tam peruersè intelligeret, cuiúsque menti cõtrarias prorsus interpretationes affingeret. Sed vt ex eodem prȩstantissimo scriptore superiora confirmem, orationis T.Q.Capitolini (quã ad reconciliandam ordinum concordiam ad populum habuit) eam partem adiungam quæ ad hanc rem pertinet: „ Hostes „ (inquit) non vestram ignauiam contemsere, nec suȩ virtuti confisi sunt: quippe toties fusi fugatíq. castris exuti, agro multati, sub iugũ missi, & se & vos nouere. Discordia ordinum est venenum vrbis huius, patrum ac plebis certamina: dum nec nobis imperij, nec vobis libertatis, est modus: dum tædet vos patriciorum, nos plebeiórum magistratuum, sustulere illi animos.

Liu. Annal. lib.21. CARTHAGINIENSIS verò florentissimæ ciuitatis occasus, quæ res magis caussa fuit quàm ciuilis dissensio? Erant enim Carthagini duæ factiones. Vna Barchinorum, cuius Annibal cum omni Barchina familia erat: altera Hannoniorũ. Ceterum occiso Amilcare Annibalis patre, Asdrubal ipsius gener, Barchinæ factionis opibus, quæ apud milites plebémq. plusquã modicæ erant, haud sanè voluntate principum, imperio potitus est. Is quũ sub Amilcare imperatore belli artes didicisset, vt parem gratiam eius filio redderet, cum vix dum puberem litteris ad se arcessiuit: & acta res in senatu est, Barchinis nitentibus vt assuesceret militiæ Annibal, atq. in paternas succederet opes. Hanno alterius factionis princeps sententiam rogatus, ita censuit: Et „ æquum postulare videtur (inquit) Asdrubal: & ego „ tamen non cẽseo quod petit tribuendũ. Quum admira-

mirationc tam ancipitis ſententiæ in ſe omnes conuertiſſet. Florem ætatis (inquit) Aſdrubal, quem ipſe patri Annibalis fruendum præbuit, iuſto iure eum à filio repeti cenſet. nos tamen minimè decet iuuentutem noſtram pro militari rudimento aſſuefacere libidini imperatorum. Ego iſtũ iuuenem domi tenendum ſub legibus, ſub magiſtratib. docẽdum viuere æquo iure cum ceteris cenſeo: ne quandoque paruus hic ignis incẽdium ingens exſuſcitet. Pauci ac fermè optimus quiſq. Hannoni aſſentiebãtur: ſed vt plerumque fit, maior pars meliorem vicit. Miſſus Annibal in Hiſpaniam, primo ſtatim aduentu omnem exercitum in ſe conuertit, tum quòd Amilcarem viuentem redditum ſibi veteres milites crederent: tum propter eximias eius virtutes. Itaque Aſdrubale interemto ſummam imperij ad eum exercitus ſummo omnium cõſenſu detulit. Simulatq. imperator declaratus eſt, Hannonis vaticiniũ euentũ affirmauit. Fax enim fuit eorum bellorum quæ ipſius tãdem Carthaginis exſcidio finita ſunt. Neq. aliunde hæc incẽdia orta ſunt quàm ex potentium factionibus, qui odio magis partium quàm cura Reip. perpetuò alij in alios, Hannonij in Barchinos, ſententiis & ſtudiis in ſenatu certabant: atque id potius agebant vt numero & ſuffragiis ſuperiores eſſent, quàm vt melior ſententia vinceret. Neque vmquam aliter euenit vbicumque diſcidia vigent. nam factione & partium reſpectu (quæ ſemper offecere officiéntque publicis conſiliis) præoccupatæ mentes contradicendi potius quàm ſalubris ſententiæ expediendæ cura ſtudióque ducuntur.

AVORVM nostrorum memoria Aurelianæ & Burgundicæ familiarum factiones quàm fœda, quàm diuturna, incendia excitarunt, quibus Gallia sexaginta annos & eo amplius, arsit: donec Burgundicæ domus ruina restinguerentur. Ludouicus dux Aurelianus, Caroli VI. frater vnicus, pro symbolo vocem istam vsurpabat, ex aleæ lusu sumtam, Mitto. Dux Burgundiæ Ioannes suum quoque assumsit, Accipio: Regis fratrem æmulatus & ei parem se gerens, quũ diuitiis etiã superior esset. Ex tã paruo initio pugnantium symbolorum, quæ lancearum suarum supparis & versicoloribus sagulis militum inscribebant, velut ex scintilla, tantum incendium ortum est, tãtum animorum certamen, vt Dux Burgundiæ Aurelianum ducem quouis modo interficere decreuerit: & exsequutus est. Aurel. ducis filij, quum vt in eius facinoris noxios animaduerteretur obtinere non possent, armis eam iniuriam vlcisci statuunt. Altera parte Ioannes copias colligit: ita propter duarum illustrium familiarum certamina Gallia in duas partes discessit. Aliquanto pòst Ioannes apud Monterellum ad Sequanæ & Yonæ confluentes fœdè interemtus est. Hãc patris necem Philippus filius vlciscens, fœdere cum Anglis inito, illos in Galliam adduxit, cuius tertiam propè partem occuparunt. Tandem inter eum & Carolum septimum pax facta est. Sed Philippi filius Carolus Regi Galliæ diffidens ob auita & paterna odia, Ludouicum XI. adoriri conatus est: sed ille Carolo longè sollertior tot aduersus eum hostes vndique exciuit, vt Burgundica domus oppressa mole corruerit. En fructus dissensionum, quas Machiauellus tantopere com-

commendat Principi. Qua de re luculentum Cominæi ellogium extat. Dicit enim ille diſſenſiones ſerere facillimum eſſe, ſed in quibuſcumque prouinciis illæ radices egerint, iis ingentium cladium & vltimi exitij prænũcias eſſe. quemadmodum multis regnis & ciuitatibus ſæpe vſuuenit. Com. lib. 2. cap. 5.

INTER cetera exempla eius rei quę profert Cominæus, Lanclaſtricæ domus aduerſus Eboracenſem contentiones in Anglia, quàm periculoſæ ſint factiones, documento eſſe teſtatur. Quum enim ſepties aut octies ſignis collatis certaſſent, ac variis prœliis cæſi eſſent octoginta fermè regiæ ſtirpis Principes & viliorum capitum magna vis, vix tandem Lanclaſtricæ domus ruina diſcidium illud finitum eſt. Præterea iis diſſenſionibus factum eſſe ſcribit vt multi ex Anglia proceres & Principes in exilium pellerentur; atq. inter alios vidiſſe ſe quemdam domus Lanclaſtricæ ducem, eius factionis Principem, ſororium Edvvardi IIII. qui quum Anglia profugus in Burgundiam veniſſet, comitatum Caroli Burgũdiæ ducis pedibus diſcalceatus & ſine caligis ſequeretur, & oſtiatim ſtipem emendicaret. Ibi quoque tragicos & luctuoſos exitus Ducis Beruicenſis, Edvvardi & Henrici regum, Principis Vvalliæ, Gloceſtriæ & Somerſeti ducum, commemorat: quos ſine horrore audire aut legere non poſſumus, quin inteſtina diſcidia, partes, & factiones, toto animo exſecremur. Com. lib. 5. cap. 4. & 7.

BELLO ſecundo Punico quum ſimul creati cõſules eſſent M. Liuius & C. Claudius Nero, inter quos antè nobiles inimicitiæ erant, ſenatus veritus ne ex ipſorum in magiſtratu ſimultatibus Reſpub. Liu. Annal. lib. 6. 27. & 26. 4. & 8.

detrimentum acciperet, monuit eos vt misso verè ac finito odio in gratiam redirent. Liuius magis implacabilis erat, & nihil opus recõciliatione esse aiebat. Acrius & intentius omnia gesturos, timentes ne crescendi ex se inimico collegæ potestas fieret. Vicit tamen autoritas senatus, vt positis simultatibus, cõmuni animo consilióq. administrarent rempublicam. Meminerant enim quum Tribuni militũ quatuor essent, T. Quintius Pennus, C. Furius, M. Posthumius, A. Corn. Cossus, ignominiam & cladem acceptam ad Veios certaminibus inter se imperatorum. Tendendo enim ad sua quisque consilia, quũ aliud alij videretur, hosti ad occasionem victoriæ locum aperuerunt. Idem etiam accidisse postea recordabantur L. Virginio & M. Sergio tribunis militum, qui priuatim alter alteri inuisi & infesti Remp. in discrimen ad Veios adduxerant. Sed maximè insigne & recens exẽplum clades Cannensis in oculis erat, quæ duorum imperatorum Pauli AEmilij & Terentij Varronis altercationibus, & discordia accepta fuerat. His ergo exemplis adductus senatus Liuium & Neronem consules hortatus est vt simultates finirent, Reipubl. quàm ipsis periculosiores. Illi tot Principum ciuitatis consensu victi, inimicitias deposuerunt. Itaque quum vno animo & summa concordia bellum gererent, Asdrubalem, sexaginta millibus armatorum in Italiam ingressum & castra Annibalis castris iungere parantem, cum omni exercitu deleuerunt. Dux hostium Asdrubal eo prœlio cecidit, & iussu Neronis consulis eius caput ante hostium stationes proiectum est. Eo viso Annibal, tanto simul publico familiarique

risque ictus luctu, agnoscere se fortunam Carthaginis fertur dixisse. Eum fratris mortem luctu prosequentem & Romanam constantiam mirantem sic inducit Horatius: Horat.lib. 4.Carm. Od.4.

Merses profundo, pulchrior euenit:
Luctére, multa proruet integrum
Cum laude victorem, gerétque
Prœlia coniugibus loquenda.
Carthagini iam non ego nuncios
Mittam superbos. occidit occidit
Spes omnis & fortuna nostri
Nominis Asdrubale interemto.

Itaque M. Liuij & C. Neronis reconciliatio vrbi atque imperio saluti fuit: vt, sicuti antea Pauli AEmilij prudentissimi, & Terentij Varronis temerarij ducis, certaminibus Resp. propè ad vltimum discrimen adducta & imperium prolapsum erat: ita hæc concordia consulum non tantùm labantem fortunã pop. R. sustinuerit, sed etiã paulò antè stratam humi & afflictam rem Romanam erexerit ac sustulerit, contusa Annibalis & Pœnorum ex prosperis prœliis ad Thrasymenũ & Cannas superbia. Concordia Reip. vtilissima.

QVARE concordiam, non dissensionem, Reipubl. vtilẽ & salutarẽ esse his exemplis liquet. Atque in eam sententiam memorabilem Fabij Maximi Rulliani ad populum Romanum orationem attendere operæprecium est. Eum quum quintùm consulem populus cum L. Volumnio diceret: Fabius, Dij approbent, inquit, quod agitis acturíq. estis Quirites. Ceterum quoniam in me, quod vos vultis, facturi estis, in collega sit meæ apud vos gratiæ locus. P. Decium expertum mihi concordi col Liu. Annal. lib. 10.

legio virum, censura & duobus simul consulatibus gestis, quæso mecum consulem faciatis. Quippe hunc senectuti suæ adminiculũ fore: nihil concordi collegio firmius ad rempubl. tuendam esse. nouo imperij socio vix iam assuescere senilem animum posse: cum moribus notis facilius se communicaturum consilia. Subscripsit orationi eius Cõsul cùm meritis P. Decij laudibus, tum quæ ex concordia Consulum bona, quæque ex discordia mala in administratione rerum militarium euenirent, memorando, & admonendo Decium Fabiúmque, vt vno animo vna mente viuerent. Ceteris verò non iusta tantùm suffragatio visa, sed tanta populi lætitia & gratulatio fuit, vt quum omnes centuriæ Q. Fabiũ, P. Decium consules dicerent, præciperetur victoria animis, triumphúsq. non bellum decretum consulibus videretur. Tantum in concordia spei vel momenti ad Rempublicam egregiè belli ac domi gerendam ponebant.

Liu. Annal. lib. 5. ROMANIS Veios obsidentibus, quum accepta apud Veios calamitas, & horæ momento agger vineæq. longi temporis opus incendio hausta essent, neque operibus reparandis, neque stipendio militibus persoluendo (quibus paulo antè æra publicè constituta erant) ærarium sufficere poterat. Ea res quum mæstitiam omnibus, senatui curam metúmque iniecisset: repentè, quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, consilio prius inter sese habito, senatum adeunt, factáque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt. Quibus quum amplissimis verbis gratiæ ab senatu actæ essent, famáque forum atq. vrbem peruasis-

uasisset, subitò ad curiam fit concursus plebis. pedestris ordinis se aiunt nunc esse, operámq. reip. extra ordinem polliceri, seu Veios, seu quò aliò ducere velint. Tum verò iam superfundenti se lætitiæ vix temperatum est. non enim sicut equites, dato magistratibus negotio, laudari iussi: neque aut in curiam vocati quibus responsum daretur: aut limine curiæ continebatur senatus: sed pro se quisque ex superiore loco ad multitudinem in comitio stantem voce manibúsq. significare publicam lætitiam: beatam vrbem Romanam, & inuictam & æternam illa concordia dicere. laudare equites: laudare plebem: diem ipsum laudibus ferre: victam esse fateri comitatem benignitatémque senatus. certatim Patribus plebíque manare gaudio lacrymæ. Donec, reuocatis in curiam Patribus, senatusconsultum factum est vt Tribuni militares, concione aduocata, peditibus equitibúsq. gratias agerent: memorē pietatis eorum erga patriam dicerent senatum fore. Scilicet hæc vniuersi senatus populíque R. de concordia ordinum sententia erat: nedū vt factiones partium vtiles esse crederent.

VERVM tamen, etsi concordia ciuium Reipub. incolumitatem niti existimem, non propterea necesse esse iudico vt quicumq. Rempubl. capessunt per omnia & ingenio & oratione sint similes. Existere enim in eadem Republ. faciles & graues, comes & tristes, seueros & lenes, Appios & Poplicolas, Catones & Cæsares, vtile est. Vt enim in fidibus si nerui omnes similem sonum ediderint, harmonia nulla est: sed ex dissimillimarum vocum moderatione concentus congruens & concors efficitur. Ita

qui ad Remp. administrandam vel ad Principis consilium adhibentur, si nihil inter eorum ingenia & habitus animorũ intersit, nihil admodũ amplum aut quod è Rep. sit præstare poterunt. Sin verò in rebus deliberandis & consilio capiendo ita diuersis morib. ac iudiciis comparati sint vt in eũdem omnes scopum, publicum videl. bonum, colliment, longè certior clariórque rerum & caussarum veritas ex illa sententiarum dissimilitudine & velut concordi discordia emergit, quàm si absque vlla varietate omnes idem atq. vnum sentirent. Itaq. in summa quaque ciuitate vbi ciues cum ciuibus de virtute certant, dissensio hæc salubris est: neque olim Romana ciuitas, nondũ publica iurgia, odia, simultates, seditiones, experta, ciuilis tamen huius discordiæ expers erat: si quidem Tullo Hostilio Rom. regi credimus. Is enim Metio Fufetio Albanorum „ dictatori dissidia exprobranti ita respondit: Dissen„ siones quas nobis Fufeti obiicis ad salutem Reip. conducunt, non perniciem. Contendunt enim Romani vtri plus ei prosint, maiores an iuniores, indigenæ an aduenæ. Ac quum imperatori duæ dotes adesse debeant, in bello virtus, in consiliis prudentia: non factione cum factiosis, sed cum strenuis virtute, cum sapientibus sollertia & prudentia, certamus. Hæc igitur in consultationibus opinionum & sententiarum discrepantia, in Reip. salutem tendentium, iucundissimam ex rerum dissimilium consensu & concordia harmoniam efficit.

PRIVSQVAM hoc argumentum finiam, illustre vnum testimonium Cominæi (cuius autoritatem plurimi facio) hîc addam. Is eadem de re agens ita

ita scribit: Atq. vt agam de factionibus & partibus, (inquit) periculosissimæ sunt, præsertim nobilibus, qui ad eas alendas plus æquo proni sunt. Siquis fortè dixerit, fore vt hac ratione noua intelligant, & vtraque pars alterius metu contineatur: equidem facilè patiar vt Princeps adolescens eiusmodi simultates inter mulieres nobiles suscitet. Ita enim habiturus est ridendi & sui oblectandi materiam, & omnia earum arcana nudabit. Verùm alere discidia inter homines (præsertim Principes & magni animi viros) ita periculosum est vt nihil amplius esse posit. Hæc Cominæus. Ego verò quod ad nobiles feminas attinet, malim inter eas tale certamen incidere, quale incidit olim inter Romanas mulieres. Romæ ad ædem rotundam Herculis sacellum Pudicitiæ patriciæ erat, vbi nulla nisi spectatæ pudicitiæ matrona ius sacrificandi haberet. Eò ingressam Virginiam Auli filiam patriciam plebeio nuptam L. Volumnio consuli, matronæ quòd è Patribus enupsisset, sacris arcuerant. Breuis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit: quum se Virginia & patriciam & pudicam in patriciæ Pudicitiæ templum ingressam: & vni nuptam ad quem virgo deducta sit; nec se viri honorúmve eius ac rerum gestarum pænitere verò gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. in vico Longo vbi habitabat, ex parte ædium quod satis esset loci modico sacello, exclusit: arámq. ibi posuit: & conuocatis plebeiis matronis conquesta iniuriā patriciarum, Hanc ego arā, inquit, Pudicitiæ plebeiæ dedico: vósq. hortor vt quod certamē virtutis viros in hac ciuitate tenet,

Com. lib. 6. 13.

Factiones inter feminas ridiculæ.

Liu. Annal. lib. 10.

hoc pudicitiæ inter matronas sit: detísq. operam vt hęc ara, quàm illa, siquid potest, sanctius & à castioribus coli dicatur. En dignũ feminis probis & honestis certamen, vt quemadmod. virtutis inter viros æmulatio est, sic inter mulieres pudicitiæ sit. Sed multo aliarum rerum inter matronas nobiles hodie contentio est. Neq. enim de rebus ad pudorem & sanctitatem feminarum pertinentibus, sed de ornatu, cultu, munditiis, inter se certant; quæ elegantius saltare, psallere, fucare se & comere docta sit, & cetera agere: quæ mulieres non in sacellum Pudicitiæ patriciæ, neq. in aram plebeiæ Pudicitiæ, sed longè diuerso itinere deducunt.

XXXI. THEOREMA.

Ciuiles seditiones ac dissensiones vtiles sunt; minimè verò damnandæ.

Comm. lib. 1. cap. 4.

LONGE aliter ac multi opinentur (inquit Mach.) affirmo dissensiones ac seditiones ciuiles bonas atq. vtiles esse, ac per eas Romam in tantã Imperij magnitudinem fastigiúmque ascẽdisse in quod olim euecta est. Scio nonnullos esse qui virtute bellica & secũdo fortunæ flatu eò perductam esse existimẽt: sed illi non satis reputant rem militarem sine

ſine aliquo more, ſine diſciplina, admini-ſtrari non poſſe: atq. recta diſciplina boniſ-que moribus ferè proſperam fortunā fieri. Iam verò certū eſt è ſeditionibus natos eſſe bonos mores & præclara inſtituta, quæ Romæ viguerūt. Deniq. egregia facta aut exē-pla veterum Romanorū ex eo fonte, nimi-rum ex ſeditionibus, manaſſe. Præclara e-nim exempla ex recta educatione profici-ſcuntur, recta educatio ex bonis legibus at-que inſtitutis: bonarum verò legum cauſſæ ſeditiones ſunt atq. inteſtina diſcidia, quæ à multis nimiùm temerè damnantur.

VTINAM Machiauellus ceteriq. eius ſectæ, quibus ſeditiones vtiles & fructuoſæ videntur, eas cum omni vtilitate quæ ex iis percipi poteſt ſibi ſeruaſſent & ſuis, neq. eius mali tabem, veluti peſtifero cōtactu aut afflatu, finitimis impertiuiſſent. Gallia quidem non tantùm facilè ſed etiam libenter caruiſſet diſcidiis & ciuilibus bellis, quibus tantum ſanguinis domi perditum, tot euerſæ domus, tot calamitates inuectæ ſunt: neq. Machiauellitas tranſgredi Alpes propterea neceſſe erat, vt inter nos ſeditiones ſererent. Id ſi ita eſſet, tam deformem Galliæ ſpeciem, tot vulneribus laceratæ, &, pluſquam dimidia virium parte detracta, miſeriis & macie peremtæ, qualem hodie cernimus, non videremus: neque infelicis populi reliquias tot annorum cladibus ex-

haustas, & ad tantas rei familiaris angustias tantámque rerum omnium inopiam redactas, vt nihil reliqui præter terram nudam ac vastam habeant. Intestinis enim discordiis Reipubl. opes adeo attritæ sunt, vt cultura agrorum & commerciorum libertate turbata (quibus duobus, vberrima rerum omnium copia quæ ad victum hominum cultúmq. pertinent paratur) clarissimis & opulētissimis quibusque domibus pudendam ad inopiam delapsis, Regnum ex florentissimo egētissimum factum, ne nomine quidem Regni dignum sit. Vt enim sylua, quæ procerissimis quibusque & eminentissimis arboribus exscissis, sentes tantùm & rubos humiles alit, non syluæ aut nemoris, sed dumeti modò aut vepreti, nomen obtinet: ita Regnum aut Ciuitas, in quib. nobilissimis & vetustissimis familiis egestate perditis ac exstinctis, nihil præter nomen & deformeis ruinas superest, desertæ cuiusdam solitudinis aut Cyclopicæ barbariæ potius quàm Regni aut Reipub. nomen meretur.

Ciuiles discordiæ publicas & priuatas opes exhauriunt: agriculturæ commerciorúmq. vsu sublato.

PORRO argumentum quo Machiauellus abutitur ad seditiones probādas, non modò fœdum sed etiam ineptum est. Nam si seditiones aliquando nō propriè causam sed occasionem præbeāt bonis legibus atq. institutis condendis, an continuò sequitur bonas esse? Ea ratio simillima est philosophi cuiusdem argumento (quod ab Agellio deridetur) qui defendere conabatur febrem quartanam bonam & vtilem esse, quòd sobrios & temperantes homines reddat, efficiátque vt cibo & potu abstinenter & moderatè vtantur. Eiuscemodi seu philosophastri, seu sophistæ, qui absurdas opiniones

iuuehere

inuehere amant, digni sunt qui ablegentur sine vllo responso cum suis seditionibus & febribus quartanis, vt ex illis fructus quos venditant capiant. At numquid communi prouerbio fertur, Ex malis moribus enatas bonas leges? Quid tum? quis inde efficiet vt mali mores boni sint, id est, lucem tenebras aut tenebras lucem vocemus? Nemo est tam imperitus quin sciat Leges à legumlatoribus scriptas & latas ad mores corrigendos & castiganda vitia. Vbi nihil contra morem peccatur, vbi nulla libido est quæ coerceatur, nullis legibus opus est. Sicut enim « (vt inquit Cato) antè morbos necesse est cognitos « esse quàm remedia eorum: sic cupiditates prius natæ sunt, quàm leges quæ iis modum facerent. Itaq. vitia & libidines bonis legibus certè occasionem præbent: Principes tamen, iuris æqui conditores & legumlatores, earum veræ caussæ sunt: ita vt nemo sanus propterea flagitia & prauas cupiditates bonas & laudabiles esse dixerit. Liu. Annal. lib. 54.

PRAETEREA ne id quidem, quod Machiauellus pro confesso assumit, vsquequaque & perpetuò verum est. Seditiones à duobus Gracchis Romæ commotæ, quibus tã multi mortales absumti sunt, quas bonas leges dedere? Meritam quidem vtrique necem attulere, sed nullius bonæ legis aut sanctionis caussæ fuerunt. Quomodo enim potuissent, quũ ad leges iniquissimas ferendas, & possessores suis sedibus pellẽdos, essent comparatæ? Nam Tiberius Gracchus seditiosis actionib. eò tendebat vt legem Agrariam inuitis omnibus bonis perferret. Ne quis videlicet ex publico agro plus D. iugera possideret: id est, vt qui nullum habuerat agrum, haberet: qui Florus lib. 58. 60. 61.

autem habuerat, amitteret. Atq. in eum furorẽ exarsit, vt Octauio collegæ pro bono publico stanti, imperium abrogaret: triumuiros agris diuidundis coloniisq. deducendis, crearet se socerúmq. suum consularem Appium & Gracchum fratrem. Itaq. tot indignitatibus grauiter commoti senatus optimates, atq. equestris ordinis pars melior & maior, & intacta perniciosis consiliis plebs, autore P. Cornelio Scipione Nasica, irruêre in Gracchum in Capitolio, & interfectũ in flumen proiecere. Paucos pòst annos C. Gracchus eiusdẽ exẽpli tribunatũ ingressus, eãdem legem agrariã, quam frater eius tulerat, promulgare conatus est: mox etiam alteram non minus perniciosam, qua equestrem ordinem, tunc cum senatu consentientem, corrumperet, vt sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur: & quia illis temporibus CCC. tantùm senatores erant, IↃ.C. equites trecentis senatoribus admiscerentur. id est vt equester ordo bis tantum virium in senatu haberet, factio haud dubia Gracchi, cuius beneficio in curiam venirent. Verùm quum ea lex nobilitatis opprimendæ esset, Gracchi actionibus obuiam iit. Itaq. L. Opimius Consul ex s. c. vocato ad arma populo C. Gracchum cum M. Fuluio Flacco consulari ac triumphali viro, quem Gracchus in locum Tiberij fratris III virum nominauerat, sociúmque tribunitiæ potestatis assumserat, morte adfecit. Denique Gracchos, Tiberij Gracchi summi viri filios, Africani nepotes, viros optimis ingeniis malè vsos, agrariæ contentiones perdiderunt: nihílq. aliud ex pessimis legibus consequuti sunt præter immaturã & violentã mortem cũ multorum ciuium pernicie.

Hoc

Hoc igitur initio in vrbe Roma ciuilis ſanguinis facto, diſcordiæ ſequentes ciuium, non iure & conditionibus vt antea, ſed ferro diiudicatę: pręſertim quæ ex Octauij, Lepidi, & Antonij triumuirorum ſocietate eruperunt, quid addiderunt Reipublicæ? Quid? niſi longam malorum ſeriem, diuturna bella ciuilia, infinitas proſcriptiones & ciuium cædes, inopiam & rapinas prouinciarũ? poſtremò libertate oppreſſa verſum ſtatum ciuitatis, & in Reip. ruinis exſtructum principatum? Nam etſi Prouinciæ ac ſubiectæ Rom. imperio gentes cum rerum ſtatum non abnuerunt, neque plurimum ex ea mutatione incommodi accipere viſæ ſunt, quia bonus ac moderatus Princeps Auguſtus obtigerat: paulo pòſt tamen ſub aliquot Principibus qui Auguſto ſucceſſerunt & tyrannicè dominati ſunt, (Tiberio videl. Caligula, Claudio, Nerone, Othone, & Vitellio) bona libertatis incaſſum diſſerere & mala ſtatus in deterius verſi ſentire cœperunt. Dion. In Auguſto

HERODIANVS ſcribit Græcos eo vſque diſcordia ſua & ciuilibus bellis redactos, vt dum eminentiſsimum quemque tollere è medio conantur & ſeditiones inter ſe agitant, non gloriam tantùm dominationis ſed libertatem quoque amitterent. Nam Macedoniæ reges, deinde Romani, velut è ſpecula quadam libertati omnium inſidiantes, dum contentiones ciuitatum alunt, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter ac victores iniquam ſeruitutem ſubire coegerunt. Ita Græciæ ciuitates libertate & fortuna parum modicè vſę, dum imperare ſingulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt. Immò ne poſtea quidem quàm Romanum impe- Herod. lib. 3.

rium ſubierunt, à ſeditionibus temperare ſibi poterant: præſertim quum plures de Imperio certarent. Nam tum aliæ aliarum praua æmulatione atq.odio inſtinctæ ſcindebantur in ſtudia, & diuerſas partes fouebant. Quæ res florentiſsimis ſæpe ciuitatibus exſcidij cauſſa erat. quemadmodum Seuero imperante iis accidit qui Nigri opes iuuerant.

Comment. Cæſ.lib.1. & lib.6. GALLIA, priuſquam à Romanis ſubacta eſſet, in Ciuitates ita diſtincta erat (ſicut ex Cæſaris commentariis liquet) vt ſocietate inter ſe omnes iunctæ eſſent, & certo anni tempore publicum gentis Concilium agerent, in quo de ſummæ Reipubl. cauſsis & negotiis deliberabant. Porro ante aduentũ Cæſaris, diuiſa erat Gallia in duas potiſsimùm factiones. Harum alterius principes erant AEdui, alterius Aruerni, quibus adiuncti erant Sequani. Hi ergo, quaſi parum parti vtrique domi armorum belliq. eſſet, Germanos ductore Arioiſto: illi Romanos ad auxilium partium exciuere. Cæſar Galliam ingreſſus quum has contentiones, quæ vltro inter concordes ſtruendæ erant, inter diſcordes opportunas ſuis rationibus iudicaret, ſtudioſè illas aluit & auxit, donec vniuerſam Galliam Romano imperio adiungeret. Quam quum in prouinciæ formam redactam vt ditiſsimam omnium prouinciarum Romani exiſtimabant, ita ex ea ingens vectigal capiebant. Itaque ex quo in ius Romanorum conceſsit, tanta tributorum & fenoris ſæuitia à Præſidibus Romanis vexata eſt, vt ſeditiones exſecrari & priſtinæ libertatis meminiſſe ſæpius cogeretur. Sed latrociniis & rapinis honeſtum titulum Romani prætendebant: Nimirum egeſtate atque inopia

Gal-

Gallos in obsequio ac fide cõtinendos, ne aduersus Romanos, multis bellis expertos ac sæpe etiam victos, rebellionem meditarentur. En seditionum fructus.

DECEMVIRI, Romæ iuri condendo pro Cõsulibus creati, Remp. occupare, & magistratum vltra legitimi imperij tempus cõtinuare, conati sunt. Neq. ad ea quæ moliebantur quidquã magis idoneũ repererunt quàm Seditionem. Quamdiu enim inter Patres & plebem discidia & certamina fouere potuerunt, tamdiu eorum tyrannis firma & valida stetit. Sed simulatque Decemuirorum sæuitia ordines redire in concordiam subegit, eorum imperium extemplo dissolutum est. Hoc verò exemplo vix vllum aptius est ad confirmandum Machiauelli præceptum, si spectemus eum finem quem ipse sibi proposuit, nimirum vt tyrannici Principatus instituendi rationem doceret. Quid enim tyrãno ad firmandas iniustæ dominationis opes magis opportunũ esse potest, quàm seditiones & ciuiles discordiæ? Verum de tyrannicis actis atq. artibus multùm ac sæpe antè disserui. Exempla & cetera quę ad hũc locum pertinent, illinc peti poterunt. Nunc vlterius propero.

Dionys. Halyc. lib. 11.

XXXII. THEOREMA.

Subditi in pace, concordia & fide, facillimè retineri, & prohiberi à motu ac rebellione, possunt, si inopia cohibeantur.

Comm. lib. 1. cap. 1. 2. lib. 2. cap. 7. lib. 3. cap. 16. & 25

VRBES in solo sterili & inferaci positæ (inquit Machiauellus) ferè concordes & tranquillæ sunt: propterea quòd incolæ cultura agrorum & labore occupati, facultatum atq. otij ad seditiones ciendas copiam non habent. Vrbes contrà fertili in terra & vbere circùm agro sitæ, maximè in res nouas & rebelliones pronæ sunt. Dissensiones enim discordiæq. hominum non nisi ferè ex nimiis opibus rerúmq. omnium abundantia oriuntur: neque populus diuitiis affluens facilè regi sese patitur. Itaque Romani Colonias suas paupertate in fide continebāt, & paucos agros colonis assignabant, ne rebellare possent. Immò in ipsa vrbe perdiu Paupertati honos fuit: neq. ea obstabat quominus & virtute ciues pollerent, & summis Reip. muneribus adhiberentur: cuiusmodi fuere, Q. Cincinnatus, M. Regulus, Paulus Æmilius, qui quum pauperrimi essent, res tamē maximas gesserunt. Experientia quidem & ipsa perpetuò docuit docétq. suauiores ex paupertate quàm ex opulentia fructus percipi: & populum diuitiis atque otio luxuriantem ad res nouandas & exuendam fidem ferè procliuiorem esse. Quamobrem ei malo salubre remedium est, vt sub-

diti inopia cohibeantur, ne vel ſeipſos vel alios nimiis opibus corrumpant.

Hoc prę̨ceptum eius conſilij quod Guimandus Egidio dedit (qui Rom. Imperatoris legatus Sueſsionum vrbi & finibus cũ imperio præerat) ſimillimũ eſt ac propè geminũ. Childerico I I I. Frãcogalliæ regi, hic Guimandus, nobilis eques Gallus, prudentia inſignis & manu ſtrenuus, intimus amicitiæ & conſiliorum erat. Rex aliquamdiu luxui ac voluptatibus deditus, vt libidines expleret ingentia & iniqua tributa populo indicere coactus eſt. Id grauiter tulere Francogalli, qui tum aſpero & duro ingenio erant (vt inquit hiſtoriæ ſcriptor) itaque Regem capere & in cuſtodiã tradere, iuuenes verò & prauos conſiliarios, quos ſecum habebat, ab ipſius latere & conſuetudine arcere ſtatuunt. Id vbi Childericus comperit, ſciſcitatur ex Guimando quid facto opus ſit. Ille ſuadet vt fuga ſibi conſulat, & iræ Francorũ & tempori cedat: ſe interea dum ipſe abeſſet, placaturum animos & curaturum vt ab exilio reuocetur. Tum annulo in duas partes fracto, alteram partem Regi tradens, Rex Childerice, inquit, quum alteram huius annuli partem quam mihi ipſe aſſeruo, ad te mittã, eo tu indicio & ſigno cognoſce tutum tibi reditum in regnum patere. Childericus igitur ad Thuringiæ regem perfugit. eo abſente Frãcogalli Egidium maioris Galliæ partis Pręſidem (quam etiam tum Romani tenebãt) regem ſibi prę̨ficiunt. Is Guimandum, cuius ea tempeſtate prudentia inclyta & celebris erat, arceſsitũ ad ſe inter

Annal. in ann. 458.

amicos accipit, & in consilium adhibet. Guimandus verum animum dissimulando, apud Romanũ præsidem nouem annorũ spatio ita dextrè se gessit, vt fidei tamen beneuolentiæq́. in Childericum nũquam oblitus sit. Nam inter cetera quæ huic nouo regi persuasit, admonuit, Gallorum ingenia nõ nisi sæuo & duro imperio posse subigi. proinde videret ne ditescerent: illos inopiã moderatius quàm abundantiã laturos: quippe Gallos bonis intemperanter abuti & lasciuire otio, vbi effusè affluant opes, & rebellionẽ moliri, consuesse. Tam callido consilij commẽto (cuius exitum talẽ exspectabat qualis accidit) Romanum præsidẽ facilè adduxit vt ingentibus tributis & oneribus nouis Gallos grauaret, & potentiam in superbiã ac sæuitiã verteret. Itaq. Frãcogalli (consilio & occulta factione ipsius Guimandi) Childericum regem suum cõmuni cõsensu reuocarunt, cui alteram annuli partem quã sibi ipse asseruarat, Guimandus remisit. Regi redeunti nobiles Galli Francíq́. quum obuiam gratulatũ Barium vsque processissent, eum honorificentissimè exceperunt. Ipse verò, sublatis tributis ac vectigalibus nouis, ex eo sapienter & moderatè se gessit: ac ex Sardanapalo & deliciis effeminato rege, egregius ac strenuus Princeps factus, è Romanorum seruitute Galliam (cuius illi maiorem partem occupabant) vindicauit in libertatem, & Regni Francogallici fineis longè latéque propagauit. Quare vel ex hac vna historia satis liquet siue Machiauelli præceptum, siue ei compar consilium Guimandi, sicut Egidio exitiosum fuit, ita semper fœdum inceptu, fœdum exitu, fore.

IAM verò ne semper exemplis, sed aliquando argumentis, pugnemus, nemo mihi (opinor) negauerit vtilius esse Regi vt diuitis & opulentæ alicuius prouinciæ, quàm sterilis & inopis, principatum obtineat. Quum enim Principis magnitudo & potentia populi multitudine nitatur, arida & inops regio neque magnum populum capere neque alere potest: ea fundendo quæ ad victum cultúmque pertinent, fruges, vina, herbas, pecunias, ceteráque ad vitam tuendam necessaria. Denique ad Regni opes tuendas, tenendas atq. amplificandas, diuitiis atque omnium rerum copia nihil aptius est. Neq. propterea quòd alicubi Machiauellus de bello agens, falsum esse asserit quod vulgò dicitur, Pecunias neruos esse belli, ideo minus hoc verum esse putandum est. Nam vt verum sit (quod Machiauellus inepta quidem & intempestiua subtilitate, veluti nouum & singulare, adfert) non pecunias sed strenuos milites belli esse neruos: torpescerent tamen isti nerui, neque præclari quidquam ederent, nisi pecuniis, veluti fotu quodam & calore adhibito, excitarentur. Itaque etsi pecuniæ nerui belli non sunt, quia per se ac sponte nusquam mouentur, adminicula tamen sunt quibus nerui ipsi impelluntur: sine quibus milites nihil agerent, aut certè sine mercede rebúsque æqualis cum pecunia pretij, sine victu, sine cultu, sine armis. Nam siquis obiecerit, extitisse atque esse gentes aliquas inopes simul ac bellicosas, quarum opes non diuitiis, sed virtute animi & duritia corporis, censeantur (quales videri poterant Alexādri Magni tēporibus Macedones, qui collati cum ceteris Græcis

Principis potentia & opes in ditionis suæ vbertate & opulentia sitæ sunt.

egentissimi erant, Persæ etiam & Medi: hodie verò quoque Scythæ ac Tartari: & ante centum annos Heluetij) plurima habeo quæ respondeam. Primùm non nego horridæ & infrugiferæ regionis incolas natura bellicosos esse posse, sicut ferè Septentrionales sunt, inter quos numerantur Macedones, Scythæ ac Tartari: immò Heluetij quoq. ipsi & Germani in Septentrionem vergunt. Sed martia hæc indoles paupertati minimè tribuenda est. nam in Africa, America, multis Asiæ locis, insulísq. plurimæ sunt gẽtes imbelles simul atq. inopes. Neq. gẽtes illas sua sponte bellaces, si ex egentissimis opulentę in sua terra euaderent, virtutem amissuras puto. Heluetios quidem hodie in summis opibus nihilo minus fortes ac strenuos prœlio cernimus quàm quum ante centum annos ducem Burgundiæ ad Moratum fuderunt. quo tempore adeo diuitias ignorabãt vt plurimi eorum vasa argentea à stanneis dignoscere nõ possẽt, vt scribit Cominæus. Macedonũ quoq. induratam assiduis bellis virtutem diuitiæ, quas immensas subacta ductu & auspiciis Alexandri Asia, cumularũt, non fregere. Romani quum sub initia & incrementa vrbis pauperrimi essent: crescente tamen in dies publica & priuata omnium fortuna, neque timidi ex fortibus neq. ignaui ex strenuis facti sunt. Itaque neque regionis miseria, neque terræ infœcunditas, populum fortem & bello inuictum reddit, sed fortè cæli natura atq. indoleś, quæ multum adiuuari videtur, quum regio veterem egestatem noua opulentia commutat.

Hic siquis mihi rursus obiecerit, plurimos & Principes & priuatos homines sumtuosos diuitiis

per

per turpitudinem & flagitium abuti (vt Caligulam qui sexagies septies millies mille aureos & quingenta præterea millia, non toto vertente anno absumsit : vt Iulium Cæsarem qui ingentes thesauros, quos ex Galliæ manubiis congesserat, largitionibus immensis effudit, multósq. alios) huic ego bifariam respondeo. Primùm enim quis inde colligat pecunias idcirco malas esse, quia iis nonnulli abutantur? Nam neq. si quibus diuitiæ ludibrio fuisse videntur, nulli contrà sunt qui iis honestè vtantur. Præterea conclusionem hoc loco à specie ad genus valere posse nego. Nam vtilius quidem fore Reipubl. haud negem, si in ea plures domus extiterint mediocribus copiis instructæ, quàm si paucæ fuerint diuitiis affluentes. Immodica enim sæpe opum abundantia possessorem temperantiæ fineis transilire subigit, & in exitium trahit. Sed vt demus nimiam exuberantiam opum singulis & priuatis hominibus prægrauem & noxiam esse, vniuersæ tamen prouinciæ aut ciuitati obesse eam posse non sequitur : immò quò ditior fuerit, eo validiorem fore, si modò ita opibus in commune valeat, vt singuli propriis ac priuatis pecuniis non abutantur. Quod quidem periculum facilè vitabitur, si non tantùm illi bonis legibus & magistratibus regentur, sed etiam si singuli nō priuatum vltra modum exundantes, sed mediocres, & vt cuiusque sors & dignitas feret, fortunas & copias habebunt. Nam, sicuti omnium rerum, ita facultatum, modus est optimus : quando etiam earum adminiculo ad virtutem assequendam & exercendam vtimur : nimiæ, sæpius præcipites & perniciosæ sunt: vt Cæsaris ætate multis Romæ cōtigit. Quum enim

Diues Publicum esse, quàm priuatos præstat.

illis diuitiæ ſuperarent, infirmos & impares eorum animos à virtute & bonis artibus ad luxum & rerũ nouarum ſtudium inflexerunt.

Princeps gazis cumulandis incũbere nõ debet.

CETERVM quum dico immodicas opes ſæpius ſingulis pernicioſas eſſe, ne ipſius quidem Principis perſonam excipio. Neq. enim aut honeſtum aut vtile eſt, Principem ipſum accumulare opes immenſas & ingentes gazas extruere: quæ vel hoſtilis auaritiæ irritamenta & illecebræ, vel poſt ipſius mortem litiũ & diſsidiorum ſemina futura ſint. Ferè enim theſauri Principum malis potius quàm bonis cauſſam & materiem præbent, Illud vicies ac ſepties millies II.S. congeſtum à Tiberio & relictum, quid profuit? Quid, niſi vt Caligula per omne dedecoris genus immanes pecuniarum effuſiones faceret? quas facturus non videbatur, niſi paratas opes reperiſſet. Et quas reliquit Carolus, cognomento Sapiens, rex Galliæ, cui vſui fuerunt? Vt inter fratres odia & ſimultates ſererent. Nam quum eum theſaurũ Ludouicus dux Andium inuaſiſſet, ducum Biturigum & Burgundiæ animos offendit & à ſe alienauit: qui & ipſi vt auaritiam explerent, per omnia vectigalium & rapinarum genera in populi fortunas ſæuierunt. Sed ipſe Andicus illis opibus quò vſus eſt? Vt ſe & illas in regnis Siculo & Neapolitano ſubigendis perderet. Nimiæ diuitiæ Crœſum regẽ Lydorum ad bellum Cyro inferendum impulerunt, vt ſuas ipſe opes euerteret, ſicuti fecit. Immenſa vis auri & argenti Perſeo Macedoniæ regi, fiducia virium, ad ſuſcipiendum aduerſus Romanos bellum animos fecit, eúmque ac regnum eius in vltimum diſcrimen adduxit. Quare neque bonum neque vtile Principi eſt vt theſauris

ſauris cumulandis & recondendis ſtudeat. Quorſum igitur hæc pertinent? Principémne ergo nuda egeſtate conſpicuum eſſe oportebit? Minimè verò, ſed opulētum & diuitem. neq. enim aliter hoſtium vim atq. impetum propulſare poſſet. Sed ipſius theſauros in ſubditorum pecuniis atq. loculis ſitos & reconditos eſſe ſatius eſt. Itaque Principi danda erit opera vt ſubditi pace tuta & tranquillo otio fruantur & diteſcant: vrbibus ſua libertas, ſua iura & cōmoda, ſeruentur: libera vbiq. ſint commercia: agricolæ ceteríque extraordinariis & immodicis tributis leuentur: ne magiſtratus, tamquam hirudines, populi ſanguinem exſugant; ne latronum globi, aliæque rapacium hominum manus (qui propterea quòd fortè in equeſtri aliqua ala haſtatorum numerum locúmq. obtinent, aut quemcunque alium militiæ ordinem ducunt, agricolas vexant & lacerant) ſpecie & nomine militum palantes vagentur: néve vlli alij per cauſſam decimarum, vel tributorum exigendorum, vel quibuſcumque aliis honeſtis nominibus, miſeræ plebis fortunas impunè agant ferántque. Nam minuta plebs hodie profectò non minus exhauritur explendæ eorum cupiditati qui ſeu verè ſeu falſò magiſtratuum nomen vſurpant, quàm tributis Regi perſoluendis: quamquam in eo quoque genere multa intoleranda à Machiauelli diſcipulis inuecta & excogitata ſint. Hoc igitur ſi in animum inducat Princeps, efficiátque vt omnes ipſius ditionis partes diuitiis abundent, ſintque quamplurimæ locupletes & opulentæ domus: nullos certiores habebit quæſtores ærarios quàm ſubditos, nec qui pecunias ei liberalius, quoties neceſſe erit, ſuppeditent.

Theſaurus Principis certiſsimus in ſubditorū loculis.

Nobilitas egregiè equis armísque instructa, suo etiam sumtu, si res ita feret, vltro ad bellum ibit. Mercatores & plebeii homines pecuniam & milites conferent. Ecclesiasticus ordo decimas ad militiæ impensam volens dabit. Denique omnes pro suis quisque facultatibus Principem adiuuabunt: eósque habebit locupletissimos & certissimos thesauros quos in loculis subditorum condiderit. Quum enim ceteris quæstoribus & præfectis ærarij regij stipendia de publico assignari soleant (præterquam quòd callidè interuersis sæpe pecuniis, necopinante Principe, publico peculatu se pascunt) quæstores isti de quibus agimus nullam operæ mercedem à Principe flagitant: ex ærario non furantur: in eorum manibus tutiùs seruantur pecuniæ publicæ quàm in fisco Principis. Itaque veræ ac certæ Principis opes, & propè extra omnem periculi & iacturæ aleam positæ, in subditorum diuitiis sitæ sunt. Nam quæ ex publicis vectigalibus & tributis quæruntur pecuniæ, possunt vel quæstorum negligentia dilabi, vel eorumdem fuga aut perfidia auerti, vel bello aut naufragio, aut quocumque alio casu, perire: thesaurus verò quem populus penes se habet his tot casibus obnoxius non est. Quamobrem nulla ratione opes suas augere Princeps melius potest, quàm si populum sibi commissum clementer habeat, eúmq. temperata & salubri cura ac leuamentis onerum ditescere per otium sinat. Ad hũc modum Veneti, rei politicæ peritissimi, Rempubl. suam administrant. quippe apud eos capitale est de publico ærario seu thesauro instituendo verba facere: ceterum ciues copiis familiaribus adeo amplis sunt, vt Respublica

inopia

inopia laborare nequeat.

SVPERIORIBVS argumentis Machiauelli dogma satis mihi confutasse videor, ac docuisse Principi vtilius esse ad firmandas sui status opes subditos diuites quàm inopes habere. Nam inopia obedientiores & mansuetiores redditum iri, ac quamtumlibet grauia onera æquius faciliúsq. laturos, sperandũ non est. Hoc sentiebat Galba, quum relatum esset Vitellium moliri res nouas, dicerétque nullos minus metuendos quàm qui de solo victu cogitarent. Itaq. Vitellium gulæ & ventri deditum in summa rei familiaris egestate, nulli quidquam in se metuendum relinquere. Sed falsum id esse periculo suo tamdem expertus est, & docuit, hominem in rerum angustias redactum nullum non lapidem mouere vt animo & accensis longa egestate cupiditatib. satisfaciat. Hæc caussa, Inopia videl. Othonem ad Imperium rapiendum instigauit. Neq. enim dissimulabat (inquit Suetonius) nisi Principem, se stare non posse, nihílque referre ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet. Itaq. Cæsar dictator, prodigis, obæratis, & ceteris quos grauior criminum vel inopię luxuriæ've vis vrgeret quàm vt subueniri à se posset, palàm bello ciuili opus esse dicebat. id est, eos non alia ratione ex inopia & magnitudine æris alieni emergere posse, quàm si liceret publicè ac priuatim rapere (vt bellis ciuilibus fieri consueuit) & magnas opes paruo labore quærere. Nam (vt præclarè Sallustius scripsit) semper in ciuitate, quibus opes nullæ sunt, bonis inuident, malos extollunt, vetera odere, noua exoptant: odio rerum suarum mutari omnia student: turba atque seditionibus sine cu-

Paupertas ad res nouas molienadas impellit.

Suet. in Vit. cap. 7. in Oth. c. 5.

Suet. in Cæs. dict. cap. 27.

Sallust. in Catil.

ra alũtur: quoniã egeſtas facilè habetur ſine damno.

Dion Halyc. lib. 5. 6. 7 EIVS rei multa documenta exemplàq. habeo, ſi res poſtularet, quæ inopiam multarum diſſenſionũ bellorúmque ciuilium cauſſam & originem extitiſſe demonſtrent. Romæ crebras ſeditiones plebis accidiſſe legimus ob ſæuitiam fœneratorum, & caritatem annonę. Eiuſmodi in Gallia motus ſępe coorti ſunt. Annal. in eorum Regum vitis. Nam regnantibus Philippo Auguſto, Ludouico, cui Diuo cognomen fuit, Ioanne, & ſæpe aliâs, quũ Iudæi & Itali menſis publicè poſitis fenus in Gallia exercerent, & plebem vſuris obruerent, ideo regno pulſi ſunt. Factiones Mallleariorum (Maillotinos vulgò vocabant) eorúmque qui verſicolores cucullos geſtabant, & ſimilia vulgi irritamenta & ſeditionum faces, non alio fundamento nitebantur. Homines enim egentes ac viles, autores ſemper & concitatores eiuſcemodi turbarum erant. Immò quum Tac. lib. 3. Gallia Romano imperio ſubiecta erat, iam tum Galli ob continuationem tributorum, ſæuitiam fenoris Dion in Auguſto. & ſuperbiam pręſidentium, rebellionem ſæpe faciebat. Imperante Auguſto Licinius quidam Iulij Cæſaris libertus, Galliæ procurator ab Auguſto impoſitus fuerat. Is miro aſtu quum Galli menſtrua tributa penderent, ſeptimanas ad ſex dies, menſes ad vigintiquatuor, contraxit. ita annum in quatuordecim menſes deſcripſit, quorũ duos integros in quæſtum ſuum conuerteret. Cæſar, quum audiuiſſet, moleſtè tulit, neq. tamen in Licinium animaduertit. Aliquanto pòſt Auguſtus Quintilium Varum Galliis præfecit, quum antè Syriæ præfuiſſet, quam pauper diuitem ingreſſus, diues pauperem reliquit. Galliam ergo ſortitus, eadem quæ in Syria moliri & Gal

lis

lis perinde vt Syris, id est gentibus ad seruiendum natis, imperare cœpit, & vectigalia acerbè exigere. Id Galli diu quum ferre non possent, apertè tamen & palàm non defecerunt, sed simulata beniuolētia frequentes ad eum bellum in Germanos parantem venerunt; velut eum in expeditionem sequuturi. Sed mox vbi in saltum quemdam impeditum peruenissent, atq. id quod petierant, clausum siluis & montibus circumfusúmq. suis & Germanorum copiis hostem habuerunt; Romanos inuadunt & trucidāt. Varus & qui cū eo erant clarissimi viri infelici dextra & suo ictu mortem inuenere. Eamdem ob caussam sæpius ex eo Galli aduersus Romanos rebellàuere: sicut accidit Nerone primùm, deinde Galieno imperante, & aliis: donec prorsus ab Imperio Rom. deficerent. Quamobrem ex his exemplis statuo ab isto consilio Machiauelli, nimirum vt populus inopia in fide contineatur, nihil nisi seditiones, motus, & bella ciuilia, in Rempubl. nasci posse.

Iam verò vt Princeps ita felicitati atq. opulētiæ subditorum consulat vt suæ potentiæ nihil detrahat virium, eam tutissimam viam rationémque sequetur. In primis abusus, licentiæ, auaritiæ & superbiæ, exempla semel tollet, quæ in exigēdis à populo ordinariis tributis edi solent. Princeps enim pro suo iure recepta & inueterata tributa indicere populo potest, vt publicis oneribus sustinendis sufficiat. aliter enim ipsius status dissolueretur. Neque in eo Neronem imitari debet, qui aliquando dubitauit an cuncta vectigalia omitti iuberet: mox, quum eius impetum attinuisset senatus, dissolutionem Imperij docendo, si fructus quib. Resp. sustinetur deminuerentur, super

Quibusnam rationibus Princeps tutò subditos ditare possit.

Tac. Ann. lib. 13.

vetera & assueta, noua etiam indixit. Nam sapiens Princeps neque hoc neque illud faciet, sed ita vetera tributa exigere perget, ídq. quammodestissimè fieri potest & absq. iniuria querelávè populi, vt nouis illicitísq. exactionibus nihil opus habeat. Id commodè fieri poterit, si tributi indictio æquabiliter, absque gratia & personarum respectu, distribuatur. Quod olim à Seruio Tullo rege Rom. primùm vsurpatum est. Is enim Romæ censum instituit, ex quo belli pacísq. munia non viritim, vt antè, sed pro habitu pecuniarum fierent. Itaque non tantùm æquatis Reip. inter ordines oneribus, sed multis quoque à pauperibus in diuites inclinatis, plebs ex eo ingens leuamentũ, ipse decus & gloriã, tulit. Imitandi quoq. erũt veteres Romani, qui in oneribus patrimonialibus (id est tributis quę ex censu pro ratione fundorũ pendebãtur) neminem exci-
Liu. lib. 26. & lib. 33. piebant. Nam senatores ipsi, quum res postularet, augures & pontifices tributũ in militare stipẽdium non minus quàm plebs conferebant. Danda etiam opera ne quæstores, publicani, vectigalium redemtores, & tribuni ærarij (qui acerbissimè omnium in populum sæuiunt) plebem lacerare atque expilare possint. Præterea fenebre malum (seditionum discordiarúmq. creberrima olim apud Romanos caussa) cohibendum: prohibendúmque ne specie pensionis, aut versuræ & similium honestorum nominum, pecuniæ immodico fenore augeãtur: fenebribus legibus & pœnis constringẽda auaritia: néve ex libidine locupletum æris alieni solutio agitetur, certus aliquis statuendus modus vsuræ est, extra quẽ nemini fenus exercere liceat. Nã præcisè feneratio vetita vias & artes nouas fraudis inire subigit, nem-

pe

pe vt contractibus, venditiones redituum, locationes fructuum, vēditiones de pacto retrouendendo, fictæ numerationes, & similes colores, prætendantur. Prouidendum quoq. ne feneratorib. & mensariis peregrinis mensas vertere & bonis cedere impunè liceat: reuocanda in vsum vetus lex, qua impetrante Tiberio sanctum est vt feneratores duas fenoris & patrimonij partes in agris per Italiam collocarent. Præterea coercenda luxuria in cultu, victu, conuiuiis, & ceteris rebus: cupiditatib. & sumtib. faciendus modus, quib. homines semetipsos ad inopiā redigunt. Ea parcimonia paupertatem & rei familiaris angustias tolerabiles reddet. Nam (vt Cato Censorius pro lege Oppia aduersus luxuriā feminarum differens inquit) pessimus quidem pudor est vel parcimoniæ vel paupertatis: sed vtrumque lex demit, quum id quod habere non licet non habetur. Nam equidem simul pudere quod nō oportet cœperit: quod oportet, non pudebit. Postremò curandum est Principi summos cum infimis vt iuris & iudiciorum æquitate contingat, ne inopes à potentibus, imbecilles à validioribus, boni ab improbis, opprimantur. Neque ad hæc instituenda & tuenda magno labore aut sumtu Principi est opus: subditos verò ita diuitiis explebit vt ex priuatis copiis nihil Principi, præsertim flagitanti, vnquam negent. Comitatus Fuxiani incolæ, quamquam ingenio essent duro & contumaci, Gastoni tamen Principi suo (qui regnante Carolo VI. in Galliis viuebat) tantum vectigal pendebāt, vt regio victu, cultu & statu ætatem ageret, etsi tantum Comes esset. Immò ita volentes & libentes pendebant, vt

Suet. in Tib. cap. 48.

Liu. Annal. lib. 34.

eum quoq. ſumma beniuolentia complecterentur. Vnde tanta erga eum caritas? Nempe ſubditis ita tutam pacem & æquabilem iudiciorum æquitatem, quo tempore aſsiduis bellis finitimi vrerentur, præſtabat, vt nemo præter ipſum eos expilaret & vexaret. Præſtat autem, ſi id pati neceſſe ſit, ſpoliari ab vno quàm à pluribus: & ſubditi iniuriam ſibi à Principe fieri quàm à priuatis multò æquius ferre ſolent: præſertim ſi id perſuaſum ſit, grauiores tributorum erogationes in Reip. vſus conuerti, & onerum acerbitas fidæ pacis & iuſtitiæ dulcedine quodammodo leniatur. Quare ſcitè Cominæus ſimul laudat & reprehendit Ludouicum XI. Galliæ regem, quòd ipſe quidem ſubditos iniquis tributis & oneribus grauaret, eos tamen ab alio quoquam ſpoliari vexaríq. non pateretur.

PORRO ſicui videatur ſuperior omnis oratio ad Paupertatem ſpernendam obterendámq. ſpectare, quæ tamen Chriſt. religioni magnopere probari videatur: huic ego ita reſpondeo. Paupertatē ex ſeſe nec laude nec vituperio eſſe dignam: ſed ex circumſtantiis æſtimandam eſſe. Eam enim ſi Chriſtianus homo patienter tolerat: ſi eam non tantùm æquo fert animo, ſed etiam grato amplectitur, contentóq. ea fortè quam Deus attribuerit, ea functione ad quam vocauerit: ſi eam integritas, modeſtia, & ſinceritas animi, comitentur & ſubleuent, eam Paupertatem ſummis virtutibus æquari poſſe iudico. Inopiam enim conſtāter ferre poſſe à recto & honeſto non declinantem, haud vulgaris & exiguæ virtutis, ſed vel maximi & difficillimi operis eſt. Itaque Ethnici quoq. ipſi Ariſtidem, Phocionem, Lyſandrum, Vale-

Valerium Poplicolam, Fabricium, Curium, Q. Cincinnatum, Menenium Agrippam, Paulum Æmilium, & similes viros mirati sunt: quos in censu perexiguo magno & cõstanti animo tolerata paupertas numquam à recto virtutis cursu detorsit. Ceterum tantùm abest vt Christ. doctrina Mendicitatem approbet, vt mendicos tolerari vetet. Immò scriptura testatur viros iustos eorúmq. liberos eò ferè non redigi vt mendicando panem cogantur quærere: à Deo enim illis facultates & vitæ instrumenta suppeditari. Quare monachi (quos vulgò Mendicantes appellant) in laudanda & extollenda Paupertate modum egressi sunt: quum à recta eius interpretatione, quæ ex Dei verbo petenda erat, longius aberrassent. Itaque iam inde ab ipsis initiis tam altè in huius paupertatis vsum possessionémq. sese immersisse breui eos pænituit: & in eam sæpius reluctando & calcitrando conflictati, nulla tamen ratione efficere potuerunt vt eam excuterent. Sed ad eam obtinendam ac seruandam à Pontificib. & Parlamentis coacti sunt: quum in eius vsu summa eorum Ordinum perfectio constituta esset. Verùm quia lepida historia est, hîc paulo altius exponere libet quàm graue Mendicantes fratres peræ & egestati bellum indixerint, & vt semper caussa & iure inferiores victíq. discesserint. Ea narratio obuia rerum similitudine & satietate fatigatos legentium animos exhilarabit & redintegrabit.

Psal. 37.

MENDICANTES monachi vbi primùm orti sunt, vt celebre nomen suum facerent, statuerunt perfectionis statum amplecti, vnde & ipsi meritis suis æternam vitam assequi, & eò alios quoque

Historia Mẽdicantiũ cõtrouersiæ aduersus Paupertatẽ.

qua inferiores discesserunt. introducere sua gratia & autoritate possent. Perfectum autem illum statum tribus potissimùm in capitibus seu votis collocarunt: Nimirum vt in Obedientia, in Castitate, & sine proprio, id est in Paupertate, viuerent. Duo priora attingere hîc nihil attinet: de postremo tantùm agam hoc loco. Paupertatem igitur triplicem fecerunt: Altissimam, Mediam & Infimam. Altissima paupertas (quam sibi Franciscani vendicarunt) ea est quæ nihil habet in hoc mundo, nec in proprio nec in communi: id est, nec agros, nec domum, nec fundum, nec reditum, nec pensionem, nec pecora, nec supellectilem, nec vestimenta, nec libros, nec fructus, nec rei familiaris quidquam. Hæc profectò summa vel extrema & purissima paupertas est, in qua nihil desiderari aut redargui potest, quando nihil prorsus habet. Altera species (quam Dominicani sibi sumserunt) Media est, quæ nihil quidem proprium, sed quędam tamen in communi, possidet, vt libros, vestimenta, & quotidianum victum. Tertia & vltima species (quã Carmelitæ & Augustiniani occuparunt) ea est quam Infimam vocant, cui aliqua & communia & propria, sed ea tantùm quæ ad victum & cultum naturalis necessitas exigit, habere licitum est: vt vestimenta, libros, stipendia, fundos & agros aliquot, & cetera quæ ad vitam tuendam necessaria sunt. Qua in re boni illi fratres Carmelitę & Augustiniani singularẽ modestiam præstiterunt, quùm infimæ egestate contenti ad altissimã eniti non conati sunt, indignos scilicet se rati qui in tam eminentem & supremum gradum ascenderent.

C. Quia quorundam. §. nec obstat. de Ver. sign. In Extrau. Io. XXII.

Itaq; postquam semel Mendicãtes sollenni voto (quod

to (quod Ordinem ingressuri concipiunt) sese Paupertati obstrinxerunt, tam arto vinculo ei se consociarunt & agglutinarunt, vt ab ea nulla ratione seiungere aut auellere se vmquam deinde potuerint, quacumque diligentia aut labore id assequi contenderint. Quod non mediocri dolore illos affecit. etsi enim theorica Paupertatis speculatio pulchra sit, vsum tamen & praxin illius duriorem & difficiliorẽ esse experti sunt. Theorices quidem illius (altissimæ præsertim & summæ Paupertatis) præstantiam si introspexeris, nescio an quidquam excellentius aut mirabilius in vita reperiri possit. Qui enim eam profitentur, ad naturam Angelicam quodammodo videntur accedere: quæ terrenarum & caducarum huius mundi rerum vsu non egens, nulli curæ, præterquam in diuinis & spiritualibus rebus, affixa est. Præterea isti vel in eo diuitibus & locupletibus superiores sunt, quòd tot malis, ærumnis & curis, quæ bona & fortunas istas caducas comitantur, vacui & liberi sunt: nulla arandi, colendi, stercorandi, ferendi, messis, vindemiæ, putandi, eruncandi, secandi, plantandi, ædificandi, vendendi, emendi, contrahendi, & similium quæ ad huius vitæ vsus & negotia pertinent, cura & labore fatigantur. Nulla eiuscemodi miseria, nullo opere rustico vel vrbano, quies eorum sollicitatur: nullo impedimento à rerum diuinarum meditatione abstrahuntur, quominus summam sapientiam & mox Cherubicam & Seraphicam naturam perfectionémque assequantur: similes angelis, qui nihil aliud agendo occupantur quàm contemplanda & extollenda Diuinitate. Verùm si altera parte consideres quàm difficilis sit istius tam

artæ Paupertatis vſus, rem penitus triſtem & iniu-cundam eſſe comperies. Quippe non magis apud Mendicantes quàm apud ceteros monachos, immò omnes etiam homines, pro indubitato receptum eſt Axioma: Vnicuiq. vt viuat vitam tuēdam eſſe. Cōtemplationibus autem & meditationibus vita haud ſatis commodè retineri poteſt: neq. tali cibo venter acquieſcit: ſed panem ceterúmq. victum flagitat, quem agri terræque ſuppeditant. Itaque fundos ad vitam ſuſtinendam neceſſarios eſſe apparet: aut certè emendum & ſumendum eſſe victum ab iis qui agros & prædia poſsident.

PAVPERTATIS profeſsio (præſertim altiſsimæ) his omnibus repugnat. nam eius lex aut regula nec poſſeſsiones habere, nec fruges emere, nec vinum aliámve annonam parare, permittit, earum enim rerum acquiſitio (quocumque titulo, venditionis, donationis, permutationis, aut ſimilis commercij, nomine fiat) acquiſitorem, proprietarium & dominum rei acquiſitæ conſtituit. Quod altiſsimam Paupertatem profitentib. non licet, quibus propriū aliquid poſsidere, ſeu mobilium ſit ſeu immobilium bonorum, veſtimenta, victum, & ſimilia, cōceſſum non eſt. Quare egeſtatis iſtius praxis moleſtiſsima & grauiſsima eſt. Nam Theorica ipſa (vt vocant) nihil facilius, nihil iucundius, eſt: nihil quod minus hominum terrenis negotiis & curarum ſpinis inuoluat: nihil quod dignius & magis æquis auribus pronisve audientium animis laudari poſsit, præſertim inter epulas & lauta conuiuia: iuxta vulgare prouerbium:

Qui ſatur eſt, pleno laudat Ieiunia ventre.

PORRO

PORRO vt istius Paupertatis praxeos difficultatib. sese liberarent Mendicantes, crebris quæstionum & conscientiæ ambagibus diu se & alios fatigauere; quas quum Pontifices quamexpeditissimè fieri posset euoluere nisi essent, numquam tamen istis Fratribus satisfecerunt. Inter ceteros, plurimum laborarunt Fratres minores in explicanda sententia cuiusdam articuli eius Regulę quæ ipsis à B. Francisco tradita est, vbi disertè edicitur, Ne fratres quidquam proprium habeant, sed ad eleemosynas quærendas vadant confidenter. Hoc enim nõnulli existimabant posse intelligi de nuda & simplici proprietate, non de vsufructu, vel simplici vsu facti, vt vocant. Itaque si rerum sibi concessarum & possessionum necessarium vsumfructum sibi retinerẽt, abdicata proprietate, non existimabant se vllam Regulæ partem violare. Sed qui Regulæ hanc interpretationem affingebant, eam edere in lucem non audebant, ne aduersus vltimum B. Francisci sui fundatoris mandatum seu testamentum, peccarent: quo disertè vetuerat ne verba ipsius Regulæ glossarentur, & (vt verbis eiusdem vtamur) quòd sic vel sic intelligi debeat non diceretur: neque Fratres vllo modo literas aliquas ab apostolica sede peterent illius amplificādę aut declarandæ gratia. Quare quũ vno capite prohiberentur nouas interpretationes & glossas Regulæ assuere: ceteris tam artè constringerentur, vt nihil habere aut acquirere auderent, animum ancipiti cura distractum huc & illuc versabant. Adhæc ipsis nonnulli ex aduersariis eorum furti & latrocinij crimen obiectabant: & hoc argumento certabant. Quisquis posſidet aut consu-

mit alienum, ad quod nullum ius habet, nec habere poteſt,fur eſt. Mendicantes (& potiſsimùm Fratres minores)veſtiméta,libros, ſupellectilem, cubicula, ſtipes, aſinos, & cetera mobilia bona, poſsident, pane & obſoniis veſcuntur, ad quæ bona ius proprietatis,aut ius vtendi nullum habere poſſunt. Ergo,&c. Huic equidem argumento quid reſponderent non habebant. Nam ſi dixiſſent ſe ius vtendi iis bonis habere, abſque proprietate,præterquàm quòd huic Canoni gloſſam addidiſſent, contra quàm à ſuo conditore diſertè teſtamento interdictum erat: poterat illis rurſum obiici, ſi ius vtendi iis bonis ſibi vendicarent,ſequi,ipſos ius hoc ſibi in proprietate habere. Ergo, quum iuris illius proprietatem haberent, violare vtique Regulam, quæ prohiberet nequid proprium haberent, ſeu poſſeſſiones,ſeu quęlibet iura vel bona.Hîc dicere omitto quàm hæc argumenta Franciſcanorum animis moleſta acciderint, quibus tãquam fures ex alieno raptóq.viuentes,ceu vulturij & carniuoræ aues,euidentius quàm vt negare poſſent, arguebantur. Sed omnium grauiſsimè vulnerabat eorũ animos,quòd ſumma illa Paupertas (per quam ad perfectionis euangelicę faſtigium aſcẽſuros ſe ſperarant) iis probris ac contumeliis cauſſam materiámq. præbebat. Queri tamẽ apertè atq.hiſcere non audebant.&,nõ ſine moleſto cõſcientię ſcrupulo(quũ pleriq.ipſorũ cogitarent, neq. cibos quibus veſcerẽtur,nec veſtes quas gererent, ſuas eſſe: neq. ſibi in ea,vel proprietatis,vel vſusfructus, vel vſus ſimplicis, ius vllum eſſe) patientes ac demiſsi,ſecum ipſi in ſinu iram & dolorem coquebant.AEgritudinem tamẽ animi ita

pre-

premere non poterant, quin multis indiciis erumpere: tac sæpenumero cibos quoq. ipsos, quos mæsto scilicet animo ac reluctante cõscientia in ventrẽ inferserant, eructare atq. euomere cogeret. Tandem aliquando, postquam diu tot animi & conscientiæ difficultatibus cõflictati essent, aliqua spes affulsit, & fortè accidit vt Pontifex diceretur Nicolaus III. cui prima ætas in Francisci familia acta erat. Ergo Fratres cordigeri talem Papã (qui & Frãciscanus fuisset, & expertus esset quàm difficilis sit vsus altissimæ Paupertatis) ab se alienũ non fore rati, Capitulum generale conuocant: & cõmuni consilio statuunt mittendos ad Papam legatos, oratum vt Franciscanis quondam suis benignè opẽ ferre, & tot difficultates tollere, vellet. Legati illi anno CIↃ. CC. LXIIX. Papæ sanctitatem adeunt: ei exponũt, mandatu Capituli generalis, magnas & insolubiles difficultates quæstionésq. inter ipsos ortas de interpretatione Regulæ beati Francisci, & obseruatione eorum quæ testamento instituisset, & in vniuersum de vsu & praxi extremæ Paupertatis; postremò suppliciter orãt eius Paternitatẽ vt se ex tot salebris pro sua sapientia atq. autoritate expediat. Interea tamen, vt preces suas consilio adiuuarent, reuerenter exponunt, sibi videri, B. Francisci eam nõ fuisse mentẽ, vt se omnib. prorsus bonis eorúmq. vsu abstinere iuberet. Sanxisse enim eo Canone vt Euangelij doctrinã obseruarent & Christi vestigia sequerentur. Atqui Christũ (aiebant) pecuniã & loculos habuisse legimus in Euangelio. Itaq. & idem nobis licere fas est. Præterea dicebant se, si ea bona repudiarent quæ à piis & Christianis hominibus

c. Exiit. De Verb. signif. in vj. Platina in Nicol. 3.

testamento sibi legarentur, fore sui homicidas & Dei tentatores: quando rebus ad vitam tuendam necessariis semetipsos vltro priuarent. Adhæc artam istam bonorum omnium abdicationem, viam esse quę ad beluinum & ferinum statum deducat. neminem enim scientiam assequi posse sine possessione aut vsu librorum. Præter hæc, vt illis non liceat quidquam in speciali possidere, minimè tamen inde esse colligēdum nefas esse ipsis aliquid habere in communi. Itaque id sibi à Sanctissimo patre posse concedi, vt bona aliqua nomine Conuentus possideant. Ceterum beatum Franciscum, quum in Regula sui ordinis præcipit vt confidenter & absque pudore emendicando victum quærāt, simul pręcipere vt quidquid ipsis propter Deum offertur, cōceditur, vel donatur, id accipiant, siue mobilium rerum sit siue immobilium, argentum, pannum, seu quiduis aliud, vt eo tamquam suo vtantur. Insuper, ingruentibus morbis & aliis necessatibus Fratrum pro tempore occurrentibus, & cessantibus eleemosynis, necesse esse vt pecunias mutuas aliunde sumant: neque eas ab se reponi posse, nisi habeant aliquid rei, vnde eam pecuniam cogant. Quare aliquid sibi acquirere & habere ipsis necessariò concedi debere, quo mutuum persoluere possint & fidem suam tueri. Ad hæc postulata, Nicolaus Papa conuocato Cardinalium collegio, & omnibus Regulæ articulis & circumstantiis diligenter examinatis, ex eorum sententia statuit, Fratrib. minoribus non licere, vt quidquam vel sibi in speciali approprient, vel Ordini in cōmuni: propterea quòd in eiusmodi arta proprietatis omnium rerum abdicatione,

nullo

nullo ſibi in eas iure ſeruato, propter Deum, meritoria & ſancta, Ordinis perfectio conſiſteret. Reliquit tamen illis ſimplicem facti, non iuris, vſum (id eſt qui vtētibus nihil iuris in res vtendas præbet) ſeu vſumfructum rerum quæ ſibi vel monaſterio legata, aut alio quouis modo liberaliter oblata, eſſent: proprietatem verò & dominium in ſe & Romanam Eccleſiam tranſtulit. Quinetiam ne omnium quidem, ſed tantùm neceſſariarum rerum tam ad vitæ ſuſtentationem quàm ad officiorum ſui ſtatus exſecutionem moderatum & artum vſum ipſis conceſsit: vt in omnibus appareret in Fratribus quoad dominium omnimoda abdicatio, & in vſu neceſsitas, ſempérq. in eis & eorum actibus paupertas ſancta eluceret ex Regulæ præſcripto. Ceterum vt eorum obiectiones ſolueret, reſpondit, Chriſtum ſic in ſuis actibus viam perfectionis exercuiſſe, vt interdum infirmorum imperfectionibus condeſcenderet: ita, vt infirmorum perſonam ſuſciperet, loculos nonnumquam habuiſſe: ſed nihilominus loculos & pecuniam habere, infirmitatis humanæ & imperfectionis eſſe. Et quòd dicerent, omnium rerum proprietatis abdicationem, homicidium ſui & Dei tentationem ſecum trahere: ita reſpōdit, Veram eſſe perfectionis viam, vt ſe totos Dei prouidentiæ committerent: in quam tamen viuendo ita recumberent, vt viam non contemnerent prouiſionis humanæ: quin vel de iis quæ offeruntur liberaliter, vel de iis quæ mendicantur humiliter, vel de iis quæ labore quæruntur, ſuſtentarentur. qui triplex viuendi modus in Regula expreſ

sè prouideretur. Adhoc non multo victu illis opus esse, vt ad Canonem illum suum obseruandũ sint expeditiores, & eum præsertim articulum, quo ieiunare à Festo omnium sanctorum vsque ad Natale domini, in vigiliis & in sextis feriis, tenentur. quod tempus dimidij propè anni spatium æquat. Et quemadmodum artissima sit illorum paupertas, ita artissimum debere esse victum & maximè sobriam mensam. summæ enim egestati summum ieiunium conuenire. Quòd postularent vt sibi liceret aliqua bona habere in communi: respondit, Id concedi non posse: quippe Regula ipsos obstringi ad expropriationem omnium temporalium bonorum. itaque ab omni eo quod dictæ expropriationi esset vel posset videri contrarium, ipsis abstinendum esse. Habere autem aliquid in communi, repugnare ipsorum voto & regulæ: quum quod commune est multis, iure proprium omnibus in genere, & singulis in specie, dici posit. Postremò quod Fratres dicerent se in casu necessitatis, eleemosynis cessantibus, mutuas pecunias cogi sumere. itaque sibi licere peterent aliquid acquirere vnde creditoribus satisfacerent: Hîc Nicolaus disertè iubet vt Fratres à mutuis contrahendis abstineant, quum eis (ipsorum statu considerato) mutuum contrahere non liceat. quia in ea specie contractus transfertur rei proprietas ab eo qui mutuum dat ad eum qui accipit: & quemadmodum Iurisconsulti loquuntur, Mutuum est quum de meo fit tuum. quod pronomen Fratri minori non conuenit. Itaque ad hunc scopulum euitandum dat eis consilium acutum & inge-

& ingeniosè excogitatum. Eo casu (inquit) pro- «
curetur à Fratribus vt ille qui dabit eleemosy «
nam, per se vel per alium non nominandum ipsis «
si fieri poterit, sed ab eo potius iuxta suum beneplacitum assumendum, huiusmodi satisfactionem faciat in totum vel in partem, prout ei Dominus inspirabit. Si tamen ipse hoc nollet facere vel non posset, in nullo Regulæ puritas infringitur si Fratres ipsi alicuius vel aliquorum sibi curent dari notitiam, vel aliquos seu aliquem nominare, aut etiam præsentare: cui vel quibus, si eleemosynam facienti placuit, committi possit exsecutio prædictorum. Ita tamen vt (penes ipsum dantem, dominio, proprietate; ac possessione ipsius pecuniæ, cum libera potestate reuocandi sibi pecuniam ipsam semper vsque ad conuersionem ipsius in rem deputatam, plenè, liberè ac integrè remanentibus) in ipsa pecunia nihil omnino Fratres iuris habeant: & ab eiusdem administratione seu dispensatione abstineant, &c. Hæc in summa ratio est qua Nicolaus Papa Mendicantium quæstiones soluit de Vsu extremæ paupertatis. Nam rerum omnium concessarum, oblatarum & donatarum Fratribus, vsum Ordini & ipsis permisit: proprietatem verò & dominium in se & Romanam Ecclesiam recepit, dimisso ipsis fratribus in eis tantummodo vsu facti simplicis. Concessit præterea vt legata testamentis relicta per interpositas personas acciperent. Qua in re se amicum Ordinis & memorem loci in quo iuuentutem egisset, esse ostendit. Verùm tamen in bulla & sanctione illa scrupulum reli-

quit,de quo non minores quàm antè lites & controuersiæ motæ sunt. Permissionem enim suam vel indulgentiam conditione circumscripsit, „ quum addidit: Ista tamen sic faciant vt semper in „ eis & in eorum actibus paupertas sancta reluceat. Quæ conditio illos artis vinculis constrinxit, sicuti pòst videbimus.

MENDICANTES tamen, quum bullæ Apostolicæ Nicolai Papæ autoritate tantùm permitti sibi viderent, & patere viam ad legata & reditus obtinendos: omni ope ad ea quærenda niti & contendere instituunt. Ac quum ad pietatem populi inflammandam & studium eius in se conciliandum nihil aptius concionibus esse existimarent, id vnum agere aggrediuntur. Igitur labor illis & res simul procedere. nam ea tempestate Episcopi, Curati & parochiarum rectores (sicuti etiam hodie ferè omnes) adeo indocti erant vt nec benè nec malè concionari possent: nec eorum doctissimi ferè quidquam, nisi Missam legere, scirent. Itaque quum Mendicantium conciones celebres & gratiosæ ad populum essent, breui legata, stipendia, reditus annui, vndique ad eos affluunt: quippe in exordiis vel perorationibus concionum numquam sui obliuiscebantur: sed copiosè & summa eloquentia, expositis suis necessitatibus, opera charitatis in Conuentum commendabant, & simplicium hominum animis facilè persuadebant, si monasteria sua opibus augerent, fore vt eos cum suis in cælum rectà ducerent. Eadem opera confessionum & sepulturarum ius & quæstum in se trahunt. Quum enim omnes

mnes certatim ad Mendicantes confessum irent, pænitentiam ferè eam confitentibus imponebant, vt aliquid Conuentibus suis erogarent. In extremo vitæ articulo ægros moribundos hortabantur vt in suis Monasteriis sepulturæ locum eligerent, & sibi legata opima & eleemosynas testamento relinquerent. Denique ita sedulò eam incudem diu noctúque versabant, vt legatis & emolumentis aliis super alia affluentibus, breui mirum in modum crescerent: magno Curatorum damno, qui rem suam frigescere, & quæstus suos, suffragia, veteréstq.& assiduas oblationes, dilabi ante oculos non sine ingenti animi dolore cernebant.

QVAMOBREM circiter annum CIↃ CCCII Curati (Episcoporum gratia & præsidio fulti) de ea iniuria apud Bonifacium VIII. grauiter conquesti sunt: quum dicerēt se antiqua & certa concionum habendarum, confessionũ audiendarum & sepeliendorũ corporũ possessione à Mendicantibus depelli. Æquum esse eos qui curam animarum gererent, defunctorum quoque corpora tumulo inferendi, & quibus sacramenta ministrarent, eorum confessiones audiendi, ius ac potestatem habere. Præterea docebant, à Mendicantib. multa noua & inusitata excogitari & inuehi: quum in Conuentibus eadem hora prædicarent qua Curati Missas parochiales & conciones haberent: & extra Conuentus quoque, non petita à Prælatis aut Curatis ecclesiarum licentia, concionantes, Curatis & sacerdotibus parochialium ecclesiarum suos reditus & emolumenta eripe- c.1.de Sepult.in Extrauag.

rent. Itaque se orare Sanctissimum patrem vt hos abusus tollere vellet, & se restituere in veterem suam possessionem vnde pulsi essent. Bonifacius, audita querela Curatorum (pro quibus intercedebant Episcopi & Prælati) hortatus est eos ne se difficiles & asperos sed potius propitios ac benignos exhiberent dictis Fratribus prædicatoribus: & eos, tamquam cooperatores suos in prædicationis & confessionum officio, promto affectu admitterent. quippe liberum esse debere omnibus concionem audire, confiteri & sepulturam eligere, vbicumque libuerit. Verùm ne Parochiales ecclesiæ & ipsarum Curati siue rectores, quibus iure competit prædicare seu proponere verbum Dei & confessiones audire, debitis ac necessariis beneficiis defraudarentur, autoritate apostolica constituit, vt dictorum ordinum Fratres de obuentionibus omnibus tam funeralibus quàm quibuscumque & quomodocumque relictis, quartam partem Parochialibus sacerdotib. & ecclesiarum curatis largiri integrè tenerentur. In monasteriis autem suis ea hora qua Missæ parochiales peragerentur, aut qua hora episcopi vel eorum vicarij prædicarent, ne Fratres concionarentur, néve extra suos cōuentūs auderent prædicare, nisi à Parochialibus sacerdotibus inuitati vel vocati: vel nisi petita & obtenta ab episcopo vel loci Curato licentia. Ceterum inter se, tum ecclesiarum rectores, tum Fratres prædicatores, in posterum ita vnanimes & concordes viuerent, vt pacis æmulum zizaniæ satorem Satanam tam familiari consuetudine versari secum nō sinerent.

HAC

Hac constitutione & ordinatione facta à Bonifacio ad reconciliandam inter Curatos & Mendicantes concordiam, paulo pòst acriores rixæ inter ipsos de integro coortæ sunt. Quum enim Curati cœnobia Mendicantium ingressi, quartam suam Trebellianicam de obuentionib. & lucellis Mendicantium peterent: Monachos ex omnibus claustri partibus aggregari cernères, & vno agmine Curatos exsibilare, asinos & indoctos vocare, exprobrare quòd nec missam legere neque nomen declinare possent. Insuper vt verecundiam iniicerent, minuta & Grammatica interrogata Latinè facere. Quid? belua (aiebant) an putas nos cibum parasse, vt tibi mansum in os ingeramus? Tuúmne est, asine, metere quod non seuisti? Abi, abi, & lege breuiarium tuum, si legere potes, nec in cœnobium nostrum quidquam emendicatum venias, nisi vapulare vis. Apage, & disce Despauterium, & Amo quæ pars, néve huc inquinatum accedas sacræ Theologiæ fontes, in qua tu nihil intelligis. Ferociores alij etiam clamabant, Adesdum adesdum, ingredere nostrum Refectorium, & nos ibi tuam Trebellianicã imponemus humeris tuis. Curati (quum viderent Mendicantes pugnos suos ponderantes & demissis retrorsum cucullis, pleno gradu ad se venientes) natura abhorrentes ab ictibus, & humeris malè metuentes, sensim extra Cœnobia se eripere & pedem efferre cœperunt. Sed quum sua Trebellianica potiri alia ratione non posse sperarent, à Bonifacio sibi attributa, Benedictum xi. adeunt, & apud eum de iniuria sibi facta que- c.1. de Priuil. in Extrauag.

runtur, circiter annum CIↃ. CCC. IIII. Mendicantes altera parte pro suo iure obtinendo naviter tendunt, & docent quemadmodum ex legatis piis non detraheretur Falcidia, ita ex suis laboribus & obuentionibus Canonicam portionem non debere præstari, quum piis de caussis in se collatæ essent. Benedictus XI re diu deliberata & examinata communi Cardinalium & quorumdam seniorum Iurisconsultorum consilio intellexit, Mendicantes nullo iure teneri ad quartam illam partem Curatis soluendam. Nam etsi probabilis aliquam speciem haberet quod Curati dicebant Canonicam illam portionem sibi deberi, propterea quòd nomen & titulum Curatorum haberent: quemadmodum heres quartam Trebellianicam liberam & integram obtinere debet, quia heredis nomen & titulum gerit: latere tamen fallaciam in ea regula aiebant senes illi Doctores. Legata enim ob caussas pias à quartæ præstatione immunia esse: cuiusmodi erant ea quæ Mendicantes à piis Christianis acciperent. Et confirmandæ suæ opinioni proferebant Godofredum in Summa, Azonem, Hugolinum de Fontana, Guillermum de Cuneo, Raynerium de foroliuio, Hubertum de bobio, Petrum de bella pertica, Oldradum de ponte, & multas alias autoritates veterum doctorũ iuris. Producebant quoque quasdã columnas Bartholi & Baldi, quib. suã sententiam niti dicerent. Quare tot eorum testimoniis & æquitate permotus Benedictus, constitutionem Bonifacij & quartæ solutionem simul abrogauit. Vt tamen aliquid datum Curatis videretur

deretur, constituit vt media pars funeralium eorum qui in Mendicantium templis sepelirentur, Curatis cederet. Funeralia autem hoc casu intelligi volebat quę cum funere deferũtur, cereos, pannum feretro impositum & siquid aliud. quæ parua erant præ legatis, fundationibus missarum & precum pro mortuis, & similium obuẽtionum. Curatis tamen tum huic sanctioni acquiescere necesse fuit.

VERVM inde multo atrocior lis rixáque inter Mendicantes & Curatos commota est. Nam Curati absque dissimulatione palàm ferebant sibi à Benedicto iniuriam esse factam, Canonica portione erepta: nouos istos mendicos omnia ad se rapere & ecclesiarum legitimos rectores suis reditibus & bonis spoliare velle: ac verbo Mendicantes & temporalium bonorum contemtores esse: reipsa hypocritas rapaces, qui vndique per æqua & iniqua opes accumularent. Itaque tantum assiduis clamoribus & querimoniis Curati effecerunt, vt anno Domini 1311. tandem caussam obtinerẽt apud Clemẽtem v. in Concilio Viennensi, vbi Papa Benedicti xi. constitutionem antiquauit, & approbante Concilio eam quæ à Bonifacio prius èdita erat, in vsum reuocauit. Cap. 2. de Sepult. in Clement.

IN eodem præterea Concilio relata sunt & examini subiecta quæ fieri dicebãtur in Ordine, & videbantur Mendicãtium voto & puritati Ordinis repugnare: ex quibus liqueret quantum abusi essent Nicolai III. permissione, qui tamen exceperat, vt in eis corúmque actibus sancta & insignis paupertas semper reluceret. Sed Mendi- Cap. 1. de Verb. sign. in Clem.

cantes eò iam creuisse vt nullam speciem Paupertatis gererent. Eos enim institui se heredes non solùm sustinere sed etiam procurare:reditus annuos & legata ingentia accipere: sumtuosissimos hortos & magnas vineas habere: non templa sed palatia exstruere. Equos & arma & cetera in funeralibus oblata indistinctè accipere. Itaq. in eis non insignem & spectabilem illam Paupertatem,quam Regula exigeret, sed magnificas opes splendere. Hæc vbi ad Papam relata essent, ipse exConcilij sententia,declarando edixit Mēdicantes(quamquam & ipse eiusdem ordinis fuisset) successionum huiuscèmodi,considerata voti sui puritate, nullatenus esse capaces. Immò nec possessiones,neque reditus vel eorum vsum recipere vel habere illis licere:neque hortos, neque vineas,nec granaria, nec cellas vinarias (nisi duris admodum temporibus) nec magnifica ædificia, nec paramenta aut vasa ecclesiastica pretiosa & Paupertati promissæ repugnantia. Denique hic Papa eos promissa seruare coegit, & ad pristinum vsum Paupertatis altæ, altioris & altissimæ reuocauit,non mediocriter indignantes: atque tam artis vinculis Paupertati alligauit, vt ab ea in posterum auellere sese nō possent. Reliquit tamen illis vsum aliquē facti:id est necessariarum rerum, tam ad vitæ sustentationem quàm ad officiorum sui status exsequutionem,moderatum vsum:ita vt nec ieiunia Regula pręscripta omitterent, nec à Paupertate vmquam discederent: & vsum necessarium rerum tantùm haberent.

Sed anno 1324. Papa Ioannes XXII.etiam istum

ſtum Vſum facti illis abſtulit & planè ad peram & mendicitatem relegauit. Dicebat enim ille vſum illum facti Mendicantibus conceſſum, proprietatem in rebus aliquã illis attribuere: quum actus ipſe vtendi ad vtentem pertineat. Quare quum ius vtendi ſeparari à proprietate ſeu dominio in reb. quæ vſu conſumuntur nequeat: conſtitui, eum qui actum ſeu ius vtẽdi habet, habere aliquid ſibi proprium. quod repugnat Regulæ ac profeſsioni Paupertatis. Itaq. bulla edita concludit reſeruationem illam dominij, qua bonorũ dicti ordinis proprietas ad Eccleſiam Romanam transferatur, vſu eorum Mendicantibus conceſſo, à Papa Nicolao ſubtiliter excogitatam, quantùm ad ſtatum Perfectionis nequaquam fratrib. profuiſſe: immò merã ſimulationem eſſe & laruam qua Fratres ſeſe tegere conati ſint, vt ſenſim & pedetentim ſanctiſsimæ illius promiſſæ Paupertatis votum & profeſsionem deſererent, in qua ſtatum Perfectionis Euangelicæ collocâſſent. Quamobrem illos eò reuocat. Cap. ad cõd. De Verb. ſig. in Extr. Ioan.

QVVM Mendicantes fortunas ſuas retrolabi & ſe altius in Paupertatem demerſos quàm antè viderunt: quamquam dolori vix pares, conſilio tamen à patiẽtia ſumto per multos annos in tam iniquo ſtatu propè perditas res ſuas vtcumque potuerunt ſuſtẽtarunt. Septuagintaſex circiter annos ab hoc Ioannis XXII. decreto (anno videl. 1490) Papalem dignitatem obtinuit Alexander V. Cretenſis, qui in adoleſcentia Franciſcanus fuerat. Ad eũ certos ex ſuo numero delectos mittũt & docent ſe veros Curatos & paſtores populi eſ- Monſtr. lib. 1. cap. 56.

ſe,qui ius & poteſtatem haberent à ſede Apoſtolica confeſsionum audiendarum & inhumandorum corporum : & eos quibus auditis beneficium abſolutionis impertiuiſſent, haberi pro bene confeſsis : quos ſepeliſſent pro bene & ritè ſepultis,vt neceſſe non eſſet in eo rurſus Curatorum operā adhibere. Inſuper ſe quoque ius concionandi & ad populum Miſſarum celebrandarum obtinuiſſe,quas popul' etiā ſtudioſius & religioſius quàm Curatorum miſſas, vt ſanctiores, frequentaret. Adhæc in ſuis Monaſteriis nulla non hora Miſſas peragi, magno omnium commodo. Pro ientatoribus & comeſſatoribus matutinis,aut peregrè ituris,Miſſam matutinam tertia vel quarta hora præſto eſſe. Pro pigris & tardis (præſertim pro vetulis piis & deuotis) Miſſas etiam nona, decima & vndecima hora, vſque ad prandium non deeſſe. Præterea Sanctiſsimo Patri affirmant Curatos iſtos ferè eſſe aſinos togatos & inertia pecora, qui minima totius anni prædicatione defungi non poſsint, nec in Curis & beneficiis ſuis reſideant: ſed eorum functionē delegent Vicariis quibuſdam non minus indoctis, qui de fructu tantùm eccleſiarum percipiendo & ouibus tondendis ſolliciti,nec earum officiis deſeruiant, nec gregi cibum ſpiritualem præbeant. Se verò tum Miſsis celebrandis, tum frequenti prædicatione,epulas illas ſalutares populo affluenter & copioſè apponere. Itaque inde (aiebant) euidenter ſequitur nos eſſe veros & legitimos Curatos & paſtores populi,qui reipſa & actu omnia Curatorum munia exſequimur, quæ
ſine

ſine nomine & titulo Curatorum obiri nequeũt. Iſti verò qui hoc nomen vſurpant, Curatorum tantùm & paſtorum ſpeciem & vmbram gerunt: indigni hoc titulo, indigni qui fruantur fructibus, decimis, oblationibus, obuentionibus, & ceteris reditibus & emolumentis quæ ex ipſis beneficiis pendẽt. Quamobrem ſe ipſius Sanctitatem orare, vt ſe vellet conſtituere ſolos & veros Curatos, & in ipſorum beneficiorum realem & certam poſſeſsionem collocare: inhibitione facta iſtis qui ſe Curatos nominant, ne ipſos turbare, moleſtia afficere, aut vllo modo impedire, audeant, nec per ſe nec per interpoſitas perſonas: graui pœna conſtituta, indignationis beatorum Petri & Pauli & damnationis perpetuæ, ſine vlla ſpe gratiæ & veniæ. Ad hæc poſtulàta rationibus tanti momenti nixa, Papa Alexander rem ad collegium retulit, & ex Cardinaliũ ſententia, Mendicantibus fratribus quidquid peterent, amplis ac luculentis bullis ſcriptis conceſsit. Mendicantes iis bullis inſtructi, Roma Pariſios rectà contendunt, vt eas in Parlamenti Curia recipiendas & comprobandas curarent. Priuſquam tamen eas Curiæ exhiberent, populum ſibi conciliare & fauentem habere, optimum ducunt. Itaque per totum Quadrageſimæ tempus Lutetiæ in ſuis cœnobiis bullæ ſententiam promulgare atque exponere: ſe veros Curatos & animarum paſtores publicè teſtari: id ita decretum eſſe autoritate Papæ legati Dei in terris. ergo ſe in poſterum pro legitimis eccleſiæ rectoribus agnoſceret populus, ni vltro vellet incurrere in pœnas à Papa

aduersus contrà nitentes constitutas. Inter hæc quoque inuehi in ignorantiam & impudentiam Curatorum, qui ministerij sui functione neglecta beneficiorum tantùm fructus & reditus colligerent. Sed hîc aliquantum opinionis errore decepti sunt. nam fortè ita incidit vt Lutetiæ multa Curiata sacerdotia à Theologicæ facultatis doctoribus Sorbonicis occuparentur. Ergo bullæ istius vim ac periculum ad se quoque pertinere rati, suggestum conscendunt, bullam & eos qui eam impetrarant, suggillant. Docent intrepidè ab omni æuo Curatos in reali & legitima possessione esse decimarum accipiendarum, oblationum, obuentionum ceterorúmque fructuum ex beneficiis pendentium: Mendicantes contrà sua confessione & professione perspicua mendicitatis, palàm in possessione summæ, mediæ & infimæ, Paupertatis esse, nemine prohibente aut impediente. Itaq. debere vtrisque suam possessionem liberam & quietam seruari: Curatis videl. vsum & dominium fructuum & redituum ex ecclesiis suis. Mendicantibus verò possessionem Paupertatis & peræ: nec quidquam innouari oportere. Cui sententiæ confirmandæ multa argumēta adferebant. quippe scriptum esse, Reddenda esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo: id est, suum vnicuique reddendum, Curatis decimas & oblationes: Mendicātibus, mendicitatem & eleemosynas. Adhæc decere vt rei nomen ipsum conueniret. ergo Franciscanos, Iacobitas, Carmelitas & Eremitas S. Augustini, quum Mendicantium nomen sumsissent, reipsa & fa-

& facto debere esse Mendicantes, non Curatos. Longum esset omnes rationes, testimonia, argumenta, enumerare, quæ Curati in Mendicantes, Mendicantes in Curatos, iaciebant. Neutri enim vmquam conciones diligentius elucubratas & meditatas attulere quàm ad id certamen. Curati longa possessione & Canonibus veteribus & nouis nitebantur, qui illis animarum curam assignant, & eos Leuitis conferunt, tùm in ceteris rebus, tum in accipiẽdis decimis. Proferebant quoque illud ex Mose, *Non alligabis os boui trituranti, &c.* & *Dignus est operarius mercede sua:* & multos alios locos Scripturæ, quos ad vnguem tenebant. Mendicantes verò nuper velut è terra natos, cui vsui esse nisi vt quieta moueant? Nam priusquam Mendicantium vlla mentio esset, non minus homines Christiana doctrina fuisse eruditos, non minus ritè missas, confessiones, & cetera quæ ad Dei cultum pertinent, fuisse peracta, quàm ex quo exorti essent. Illis nihil esse præter inanem verborum pompam & argutas præstigias quibus homines fascinent, & doctrinæ famam opinionémq. colligant: quum reipsa ignorantiæ fastum & hypocrisin, opum cumulandarum cupidini externam professionem paupertatis, prætexant. Insuper dicebant eos qui Mendicantibus aliquid largirẽtur (præter aliquas stipes & eleemosynas) mortali peccato sese obstringere. Quem enim illis vel pecunias, vel possessiones, vel reditus, legare posse, quin eos votum paupertatis abrumpere, peierare, ac proinde æternam mortem subire, cogeret? Eum autem qui alteri peccati perpetran-

di autor & caussa sit, nihilo minus reum esse quàm eum qui perpetrat. Altera parte fratres Mendicantes Apostolicas bullas proferebant, & potestatem Papæ. Annon intolerandam esse hæresin bullis Pōtificiis autoritatem & fidem derogare? Quid aliud esse reuocare in dubium sublimem & immensam potestatem summi Dei ipsius vicarij? Deinde dictos etiam locos *Non alligabis*, & *Dignus est mercenarius*, &c. ad se trahebant, & pro se facere contendebant. Quippe se veros esse boues, qui triturent, & veros operarios qui diuino ministerio incumbant. In vno cœnobio plures missas vnico mense peragi quàm per totum annum in omnibus Curis Parisiensibus: se centuplo plures confessiones audire & plures inhumare quàm Curati solerent. Itaque Curatos hos locos citantes suo sibi gladio iugulum incidere. Conciones verò suas an auderent cum Mendicantium prædicationibus conferre? quid enim istos auditu dignum ad populum eloqui posse? quid nisi breues quosdam & exiles Sermunculos velut à magistro dictatos, referre, ad oblationes captandas? Itaque eorum ignorantiam cum pari turpitudine vitæ coniunctam meritò omnibus ludibrio esse: nec fabulam vllam publicè probari, quin Curato suæ partes attribuantur. Quales verò sint nostræ conciones (aiebant ipsi ad populum) vosmetipsi testes estis: neque magis cum iis illorum procœmia posse conferri quàm asinum cum vitulo. Ceterum Latinè loquendi peritia, vellént ne illi nobiscum contendere? Vel minimi cœnobij infimus nouitius Curatorum etiam do-
ctissimis

ctiſsimis os occluſerit, ſi modò os illi habent. Denique totum illud Quadrageſimæ ſpatium contrariis Mendicantium & Curatorum concionibus conſumtum eſt: quum hi & illi vtrimq. popularem auram & gratiam captarent. Poſtquam illud tempus abiit, vtrimque in ius ventum eſt. Mendicantes petere cœperunt à Curia Pariſienſi vt bullam Pontificiam admittere & comprobare ſua autoritate vellet: Curati Pariſienſes intercesſerunt. Ita grauiſsima lis exoritur: ſumma contentione ab vtraque parte cauſſa agitur: crebris intentionibus & depulſionibus omnes eæ rationes, & plures in iure ſitæ, allatæ & conſumtæ ſunt. Sed tandem calamitas in Mendicantes vertit. quum enim victoriam iam propè ſibi deſponderent, ecce Alexander v. moritur. Tum Curati velut redintegratis viribus, obiicere illis, ſuas bullas nullius momenti eſſe, niſi à Papa Ioanne XXIII, qui Alexandro ſucceſſerat, de integro confirmarentur. Mendicantes tam improuiſo caſu icti, bullarum confirmationem obtinere conati ſunt: ſed præuenti eluſique à Curatis, quum præter tot irritos labores etiam ſpem ſibi ereptam cernerent tantæ rei obtinendæ, actionem omnem deponere ſtatuunt. Primi omnium Iacobitæ liti ac foro renũciant, & ceteri deinceps. Quamobrem ſuprema Parlamenti ſententia Curatis adiudicata eſt poſſeſsio & fruitio Curarum ac redituum inde pendẽtium: Mẽdicantib. ius & poſſeſsio peræ ac mendicitatis, cum expreſsis inhibitionibus (ex conſenſu Curatorum factis) nequis illis ea in poſſeſsione moleſtiam vllam fa-

cesseret: & impensis litis vtrimque compensatis. MENDICANTES artioribus & grauioribus quàm vmquam compedibus Paupertati affixi, quampatientissimè fieri potuit infortunium suum tulere. necessitas enim cogebat. Extitere tamen inter eos nonnulli, qui quum super insitam animis industriam gratia quoque pollerent, effecere vt sibi impetrarent prouisiones & priuilegia à Papa in quasdam Curas & alia beneficia, adiunctâ dispensatione & licentia ea tenendi & possidendi, non obstante voto Paupertatis. Hîc Curati Galliæ, exemplum veriti, apud Carolum VI. queruntur. Rex ex Consilij sui sententia, anno 1413. constitutionem in eam rem edit: qua Regulas ab autoribus & fundatoribus ordinum Mendicantium factas multis verbis laudat: præsertim quòd illis statutum est vt in tali paupertate viuant, vt nihil illis neque in communi neq. in speciali possidere liceat. Quippe salutarem esse hunc Canonem: & Mendicantium professioni ita annexam esse Paupertatem, vt ne Papæ quidem alteram ab altera diuellere liceat. Quibus consideratis, seuerissimè vetat prouisionum aut priuilegiorum, quæ Mendicantes in Curas aut alia beneficia obtinuerint à Papa, rationem vllam haberi: immò siquis eorum in alicuius sacerdotij possessionem sese miserit, inde expelli iubet, neq. quemquam eò deinceps admitti. Tum edicit omnibus Præfectis, Bailliuis, Seneschallis, aliisque Regni officiariis ac ministris, ne rem tam perniciosam, immò superstitiosam, permittant, sed in delinquentes seuerè animaduertant: non obstantibus

tibus quibusuis bullis, prouisionibus, dispensationibusve Pontificiis, huic suo Edicto contrariis. Quamobrem hoc Edicto regio Mendicantes profundius quàm antea in altissimam Paupertatem & mendicitatem demersi sunt, tum communiter tum priuatim ac propriè singuli. Idque autoribus & machinatoribus Curatis aduersariis eorum.

SED quis tam peruicacib. ingeniis persuasisset vt litiū finem facere vellent? Mendicantes igitur haud satis æquo animo Edictū pati, & toruis oculis Curatos aspicere: neutris modestiæ cura in suggestu: alij in alios mutuis cōuiciis debacchabantur. Inter hæc Sixtus IIII, qui Fratrum minorum ordinis fuerat, Papa creatur anno 1472. Ibi Mendicantes cristas erigere in Curatos, nec dubitare quin apud eum non minus gratia quàm caussa valerent. Curati Mendicantium contumelias & intolerandam arrogantiam pertæsi, Pontificem querelis fatigant. Ille reconciliandæ inter eos concordiæ viam quærere sui officij ducens, quatuor Cardinalibus (Hostiensi videlicet, Prænestino, S. Petri ad vincula, & S. Sixti) negotium dat vt de tota Mendicantium & Curatorum caussa & lite cognoscant, eámque quammollissima via consequi posint componant. Isti ergo arbitri, auditis vtriusque partis hinc inde propositis & argumentis, partes ipsas communi earumdem consensu ad concordiam perduxerunt. Quæ vt firma & perpetua pace inter dictas partes sanciretur: autoritate Papæ, anno 1478, approbata & confirmata est, & his capitibus comprehensa: c.1. de Treuga & pace. In Extrauag.

Capita pacis & concordiæ inter Curatos & Mendicantes reconciliatæ.

Videlicet, ne ipsi parochiani sacerdotes in posterum dicerent à Mendicantibus hæreses processisse, quum in veritate fides sit illuminata, & ecclesia exaltata, per eosdem, & præsertim per Ordines Prædicatorum & Minorum. Deinde vicissim ne fratres mendicantes prædicarent, populos parochianos non teneri audire Missam in eorum parochiis diebus festis & dominicis: quum iure sit cautum illis diebus parochianos teneri audire Missam in eorum parochiali ecclesia. Præterea ne Fratres aut Curati inducerent aliquo modo laicos ad eligendum sepulturam apud eos, & bene cauerent propter pœnas quas imponunt Canones, quum sit libera. Insuper etiam desisterent Mendicantes prædicare, quòd parochiani non sunt obligati, saltem in Paschate, proprio confiteri sacerdoti: quia de iure tenetur parochianus (saltem in Paschate) proprio confiteri sacerdoti. Per hoc tamen ipsi fratres Mendicantes non censerentur exclusi quominus secundùm iuris communis & priuilegiorum eisdem concessorum dispositionem, confessiones audire & pænitentias iniungere valerent. Item de cetero inter ipsos fratres Mendicantes & Curatos, quoad effectum prædicandi, horas cantandi, & campanas pulsandi, antiqua consuetudo seruaretur: nec fieret commutatio temporis vel horæ in ipsis prædicationibus faciendis, nisi de consensu partium. Quódque etiam ipsi Fratres in sermonibus suis non detraherent Prælatis & rectoribus parochialium ecclesiarum. neque etiam populos à suarum ecclesiarum parochialium frequentia & accessu

accessu abstraherent, siue retraherent quoquo modo. Et vice versa ipsi rectores & prælati nullo modo detraherent Mendicantibus, sed illum fauorem quem possent eis & in omnibus & per omnia præstarent: vt vera vnitas inter eos ostenderetur. Hæc in summa sunt capita pacis seu concordiæ inter Curatos & Mendicantes conciliatæ & sententiæ ab arbitris pronunciatæ, quam Sixtus Papa vehementer approbat, hortatúrque omnes ad vnitatem: velut illius vices gerens in terris qui Apostolis suis dixit, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Sed ex iisdem articulis liquidò apparet quàm acerbè (vti diximus) mutuis conuiciis & probris alij alios publicè lacerarent. Neque id adeò vlla ex re fiebat quàm ex nimio zelo quo vtrique flagrabant: minimè inflammandi quidem ad pietatem populi, sed trahendarum in se oblationum: quas rudibus illis seculis à multitudine imperita quantas maximas & vberrimas vellent habebant. Quum enim isti omnibus, sed potissimùm ægrotis, Purgatorij & inferorum pœnas comminarentur, nisi gratiam pretio redimerent, eo metu subacti homines fortunis semet ipsi exuebant vt Cœnobia & ecclesias ditarent.

QVOCIRCA (vt ad propositum reuertamur) vna hæc historia Machiauellum vanitatis & mendacij coarguit, docétq. rerum omnium nihil ineptius esse Paupertate ad pacem tuendam & populum in obsequio continendum: quum istos quoque qui eam vltro profitentur inter se toties commiserit. Sed & ex hac ipsa narratione colli-

gi potest quæ'nam fuerit Mendicantium sancti-tas (cuius fama & opinione tamdiu fascinatus est mundus) qui iam inde ab originis suæ primordiis tot certamina & lites pro ventre aduersus Curatos mouerint. Cœperunt emergere in lucem & florere Gregorij IX. temporibus circiter annum 1230. præsertim Iacobitę & Frāciscani. ac iam tum Pontifex ille soluendis quęstionib. quas Mendicantes circa vsum Paupertatis nectebant, occupatus est: atque inter cetera declarauit Paupertatis illius nomine intelligi Abdicationem proprietatis omnium rerum, non tantùm in speciali sed etiam in communi. sicuti Nicolaus III. in sua decretali exponit, de qua superius egimus. Nam constitutio Papæ Gregorij in corpore iuris Canonici non exstat, sicuti exstant illæ superiores, de quibus antea. Sed eius rei vilis iactura est: immò nec totius quidem iuris Canonici molesta esset nec damnosa. Etsi enim nonnihil intermistum sit boni, tantum tamen paleæ est, tantum nugarum, & tam multa quæ nulli vsui esse possunt nisi ad artem rabulariam Romanam & superstitiones fouendas, vt dum cloaca illa fœtida, ex qua tot animorum corporúmq. pestes fluxerunt, obstruatur obruatúrve, quamtumcumq. in eo boni aut sani est, id simul totum aboleri expediat. Nam (vt lepido epigrammate Gallico fertur, quod nos vtcumque expresimus)

Platina in Greg. 9.

Ius Canonicum plus mali quàm boni continet.

Ex auo Decretum sumtis se sustulit Alis,
Gestaríque auidis mantica Militibus
Cœpit: & anormes in equis iuere Cuculli:
Quid fuit huic mundus? Nil nisi scena mali.

XXXIII.

XXXIII. THEOREMA.

Princeps sibi à subditis metuens, arces exstruere in ditione sua debet, vt eos in obsequio & fide contineat.

PRINCEPS (inquit Machiauellus) qui vehementius suos quàm peregrinos formidat, præsidia & arces exstruere debet: cui verò ab externo hoste quàm à subditis maior metus est, is arcibus prorsus non eget. Quippe non odio haberi à subditis, ea demum munitissima arx est: & semel inuisum populo Principem, nulla adeo valida est arx quæ protegere aut eripere possit. In pace quidem possunt præsidiariæ arces Principi vtiles esse. audentiã enim atq. animum ipsi eiúsq. Legatis ac Præfectis faciẽt, vt fidẽtius populũ sub iugo teneant, & duriore eũ coerceant imperio. Sed ne hæc quidem præsidia satis firma erunt, nisi validum quoque exercitum comparare possit Princeps ad subditorum motus & rebelliones opprimẽdas, siquæ fortè oriantur. Nam si eos ad inopiam redigendo subigere posse existimet, Comm. li. 2. ca. 24. & ca. 20 De Principe.

ſpoliatis arma ſuperſunt: ſi eos exarmarit, furor arma miniſtrat: ſi potentiſſimos quoſque & principes populi ſuſtulerit, ei, tamquam Hydræ, renaſcentur & ſuccreſcent capita. Sfortiæ arcis munitæ, quam Mediolani exſtruxerant, ope ac fiducia ſubditos tractare ſe poſſe pro libidine rati, nullum iniuriæ genus ab iis abſtinuerunt. Quamobrem, quum omnium ciuium in ſe odium conciuiſſent, Mediolanum à Gallis primo impetu expugnatum eſt: neque Sfortiæ arce tantum, quæ nihil tum profuit, ſed ducatu quoque omni exuti fuerunt.

Machiauellus omnia Tyrannicæ artis præcepta docuit.

QVAMQVAM Machiauellus Tyrannicam artem in ſuis ſcriptis methodo & via non doceat, nullum tamen eius præceptum, nullam partem, omiſiſſe mihi videtur. Principio enim docuit quibus rebus Tyrannis fundari atque exſtrui debeat: nimirum, ſæuitia, perfidia, verſutia, periurio, impietate, vltione, amicorum & conſilij contemtu, aſſentatorum illecebris, odio virtutum, auaritia, inconſtantia, ſimilibúſque vitiis, quibus paulatim veluti gradibus ad ſummum nequitiæ atque iniuſtitiæ faſtigium perueniatur. Secundò, quibus præſidiis Tyrannus ſuas opes & editiſsimam illam vitiorum & Tyrannidis arcem tutari ac propugnare poſſit: ſerendis videlicet atque alendis inter ſubditos diſcidiis, ac prohibendo ne opibus & diuitiis creſcant. Nunc aliam quoque rationem addit, nem-

pe vt

pe vt Tyrãnus munimenta aduersus subditos exstruat, in maximis quibusque vrbibus arces excitet (vulgò Citadellas vocant) castella & propugnacula imponat pontibus, & omnes saltus locáque transitui opportuna præsidiis impediat obsideátque. Ac Machiauellus sine hac postrema ope, cetera iudicat parum efficacis momenti fore ad stabiliendam Tyrannidem. Paupertas enim (inquit) haud satis multitudinẽ in obsequio continet, quia spoliatis arma semper supersunt. Quæ tametsi erepta fuerint, capitibus etiam & potentissimis quibusque cæsis, ne id quidem tamen sufficiet. quippe inermi quoque multitudini furor satis armorum telorúmq. suppeditat, atque ei, tamquam Hydræ, noua & plura capita repullulant.

In refellendo hoc Theoremate multum operæ consumere nõ libet: tantùm dico, experientia nos doceri arces istas nuper inuentas (quas Principes nostra ætate subditorum ceruicib. imposuerunt) innumera mala peperisse. Quippe & his, velut catenis, commerciorum libertas constricta, & inde aduersus oppidanos crebræ militũ rixæ & iniuriæ ortæ sunt: neq. vllus ex ea re fructus ad Principes rediit redibítve præter ingentes sumptus & subditorum odia. Hæc enim arcium & munitionum institutio, præsertim si aliis locis quàm in limite regni vel ditionis, vt aduersus hostem externum, collocentur: indicio est Principem popularium fidei haud satis fidere. Simulatque suam fidem suspectam esse Principi subditi his signis deprehendunt, simul inde

eius animum ab se alienatum esse colligunt. Subditi verò qui se Principi inuisos esse suspicantur, ei vt bene velint fieri non potest. Sublata beneuolentia, ei haud volentes parent, ac vbi opportunitas sese dat, obsequium & fidem rumpunt. En talium munimentorum & præsidiorum fructus.

Machiauellitæ in Gallia non per omnia sui Doctoris præceptionibus paruerunt.

VERVM hoc quoque obiter dicam, nostros Machiauellitas, qui carnificinæ & stragis quæ D. Bartholomæi die Lutetiæ patrata est autores & exsecutores fuere, parum attentè hunc locum Machiauelli perlegisse. Quum enim vulgò iactarent in piscandis ranis & minutis pisciculis operam non esse ponendam, sed ingentes Salmones inescandos & capiendos esse. quippe vel vnius Salmonis caput pluris esse quàm decem millia ranarum: hac ambage nihil aliud significabant, quàm cæsis rebellium (vt vocabant) capitibus ac principibus promiscuam & inconditam multitudinem facilè disiectum iri. quæ sine ducibus nihil mouere auderet. Sed discere isti maturè à doctore suo Machiauello debuerant, quod postea reipsa experti sunt, populo aduersus Tyrannidem duces & capita deesse non posse, immò prioribus exscisis alia subinde & plura renasci. Hunc enim locum si accuratè notassent, vt ceteros eiusdem scriptoris: nec tantùm profusum esset sanguinis, & eorum tyrannis fortè diuturnior fuisset quàm futura est. Innoxius siquidem sanguis è terra ad Deum clamauit, vltionem tot scelerum cædiúmque flagitans: Deus verò, pro sua æquitate sanguinis voce, pupillíque ac viduæ clamore audito, elatam securim in Tyranni

rannidis radicem librauit, neque eam multis iam ramis abſciſis, diu ſtare patietur, vt Galliam priſtino ſplendori & libertati reſtituat.

QVOD attinet ad præſidia & arces quæ in limitibus & confiniis collocari ſolent, vt certiſsima imperij munimenta ad hoſtium impetus & incurſiones arcendas: & qui loca proximè hoſtem incolunt, tuti ſint aduerſus accolarum & finitimorum iniurias: non hodie primùm in vſu eſſe cœperunt. Alexandrum Seuerum legimus, loca quæ de hoſtibus capta erant, limitaneis ducibus & militibus donare ſolitum, ita vt eorum eſſent ea lege, ſi heredes illorum militarent, nec vmquam ad priuatos pertinerent: dicentem, attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent. Conſtantinum quoque poſtea ſanxiſſe vt agri, villæ, oppida, quæ ad victum emeritorum contributa erant, ad heredes tranſirent. Vnde nonnulli Feudorum originem duci exiſtimant. Lamp. in Alexan. Pomp. Lætus in Conſtantino.

XXXIIII. THEOREMA.

Princeps ea negotia quorum exſecutio odio vel inuidiæ obnoxia eſt, alteri delegare debet: ea verò ſibi ſeruare quæ ab ipſius gratia pendent.

Cap.7.& 14. de Principe.

PRINCEPS aliquod ſæuum & crudele facinus editurus (inquit Machiauellus) eius patrandi negotium alteri dare debet, vt inuidiam atque odium rei à ſe auertat. Immò ſi vereatur vt eiuſcemodi delegatione infamia facinoris decedere nequeat, quin eius conſenſu vel iuſſu perpetratum credatur: miniſtrũ ſæuitiæ interficere poterit, vt perſuadeat omnib. ſua autoritate vel volũtate nihil eiuſmodi admiſſum eſſe. ſicuti Cæſar Borgia Remirum Dorcum ſuſtulit.

HAVSTVM eſt hoc Præceptum ex præclara illa doctrina quam Machiauellus magiſtro Cæſare Borgia didicit, qui quamuis atrox eſſet, clementiæ tamen ſpeciem aſsimulans, ſæuitiæ ſuæ miniſterium Remiro Dorco mandabat. quemadm. ſuo loco fuſius expoſuimus. Sed quia antè omnem perfidiam & malitioſam ſimulationem indecoram Principi eſſe copiosè docuimus, hîc actum agendo fruſtra operam non ludemus. Ceterum haud equidem negem nonnulla interdum incidere, quæ (tametſi ſunt æquiſsima) ſpeciem tamen ſummæ ſeueritatis habeant. Ea Principem aliorum opera quàm per ſe adminiſtrare ſatius eſt, qui de eiuſcemodi cauſsis ex iuris & legum præſcripto pro ratione criminum ſtatuant. Nam (vt M. Antoninus dicere conſueuerat) quidquid Princeps agit, id hominibus potius liberæ & ſolutæ poteſtatis

Huius lib. Theor.7.

Capitol. in Marco.

testatis licentia quàm ciuilis & moderatæ iure agere videtur. Itaq. vt eius vitij suspicionem effugiat Princeps, eius generis caussas tractandas delegabit Iudicibus bonis, minimè suspectis, qúiq. priuatos affectus in consilium non adhibeant. Valentinianum verò non imitabitur, qui nullos iudices magistratúsve, quos ipse tulisset ac statuisset, eiurari ac reiici à quoquam patiebatur: sed reos apud eorum Iudicum tribunal, quorum ipsi cognitionem defugerent, caussam dicere cogebat. Qua ex re nullum fructum, prçter infamiam, cepit. Nam iuris profectò & iudiciorum æquitatis tuendæ primarium hoc caput est, vt iudices & magistratus ius & fas priuatis affectibus antiquius habeant. Perturbationes enim animi, nisi coerceantur, rectum mentis iudicium occæcant, & à bono honestóq. in prauum abstrahunt. Itaq. si Princeps vel vt propriç vlciscendi cupidini, vel vt alienis libidinibus, obsequatur, caussarum cognitionem permiserit Iudicibus & quæsitoribus qui eorum potentiæ à quibus corrupti sunt libertatem & conscientiam suam gratificantur, rem per se malam peiore exemplo faciet. Eiusce modi fuit iudicium, quo, regnante in Galliis Ludou. Hutino, Enguerrantius Marignius, summus Ærarij regij præfectus, peculatus reus peractus & damnatus est. Eiuscemodi etiã fuit quod, regnãte Carolo VI. de Ioãne Paludano regio in Curia Parisiẽsi aduocato, capitis reo, factũ est. His meritò adiũgi possunt iudicia nostra ætate aduersus Annam Burgium, regium in dicta Curia Consiliarium, Bricomaldũ capitaneũ, Arnoldũ Cauaniũ regiũ libellorũ supplicũ magistrũ, & comitem

Iudices si priuatis affectibus transuersi aguntur, ius æquum reddere nequeunt.

Mongommerium,& plures etiam alios pronunciata. Nam ex suppliciis quæ damnationem sequuta sunt, quis non vidit Iudices istos, priuatarum rerum respectu & propriis affectibus corruptos, famæ, fidei, conscientiæ suæ, peregrinorum qui hodie in Gallia rerum potiuntur commodum & gratiam anteposuisse?

XXXV. THEOREMA.

Princeps, iuri rectè reddendo, magnum Iudicum numerum statuere debet.

Com. lib. 1. cap. 7.

AD promtam iuris & caussarum expeditionem (inquit Machiauellus) plures Iudices statuendi sunt. Nam à paucis pauca fiunt: & pauci quàm plures facilius corrumpuntur. Postremò magnus Iudicum numerus plus pollet ad iuris legúmque grauitatem & autoritatem aduersus omnes tutandam.

Iuris & iudiciorum corruptio in Gallia ex multiplicatione Officiorũ orta.

EORVM quæ in Gallia vidimus & videmus experientia hoc Placitum falsitatis coarguit. Ex quo enim propagati sunt Iudices & magistratus qui iuri dicundo præsunt, Parlamentorum consiliariis multiplicandis, Præsidialibus sedibus instituendis, nouis aut alternis officiariis creandis, multo difficilior ius reddendi ratio, multo longiores & frequentiores lites, quàm olim, factæ sunt. Itaque

que,in publico Regni Concilio ante aliquot annos Aureliæ habito; meritò Status apud Carolum IX. regem questi sunt de hac tanta multitudine magistratuũ,quæ nulli vsui esset (sicuti neq. hodie est)nisi ad multiplicandas lites, & exsugẽdas populi fortunas: quũ nihilo facilior propterea caussarum expeditio quàm antea,immò perspicuè longior, sumtibus quoque immensis litigatores exhauriret.Ad hoc postulatũ præclarum s.c.factum est,vt Officia &magistratus qui morte vacarent,abolerentur,neque in demortuorum locum subrogarentur alij: donec Iuridica Officia ad veterem numerum reuocarentur, qualis erat regnante Ludouico XII. Eodem edicto vetitum est, Ne officia venalia essent, sed conferrentur à Rege (nominatione facta ab amplissimis cuiusque loci ciuibus) spectatæ probitatis & doctrinæ viris, de quorum scientia ac peritia extemporale examen fieret,priusquam admitti possent.Sed Machiauellitę nostri vtrumque legis caput antiquandum curarunt: posterius, vt ex licitatione Officiorum pecunias cogerent:prius, vt in forum suũ generis istius mercium maior vis afflueret. Nam quo vberior est Officiorum prouentus, eo mercatus & nundinatio etiam quæstuosior est: quia quo plura sunt,eo etiam plura & frequentius vacant,&quidem (vt dixi) venalia: vnde ingens pecuniæ vis. Neque existimandum ex copia Officiorum vilitatem sequi: immò, ab hinc decennium triente aut dimidia amplius parte eorum pretiis intẽsis, Consiliarij munus in Parlamento, quod tribus

Machiauellitæ, auctione Officiorum instituta in Gallia, eorum precia intenderunt.

tantùm aut quatuor millibus francorum emebatur, hodie duobus aut quatuor coronatorum millibus constat. Officia Præsidum & Procuratorum generalium (quæ venum dari non solebant) paucis ab hinc annis, velut in auctione, duodecim, quatuordecim, & viginti millibus francorum, prostant venalia, pro dignitatum gradu & amplitudine Parlamentorum. neq. enim vnius sunt pretij. Sed quibus etiam (obsecro) Machiauellitæ nostri in Gallia has merces impertiunt? Indoctis planè, aut ambitiosis, hominibus. Quippe docti viri, nisi ambitu impellantur, emere publica munera non sustinent: sed (quemadmodum Cato Consulatus repulsam passus dicebat) malunt digni videri Præsidis aut Consiliarij munere, quàm eos honores pretio cõsequi. Quod ad indoctos attinet, non abs re ingenio diffisi subsidium à pecunia mutuantur, vt habeant vnde vitam tolerent, & quod vniuersum mercati sunt, id distractim & minutatim vendant. Nam alioqui eos vel fame contabescere, vel exsibilari à populo, necesse sit, quòd propter ignorantiam nullis forensibus negotiis ac Iuridicis functionibus adhibeantur. Itaque quum & multi sint, & ad Officiorum auctionem certatim accurrant, crebris licitationibus eorum pretia paucis abhinc annis immensùm auxerunt. Quo enim cupidius Officiorum diribitores & sectores Machiauellitæ, mercatores affluere, & hastam eius generis rerum calescere, sentiunt, eo carius suis mercib. pretium statuunt, neque eas addicere volunt, nisi quamaltissimo nummo licitantibus. Sed mihi

fœdos

fœdos istos nundinatores ad rationem & calculum vocare hîc propositum non est: quippe eos in proximo Statuum Concilio publicè caussam dicturos spero.

VERVM, vti dixi, hoc Axioma, publici Statuum concilij Aureliæ habiti decreto damnatum est: vnde liquet ingentem Iuridicorum officiorum & magistratuum numerum Reipubl. neque commodum neque vtilem esse: modicum verò, salubrem. Quod vel naturæ iudicio facilè quoque intelligi potest. Princeps enim qui iuri reddendo multos magistratus instituet, vel multiplices Iudicum gradus seu ordines statuat necesse est, vel multos eodem gradu ac pari dignitate Iuridicos. Si multos gradus Iudicum fecerit, iudicia haud dubiè longiora & perturbatiora erunt, non sine litigantium periculo. quippe litigatores per longos circuitus circumduci, & adeundis variorum Iudicum tribunalibus per multiplices instantias veluti gradatim ascendendo, fatigari necesse erit. Vnde multiplicem Iudicum ordinem perniciosum esse Reip. consequitur. Si multos eodem gradu & dignitate legerit (vt in Gallia factum est, quum Præsidiales sedes institutæ sunt, veteribus Consiliariis noui in Parlamentis adscripti, multi Præpositi aliíque Iuris ministri creati) tantum abest vt tanta Iudicum turba ius melius & promtius reddat, vt etiam longiorem litium seriē & maiores sumtus afferat. Nam vt plures vnum in locum conueniant, vt sententias ordine dicant, multum temporis consumi necesse est: tum, vt inquit Horatius,

Tt

Segnius expediunt commissa negotia plures.

PRAETEREA ferè litigatores Iudici suo præcipua iuris & caussæ suæ capita exponere coram appetunt, veriti scilicet nequid in examinanda lite vel per negligentiam, vel præproperam festinationem, intactum fugerit. Nam (vt in prouerbio est) viua vox magis afficit quàm scriptura: & res in animis fidelius & tenacius insculpit. Eiuscemodi litigatorum studium, æquum videlicet atque honestum, neque reprehendi, neque frustrando eludi aut frangi, debet. Atqui nihil est quod eius consequendi commodi spem magis minuat, quàm multiplex Iudicum numerus. Neque enim omnes adire, leuis operæ est: ac si in vno reperiendo successerit, rarò incidit vt ceteros opportunè offendas. Adhæc si quæstio quæ in iudicium veniet ardua non sit, quorsum multos Iudices, cui expediendæ vnus sufficit? Quippe vnus domi plures caussas vno aut altero die expedire potest, quàm integro mēse magnus Iudicum cœtus: facilè enim ille omnibus horis, matutinis, pomeridianis, vespertinis, festis, profestis, diebus, operi intentus esse potest: diurnis etiam operis nocturnas lucubrationes adiungere: multorum consessus non nisi statis quibusdam diebus, & certis horis, agere consueuit. Si caussa difficilis in disceptationem adducatur, videtur melius à pluribus diiudicari posse quàm ab vno, quia (vt vulgò fertur) plus vident oculi quàm oculus: tum haud ita commodè corruptio in plures spargi potest. Sed huiusmodi difficultatibus alia ratione consuli posse quàm multiplicato Iudicum numero

Inferioribus siue subalternis (vt vocant) iurisdictionibus, vnicum præesse Iudicem satis est.

mero ſpes eſt. Nam in vnaquaque Iuriſdictione, ſeu Sede ſubalterna (vt vocant) vnus Iudex ſuffecerit integritate, innocentia, & mediocri doctrina prǽditus, ſtipendiis de publico aſsignatis. Quem tum inſita ingenio probitas, tum honeſta merces, ab auaritia & corruptione facilius continebit, quàm colluuiem iſtam ex qua hodie ſumuntur Iudices: doctrina his dotibus iuncta, euoluendis cauſſarum nodis atque ambagibus optimum adminiculum erit. Quinetiam ipſi in rebus quibuſque difficillimis, aduocatos quoſque doctiſsimos ſuæ iuriſdictiónis, aſſeſſores ſibi cooptare licet, eorúmque conſilia domi priuatim percontari: & eorum ſententiis expenſis, quid in quæſtionibus Iuris & Facti ſequatur, certò ſecum conſtituere. Quamquam etiam alioqui ſubſidio librorum, cauſſæ de qua agitur partibus omnib. accuratè inſpectis, ſeſe ex qualibet difficultate expedire ipſe poteſt, ſi iudicio valeat & doctus ſit qualem eſſe oportet. Adhæc quum Iudices inferiores vix malè iudicare poſsint, quin aut in Facto aut in Iure errent: cautius & diligentius agent, ſi Supremi iudices officio fungantur, nec parcant iis diem dicere, qui craſſa ignorantia in Iure offenderint, aut qui negligenter inſpectis cauſsis in Facto fuerint lapſi. Equidem ſi eiuſcemodi Iudicibus tales cenſores & errorum caſtigatores obtigerint, haud dubitem Iuriſdictionem non minus probè exerceri ab vno in Subalterna quaq. ſede quàm à plurib. poſſe. Quid verò hîc fit? Supremi iudices haud ægrè ferũt errores iſtorũ & praua iudicia ad ſe deferri, & ſibi quæ-

ſtui eſſe: vt impenſas & iacturas emendis Officiis factas ſarciant, vt auaritiam expleant, vt effuſæ coniugum ſuarum luxuriæ immanes ſumtus tolerent. Ita Iuriſdictioni idem planè quod humano corpori vſuuenit. Caput enim ſanum & valens facilè ceterorum membrorum neceſsitates & morbos tolerat, iiſque curam & prouidentiam adhibet: Ægro capite cetera membra languere neceſſe eſt. Sic Parlamentorum corruptio omnẽ iuriſdictionem inferiorem deprauat.

Suprema iuriſdictio à pluribus adminiſtrari debet.

ITAQVE aduerſus Machiauelli ſententiam ſtatuo, Magis è re publica fore ſi vnicuique iuriſdictionis inferioris gradui, ſeu ſedi, vnus tantùm Iuridicus præſit, quàm multiplex turba. Id tamen ad Supremam iuriſdictionem trahere atque extendere nolim: immò contrà iudicàuerim neceſſe eſſe vt exerceatur à pluribus, id eſt, mediocri hominum lectorum & probatorum numero. Quippe iudicium communi multorum prudentia & conſilio editum multo plus momenti & autoritatis obtinet (qualis Supremi iudicij eſſe debet) quàm quod ab vno factũ eſt. Deinde quum Suprema iuriſdictio ſæpe nuda & ſimplici æquitate nitatur (quæ ſæpe forenſibus locorum conſuetudinibus, conſtitutionibus, & iuri ſcripto, aduerſatur) de æquitate decídi multorum iudicio & ſententia bonum ac neceſſarium eſt. neque vnum tantam ſibi licentiam ſumere fas eſt, diſcedendi à receptis atque approbatis legibus, vt ſuam vnius opinionem ſequatur, cui æquitatis nomen indiderit. Quid enim aliud eſſet, vnicuique iudici pro libidine iudicadi poteſtatem facere,

contra

contra ius receptũ & cõfirmatum, & quamlibet fœdam iniuriam atq. iniquitatem specie æquitatis obtrudendi? Quare, quum non temerè discedendum sit à legibus: ac circumstantiis, consequẽtibus, & caussis, propter quas nonnumquam summo iuri præponenda videatur æquitas, accuratè considerandis & perpendendis nemo vnus satis idoneus esse posit (nisi rara quadam doctrinæ præstantia, rerum vsu, & solido iudicio, ceteros omnes supereminéat, quales vulgò multi haud facilè reperiuntur) eam potestatem atq. autoritatem æquitatis ante leges receptas ponendæ pluribus quàm vni permittere tutiús est: neque id quibuslibet, sed delectis & probatis viris. Præter hæc, summorum Iudicum est noua Principis Edicta examinare, vt priusquam ea sua autoritate comprobent, leniant siquid asperius videatur, aut Principi significẽt, cur ea accipi aut promulgari non expediat. Id verò vnius hominis ingenio præstari aut prouideri posse quæ spes est? quippe eius tanta non est amplitudo vt quæcumque Edictũm aliquod absurditatis, incommodi, aut iniquitatis, arguere possunt, ea omnia cogitatione aut memoria complecti queat. Sed ea multorum, versantiũ in animis secũ vnamquamque rem: agitantium deinde sermonibus, atque in medium quid in quaq. re plus minúsve sit, conferentium, ingeniis consiliísque animaduerti possunt. Quare dubium non est quin multorum & doctorum (maturè & diligenter, contraria, similia, consequentia, & adiuncta cuiusque rei, considerantium) iudicia plus polleant ad eruendum

ac corrigendum ſiquæ perplexa aut incommoda Edicto hæreant, quàm vnius hominis ratiocinatio. Cuius rei fidem facit ea ratio quam in perferendis legibus obſeruabant Romani, Quamuis enim qui legem ad populum ferrent rogaréntque nec iudicij, nec rerum peritiæ, egerent: attamen quum liceret cuilibet ciui, ſi videretur, ad diſſuadendam rogationem procedere, ſæpe reperiebantur tenuis fortunæ homines, & nulla vel doctrinæ vel experientiæ fama celebres, qui ea ineſſe legi vel abſurda vel incommoda docerent, vt eam ſæpenumero reiici, aut corrigi ſiue modificari (vt vulgò dicunt) neceſſe eſſet, Adhæc quum Summi iudices veluti cenſores & correctores inferiorum ſint, multos eſſe expedit. durum enim eſt magiſtratum gerenti ab vno corrigi, quo fortè neque ſcientia neq. vſu ſe inferiorem iudicet. Poſtremò, quum corruptio formidoloſior & periculoſior ſit in ſummis iudicibus, qui nullius ſuperioris iudicis cenſuram & iudicium reformidant, quàm in inferioribus, quos ipſi corrigere poſſunt: optimum eſt ſummum iuridicialem conſeſſum è multis compoſitum eſſe. quippe, ceteris paribus, plures corrumpere, quàm vnum, difficilius eſt. Quamobrem in ſummo Iuriſdictionis gradu, vt in conſilio Principis, multos iuri reddundo præeſſe expedit: dum ne ibi iuſto maior ſit numerus, vbi qualitas quantitate potior eſt. His confirmandis vnicum auorum noſtrorum exemplum ſufficit. Nam regnante Ludouico XII, & ante eius tempora, inferiores magiſtratus in eodem Iuriſdictionis gradu plures non erant: ſed

vnus

vnus tantùm in quaque ſede ius dicebat: nempe Præpoſitus, ſiue Iudex ordinarius, pro primo tribunali, qui omnem iuriſdictionem in prima inſtantia exercebat: & Prætor generalis ſeu Bailliuus (vt vocant) aut Seneſchallus pro ſecundo tribunali, qui de cauſſis appellationum à ſententiis primi iudicis in ſecunda inſtantia cognoſcebat. In ſupremis Curiis & Parlamentis plures erant, ſed non ea tamen multitudine qua hodie ſunt.

VERVM, quando in eum ſermonem ingreſsi ſumus, de rationibus ſtatuendæ probæ Iuriſdictionis: quædam à me obſeruata in hiſtoriis veluti principia ad eam rem vtilia hîc attingere libet. Principiò igitur, vt Iuriſdictio probè adminiſtretur, Principi bonæ leges condendæ, & boni Magiſtratus iuriſque rectores creandi, ſunt. Quod ad Leges attinet, quædam ad deciſionem cauſſarum ſpectant, quædam ad formam litium. Legibus ad decidendas cauſſas pertinentibus, Iuris ſcripti, & inſtitutorum cuiuſque loci & prouinciæ, adminiculo ſatis prouiſum videtur. Secerni quidem optima quæque Doctorum iuris Ciuilis & Canonici dogmata ab aliis, & pro authenticis approbari operæpretium eſſet. Quum enim in iudiciis ægrè iis poſsimus carere, adeo tamen confuſa & contrariis opinionibus implicata ſunt vt qui in Doctorum gloſsis & commentariis perplexæ alicuius quæſtionis ſolutionem ſe inuenturos ſperant, ſæpe incidant in labyrinthos inexplicabiles, & pro theſauro carbones reperiant. Id non accideret, ſi vtiliſsima quæque axiomata & deciſiones quæ quotidie in vſum veniunt & æ-

Ad tuédam Iudiciorum æquitatem bonis legibus & magiſtratibus opus eſt.

quitate nituntur, à cetera turba & farragine eorum quæ à Doctoribus scripta sunt secernerētur. Quod ad eas leges attinet, quæ ad componendum litigandi ordinem instituuntur, satis ei quoque parti prospectum videtur in Gallia, constitutionibus Regiis editis. Ego tamen non tam constituendis & finiendis inter subditos ortis litibus, quàm ne oriantur prohibendis, condendas Principi leges existimo. Quippe alioqui proba iurisdictio & promta expeditio caussarum oblique multiplicandis litibus occasionē materiémque præberet: hominibus, expedita iuris administratione fretis, actiones vltro & libenter alias ex aliis mouentibus. Quare, vt huic incommodo occurratur, ne quod per se bonum & sanctum est malo vertat, aberuncandis & radicitus euellendis litibus bonæ leges necessariæ sunt. Qua in re constitutiones Regiæ mihi mancæ & imperfectæ videntur. Itaque ad eiuscemodi profectò leges condendas Lycurgo aliquo aut Solone opus esset. hominum enim ingenia litibus & controuersiis fundendis plus æquo feracia sunt. Neque istam tamen litium nimis fœcundam fruticationem & peruicacem luxuriem compesci non posse iudico: sed qua ratione id fieri posit, quia res longiorem commentationem postulat, in aliud tempus reiiciendum existimo.

CETERVM frustra instituuntur bonæ leges, nisi boni simul fuerint Magistratus, iuris & legum custodes. Nam sine Magistratu (qui est veluti νόμος ἔμψυχος, seu legum anima) quamlibet præclaræ sanctiones irritæ, inutiles, & tamquam mortuæ

mortuæ, iacent. Præstantissima igitur omnium possessio, bonus magistratus: sed vt nihil eo optabilius est, ita nihil ferè, hac quidem ætate, rarius. Quamquam tamen accuratè & sedulò vestigantibus vtcumque tolerabiles & mediocriter idonei ad eam rem homines reperiri possent: sed dignis posthabitis, cuilibet aditus ad honores, pretium offerenti, patet. Scribit Dion C. Caligulæ Imper. fuisse equum (cui Velocissimo nomen fecerat) quem tantopere diligebat, vt eum crebrò ad cœnam inuitaret, ei hordeum ex auro apponeret, funderétque vinum in poculis aureis, ac per salutem eius & fortunam iuraret. Neque his contẽtus, eum ad honores & dignitates Reip. prouehere statuit, séque eum Consulem facturum pollicebatur. Et fecisset (inquit Dion) si vixisset diutius. Haud equidem dubitem Machiauellitas nostros, si hoc apud Dionem legerint, illico dicturos, tantum honorem mandare voluisse quadrupedi, insani hominis & mente capti inceptum fuisse. Cur ergo hodie non tantùm Velocissimo truculentiores, sed omnium bipedum & quadrupedum nequissimos, honoribus augeri æquum & pulchrum censent? Quippe, si Velocissimus Consul designatus esset, nullum grauius damnum vel Reipubl. vel priuatis inferre poterat, nisi fortè propius adeuntes & salutantes calcè feriendo. Ceterum libidinis, sceleris, auaritię, nulla exempla edidisset, nec cuiusquam fortunis manus admouisset. sicuti beluæ istæ honoribus ornatæ hodie faciunt. Itaq. id planè agimus quod exprobrat Horatius,

Dion.in Calig.

Caligula equum suum Consulem Romæ designare statuit.

Epist.1.lib 1.

Si curtatus inæquali tonsore capillos
Occurri, rides: si fortè subucula pexæ
Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar,
Rides. quid? mea quum pugnat sententia secum:
Quod petiit spernit: repetit quod nuper omisit:
Æstuat & vitæ disconuenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis:
Insanire putas sollennia me, neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati--

Hi prorsus hodie sunt mores: nam & malè tonsum & eum qui lacerã subuculam sub eleganti tunica, aut qui inæqualem & dissidentem togam, gerit, vulgò omnes rident: sed eum qui omnia peruertit, qui æquum & ius corrumpit, qui abusus innumerabiles in functione sui muneris committit, quis ludibrio habet? Quàm multi hodie in Gallia sunt honores quos mandari Velocissimo præstet, quàm iis qui obtinẽt? Atqui illud quod minus periculosum est, omnes vltro rideant: hoc quod cum Reip. pernicie coniũctum est vt corrigatur, omnes quærere & flagitare mussant. Quippe, quum duplex Ignorantia sit, Simplex videlicet & Malitiosa: in Velocissimo simplex tantùm Ignorantia erat, quæ nihil boni aut mali edere posset: sed malitiosa Ignorantia recti & boni prorsus ignara, vitij & praui tantùm capax & tenax, huic asinorum generi inest, quos Machiauellitas vocant. Ergo si de duobus istis necessariò legendum sit alterum, quis non simplicem ignorantiam longè alteri anteponat? quis Velocissimo magistratum tutius committi

non

non putet, quàm Machiauellitæ cuilibet, aut Officiorum mercatori, qui quæ vniuersa emit, ea minutim & frustulatim distrahit.

Iam verò Principem, cui certò hæc sententia sederit, vt bonos magistratus Reipubl. præficiat (sine quibus iuris & iudiciorum æquitas, quantumlibet egregiæ fuerint leges, constitui non potest) multa considerare oportet cùm in personis ipsis, tum in vniuerso Iuridicialis consessus corpore. Principiò igitur ei munus ipsum spectandum est, ad quod obeundum viro est opus: tum quærendus vir, qui huius dignitatis fungendis muniis & oneribus sustinendis tam virtute quàm peritia par sit. Quippe maior peritia & (vt ita dicam) sufficiētia in Præside quàm in Cōsiliario requiritur: in Cōsiliario maior quàm in Iudice inferiore: in Iudice quàm in Castellano. Hîc ergo seruanda est Geometrica proportio (cuius meminit Aristoteles) & maximè idoneis ac suffecturis mandandi summi quique magistratus: ad media paribus, mediocres: minoribus minores. Huc spectabat insignis illa oratio Fabij Maximij, quam ad populum Rom. habuit, quum, Annibale in Italia bellum gerente, T. Otacilium (Fabij affinem) & M. Æmilium Regillum, iuniores & tanto tum muneri impares, Consules diceret: Si aut pacem (inquit) in Italia, aut bellum cum eo hoste, haberemus, in quo negligentiæ aut errori locus esset: qui vestris studiis, quæ in campum ad mandandos quibus velitis honores affertis, moram vllam afferret, is mihi parum meminisse videretur vestræ libertatis. Sed quum in hoc bello, quum hoc hoste, numquam ab vllo duce sine in-

Proportio Geometrica in mandandis Officiis obseruanda est.

Arist. lib. 5. Ethic.

Liu. Annal. lib. 24.

genti noſtra clade erratum ſit: eadem vos cura, qua in aciem armati deſcenditis, inire ſuffragium ad creandos Conſules decet, & ſibi ſic quemque dicere: Annibali imperatori parem Conſulem nomino. Quemadmodum pedites equiteſque optamus vt validiores, ſi minus, vt pares hoſti habeamus: ita duci hoſtiũ parem imperatorẽ quæramus. Otacilius ſororis meæ filiam vxorem, atque ex ea liberos, habet. Ceterum non ea veſtra in me maioreſque meos merita ſunt, vt non potiorem priuatis neceſsitudinibus remp. habeam. Neque vllius magis intereſt quàm tua T. Otacili non imponi ceruicibus tuis onus ſub quo concidas. Hæc oratio Fabij quũ & Reip. vtilis & tempori conueniens videretur populo R. reuocatæ in ſuffragium centuriæ ipſum Q. Fabium Maximum & M. Marcellum, ambos ſummos imperatores, Conſules dixere.

AD hoc conſilium, ceu certiſsimam regulam, vt videlicet magiſtratibus & muneribus pares viri quærantur, ſummorum potiſsimùm Iudicum lectiones componi deberent. Nam quæ ab ipſis in iudiciis faciendis peccantur vix vllo remedio ſanari aut corrigi poſſunt. Quare. Fabij cum ratione grauis autoritas, & populi R. tam ſapiens ſuffragium, vt & in exemplum trahatur, & pro lege ſeruetur, dignum eſt: ídque maximo eorum commodo qui Principum imperio reguntur.

Quibus dotibus inſtructos eſſe oporteat Magiſtratus.

PORRO quæ in legendo Magiſtratu ſpectandæ ſint dotes, nec melius nec breuius deſcribi poteſt, quàm à Iethrone Moſis ſocero paucis cõprehenſum eſt in eo conſilio quod Moſi dedit.

Suaſit

Suasit enim vt legeret in magistratus viros Dei Exod.c.18.
timentes, amantes veritatis, & qui auaritiam odissent. Paucorum verborum sententia, sed ingenti & efficaci sensu. Magistratus enim Dei metuēs summa religione & cura, ídque ex legis Dei præscripto, munus suum exercebit: dabítque in primis operam, vt purus & sincerus Deo cultus exhibeatur, qualem ipse postulat: atque Impietatem pœnis coercebit. Mox, si Deum serio cordis affectu timeat, Proximum quoque tamquam seipsum diliget, cauebítque sedulò ne in functione muneris sui quidquam aduersus ipsum admittat quod in se factum nolit. Deinde actiones suas velut in tabulas referet, tamquam earum rationem summo illi Principi ac domino redditurus. Secundò, si Magistratus Veritatis amans fuerit, tum in ciuilibus tum in capitalibus caussis veritatem semper vestigabit, & sycophantarum calumniis aures occlusas habebit. quę virtus vel inter dotes Iudicis maximas numeranda est. Magistratus quoque verax tanti muneris capax erit, peritia, scientiáque & ceteris artibus necessariis instructus. Quippe Ignorantiam Veritas comitem & sociam repudiat. quid enim aliud Veritas est quàm lux? quid Ignorantia quàm tenebræ? Postremò si Auaritiam oderit Magistratus, non solùm ipse hoc vitium non admittet in sese, sed in aliis quoque non feret. Si Auaritiam, omnium malorum radicem & matrem, exsecuerit, cetera quoque vitia inde fruticantia stirpitus simul sustulerit. Iam sicuti auaritia magistratuū lites diuturnas, aut etiā seculares, reddit, propterea quòd

litigatorum stultitia & fori tabe tamquam vber rimo fundo aut perpetua succidia vtuntur:& plebis medullas illis,velut hirudinibus, exsugendas tradit: ita infestus auaritiæ magistratus litigantibus breui ius reddet,litibus atque impensis modum faciet, maximo omnium commodo & publico bono.Denique,si ad istam normam & formulam Princeps magistratus legerit, neminémque admiserit in iuridiciale tribunal, quin Pius, Verax,& Auaritiæ inimicus, sit (id est,trib.hisce dotibus instructus quas in Iudicibus & magistratibus Iethro requirebat)optimam inde Iuris administrationem, cum summa sua laude & subditorum vtilitate coniunctam, haud dubiè consequetur.

CETERVM magistratus vero Dei timore præditos inter Ethnicos extitisse haud equidem dixerim.neq.enim Deus seriò timeri à quoquam nisi cognitus:neque cognosci,nisi ex Verbo,potest,quod Ethnicis ignotum fuit. Sed in iis tamē reperti sunt qui ceteras duas illas virtutes (quibus Iethro Iudices ornatos voluit) vita & moribus repræsentarent.Cato maior quum in Prætura Sardiniam prouinciam sortitus esset, comperit in excipiendis & colendis Prætoribus Romanis multos eósque inutiles sumtus à prouincialibus fieri solitos. Ingentē etiam in ea insula feneratorū copiam reperit, qui populū vsuris obruerent.Sed vbi primùm prouinciam attigit, sumtus quos in cultum Prætorum socij facere soliti erant, circumcídit aut sustulit: feneratores & mensarios ex insula omnes fugauit: ita vt in co-

Liu. Annal. lib. 32.

ercen-

ercendo fenore à nonnullis aſperior haberetur. Iudicabant enim ſtatui potius decuiſſe modum fenori, quem feneratoribus egredi non liceret, quàm ſublato credendæ & ſumendæ pecuniæ vſu aboleri commercia. Nihilominus tamen Cato, fenebribus legibus conſtrictam auaritiam & intra certum modum cohibitam, vias tamen multas fraudis inire poſſe exiſtimans & miris artibus ex ſemũciario fenore vnciarium facere: ſublata penitus verſura, feneratores Sardinia expulit. Denique ita integrè in eo magiſtratu ſe geſſit, vt ſanctus atque innocens habitus ſit.

Ac in eo viro certè multa præclara extiterũt. Nulla ars (inquit Liuius) neque priuatæ neque publicæ rei gerendæ ei defuit. vrbanas ruſticáſque res pariter callebat. In bello manu fortiſsimus, multíſque inſignibus clarus pugnis: idem, poſteaquam ad magnos honores peruenit, ſummus imperator: idem in pace, ſi ius conſuleres, peritiſſimus: ſi cauſſa oranda eſſet, eloquentiſsimus. Orationes & pro ſe multas, & pro aliis, & in alios, habuit. Nam non ſolùm accuſando, ſed etiam cauſſam dicendo, fatigauit inimicos. Aſperi proculdubio ingenij, & linguæ acerbæ & immodicè liberæ, fuit: ſed inuicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ, contemtor gratiæ, diuitiarum: in parcimoniam, in patientiam laboris periculáque, ferrei propè corporis animíq. quem ne ſenectus quidem, quæ ſoluit omnia, fregerit: qui ſextum & octogeſimum annum agens cauſſam dixerit, ipſe pro ſe orauerit, ſcripſerítque: nonageſimo anno Seru. Galbam ad populi iudicium ad- Liu. Annal. lib. 39.

duxerit. Hunc ferreum hominem censuram petentem premebat nobilitas (quam ipse omni vita agitauerat) coierántque candidati omnes ad eum honore deiiciendum: non solùm vt ipsi potius adipiscerentur, nec quia indignabantur nouum hominem Censorem videre: sed etiam quod tristem censuram periculosámque multorum famæ, & ab læso à plerisque & lædendi cupido exspectabant. Etenim tum quoque minitabundus petebat: refragari sibi, qui liberam & fortem censuram timerent, criminando: & simul L. Valerio suffragabatur: illo vno collega castigare se noua flagitia, & priscos mores reuocare, posse. Itaque aduersa nobilitate, non modò ipse Cato censor factus, sed etiam collega ei L. Valerius Flaccus datus, est. Atque duo isti, vt ingenio similes, ita in magistratu collegæ, tristem & asperam in omnes ordines Censuram gessere: multos & nobilitate quidem honoribúsque insignes senatu mouerunt. Aquam publicam omnem in priuatum ædificium aut agrum fluentem ademerunt: & quæ in loca publica inædificata immolitáve priuati habebant, intra dies xxx. demoliti sunt. Lacus sternendos lapide, detergendásq. quâ opus esset cloacas in Auentino, & in aliis partibus, quâ nondum erant, faciendas locarunt. Et vectigalia summis pretiis vltro tributa infimis locauerunt, edicto summotis ab hasta qui ludificati priorem locationem erant. Denique nobilem & gloriæ plenam Censuram egerunt. vnde Cato Censorij cognomen tulit. Vtinam hodie multi eiusce modi extarent Catones, eósque ad gubernacula

Catonis Censura memorabilis.

Reip.

Reip. Principes collocarent. Nullo vmquam tempore talibus viris magis eguit Respublica, qui eam tot vitiis & sordibus, quibus corrupta est, liberent.

Neque desunt exempla bonorum Regum quæ Reges ac Principes in iurisdictione constituenda imitentur. Age Carolum Magnum & Ludouicum, cognomento Diuum, sibi proponant. Illi enim, boni publici & iustitiæ amantes, Commissarios & quæsitores per prouincias mittebant, ad vitia & abusus magistratuum cognoscendos: & in noxios ac scelerum conuictos seuerè vindicabant. Itaque eorum temporibus ius, magno populi commodo, optimè administratum est. Verùm hoc quoque in legendis magistratib. spectare Princeps debet: nimirum vt eos viros cooptet qui personas non accipiant. magistratus enim est æquabiliter summis ac infimis, pauperibus & diuitibus, iura reddere, iuxta caussæ, non personæ, meritum. Nondum adulta Romana republ. ad disceptandas controuersias leges nullæ aut paucæ publicè scriptæ exstabant: sed quum repositum ius ciuile in penetralibus Pontificum, & eius scientia penes solos patricios, esset, arbitrio magistratuum reddebatur, constabátque maximam partem virorum potestate præditorum præiudiciis. Illi ergo hoc prætextu, antè ita esse iudicatum, ius pro libidine ita tractabant vt à potentioribus humiliores & inopes semper foro victi discederent. Plebi, libidinem ac licentiam suam magistratibus pro lege esse, intolerandum videri, eósque hominum, non caussarum, tot à-

Annal. in ann. 809. & ann. 1255.

Iudices à προσωποληψίᾳ alieni esse debent.

Dionys. Halyc. lib. 10.

esse,vt apud quos gratia vim æqui haberet: neq. libertatem suam talibus præiudiciis eludi diutius pati potuit. Itaque Tribuni rogationem promulgant, vt Decem viri legum latores communiter ex plebe & Patribus crearentur, qui vtrisq. vtilia, quæque æquandi iuris & libertatis essent, ferrent: ne deinceps ex præiudiciis sed ex legibus iudicia fierent. Ei rogationi patricij pro suo more resistunt: inde atrox in vrbe certamen plebis aduersus nobilitatem, & seditio ita vehemens, vt à Patribus, à Consulibus, consuetis remediis sisti non posset. Dies interea comitiorum creandis Consulibus venit: L. Quintius Cincinnatus Consul ingenti omnium consensu dicitur. Is tum agellum quemdam trans Tiberim colebat: sed ab agresti opere in vrbem vocatus, simulatque magistratum iniit, nihil prius aut antiquius habuit, quàm vt tumultu sedato benignè ius summis & infimis & ex æquo redderet. Itaq. multas caussas iam inueteratas cognouit, ex æquo bonóque diiudicauit, tota die pro tribunali sedens, comis aditúque facilis, omnes patienter audiens: ius & merita caussarum, non personas, intuens. Denique tanta cum laude magistratum egit, plebi iuxta ac Patribus carus, vt neque humiliorês oppresi à potentioribus ad tribunos confugerent, neque nouas leges de iure æquando desiderarent, contenti præsentibus: sed talem magistratum, quàm vllas leges, mallent. Adeò præsens & efficax remedium est ad ciuiles motus componendos Iudex prudens atque integer, puráque æquabilis iuris administratio. Oriri autem ex Iuris

Iuris æqua & recta administratio, Pacis: corrupta, Seditionum caussa est.

ris iudiciorúmque corruptela motus & bella ciuilia, si antea fuit ignotum, Galliæ exemplo satis supérque est cognitum.

VTRIVSQVE exempli documenta Romæ extitere paucis post Quintij consulatum annis. Quum enim sequentes Consules non eadem erga populum comitate, neque pari in iure administrando fide ac diligentia, vterentur, Tribuni pl. rogationes de creandis Decemuiris redintegrant. Itaque eorum continuis actionibus & flagitationibus fatigatus senatus, legem tandem perferri sinit. Decemuiri ex Patribus creantur: & XII. Tabularum leges communi consilio condunt. Neque eas tantùm omnium consensu perlatas & plebiscito confirmatas, in æream columnam inciderunt, sed ex illis ius omnibus æquum & incorruptum reddebant. Denique tanta erat eorum aduersus omnes æquitas, vt omnes summi pariter atque infimi eorum moderationem ac curam laudibus ferrent, & præsens contra omnem vim atque iniuriam auxilium. Iactabatúrque à multis non esse opus ciuitati aliis magistratibus, quum vnus ad omnia munia obeunda mira prudentia ac fide sufficeret: ac ne plebs quidem ipsa tribunitio auxilio egere se existimaret. Inter omnes maximè eminebat Appius, & plebis fauore regimen totius magistratus penes eum erat: quum non tantùm salutando & appellando comiter omnibúsque officiis populares demereretur, sed ius quoque æquabiliter & promtè expediret. Sed tam præclara iuris dictio annum non excessit. Altero enim anno, continuato magi-

Dionys. Halyc lib. 10. & 11.

ſtatu, fœdus clandeſtinum inter ſe pepigere, ne comitia haberent, & perpetuo decemuiratu poſſeſſum ſemel imperium retinerent. Atq. vt quoſcumque poſſent factioni ſuæ adiungerent, ius nouo more & contra quàm primo anno inſtituerant, reddebant: iudicia domi conflabant quæ pronunciarent in foro: & ſecundum eos qui tyrannidi fauerent, ſemper litem dabant. Itaque omnibus qui gratiæ magis quàm cauſſæ fiderent ſibi adiunctis, breui magnam vrbis partem in ſe traxere. Ita in duas partes diſceſsit ciuitas: aliud populus integer fautor & cultor bonorum, aliud Appij factio, tenebat. Sed tyrannica tandem Decemuirorum impotentia diſsidentes à ſe inuicem Ordines in concordiam redegit, illíſque omnium conſenſu imperium abrogatum eſt. Decemuiri igitur primo imperij anno, ſumma iudiciorum æquitate maximam in Republ. pacem & concordiam fouerunt: altero verò quum iure ad iniuriam & libidinem abuterentur, ciuiles diſcordias maiores excitarunt quàm antea.

Cvm hoc Decemuirorum exemplo componi poteſt iniqua, factioſa & venalis, Iuriſdictio, in Gallia ab hinc quindecim annos vſurpata (quæ haud dubiè tot infauſtas ſeditiones & bella ciuilia peperit, aluit alítque) tum inſueta & breuis illa Iudiciorum integritas, quæ in Prouincia, poſt primos Galliæ tumultus, inſtar fulguris, reluxit. Nam ius à Præſide Morſenio & aliquot conſiliariis eò miſsis ſeuerè & incorruptè adminiſtratum neque id diu, tantùm valuit, vt ſequentibus deinceps motibus nulli modeſtius ſe geſſerint quàm

Pro-

Prouinciales feroces alioquin ingenio & feruidi.

CETERVM (quemadmodum de Quintio antea diximus sedentem in tribunali patienter omnibus aurem præbentem iuris copiam fecisse) ita omnes Iudices hoc sibi velut vnicum exemplum propositum sedulò imitari debent. Ius enim gentium & naturalis æquitas quemquam indicta caussa & inauditum condemnari vetant. Tarquinius Superbus Roma pulsus, quum omnem recuperandi regni viam tentaret, multorum ciuium animos ad proditionem corrupit. Illi non ingenuos solùm inopes largiendo & pollicitando illexerunt, sed etiam seruos quosdam spe libertatis asciuerunt in societatem. Coniurati autem tale consilium ceperunt: vt coniurationis principes noctu arces & munitiora vrbis loca occuparent: serui oppressos somno dominos interficerent, vbi hæc occupata clamore ex composito edito sensissent: simul improuisa cæde & tumultu perculsis omnibus, Tarquiniis portas aperirent. Sed duorum fratrum Marci & Publij Laurentinorum indicio coniuratio patefacta est. Quum enim illis in somnis horribiles quædam species obuersarentur, viderentúrque sibi à furiis exagitari, vates consulunt. Illi respondent, malam eos viam insistere ac sibi exitiosam, ni consilium mutarent. Itaque fessi malis præteritis instantibúsq. omnem coniurationem vni ex Consulibus Seruio Sulpitio aperiunt. Illum ancipiti malo permotum ingens cura atq. lætitia simul occupauere. Nam lætabatur, intelligens coniuratione patefacta ciuitatem periculis ereptam esse. porro

Index omnia veritatem sedulò inquirere debet, priusquam sententiam ferat.

Dionys. Halyc. lib. 5.

autem anxius erat, dubitans in maximo ſcelere tot & tantis ciuibus deprehenſis, quid facto opus eſſet. Igitur confirmato tandem animo, nihil per ſe agere ſtatuit, neque in coniuratos, quamquam rei capitalis manifeſtos, temerè vindicare (ſicuti hodie Machiauellitis noſtris mos eſt, qui vbi innoxios morte adfecerunt, eorum poſtmodum de cauſſa cognoſcunt.) Itaq. rem ad ſenatum refert: ſenatus ei omnem poteſtatem permittit, vt inquireret in coniurationis populares & compertos plecteret: denique daret operam nequid detrimenti Reſpubl. caperet. Sulpitius quum coniuratos nobilitate & multorum affinitatib. ſubnixos & in vrbe potentes cerneret, ſibíq. non mediocrem inuidiam imminere, ſi in eos haud ſatis perſpicuis argumentis conuictos animaduerteret: rem omnem in tam apertam lucem protrahere, & tam euidentibus indiciis probare, ſtatuit, vt nullus dubitationi aut calumniæ locus eſſet. Excogitat igitur eiuſcemodi cõſilium. Delectis è ſenatorum numero qui ætate & viribus valerent, negotium dat vt cum fidiſsimis amicorum & clientum munita vrbis loca occupent. Collegæ Tullio Longo, Fidenas tum obſidenti, ſignificat vt initio noctis è caſtris ad vrbem profectus cum maiore parte exercitus in valle quadam mœnibus proxima ſubſideret: Equites circa foſſum præſidij cauſſa cum telis & armis quamocculṫiſsimè fieri poteſt, collocat. His ita præparatis, indices iuſsit coniurationis ducibus edicere Tarquinios ea nocte ad vrbem venturos. itaque circa medium noctis in forum venirent cum ſuis

 colo-

eo loco accepturi ordinem rei gerendæ, & ſuum quiſque negotium exſequuturi. Ita factum: ſimulatque coniurationis participes in forum concurrerant, ſigno dato ſenatores armati loca vrbis editiora occupant: equites circumfuſi, nequis elaberetur, coniuratos corona circumdant. Conſul Longus eodem tempore à Fidenis cum copiis aduentat. Simulac illuxit, Conſules in ſedem ſuam proceſſere: deprehenſíque & conuicti coniurationis populares, quum in re tam aperta nihil diſsimulare aut infitiari poſſent. Itaque omnibus approbantibus, propinquis etiam & cognatis eorum, & Sulpitij conſulis diligentiam ac fidem laudantibus, de noxiis ſupplicium ſumtum eſt. Præcipuam igitur ex eo Sulpitius gloriam tulit, quòd inteſtinum ſcelus & cum ſingulari cura, & ſine tumultu, oppreſsiſſet: ſummam haud dubiè inuidiam odiúmque apud omnes, præſertim apud coniuratorum affines & neceſſarios, ſubiturus, niſi coniurationem re ipſa præſenti reuictam, vt non oculis tantùm ſed veluti manibus teneretur, in iudicium adduxiſſet.

HELPIDIVS qui Conſtantio imperante præfecturam Vrbis geſsit, rectis & ſinceris iudicibus annumerandus eſt. Ei enim quum coràm innocentem quemdam torquere Conſtantius præcepiſſet, non magis æquo quàm magno animo abrogari ſibi poteſtatem orauit, hæcque potiorib. aliis ex ſententia Principis agenda permitti. Illi ſcilicet conſcientiæ religio & muneris ſui fides Cæſaris gratia carior erat. Amm. Marcell. lib. 21. Iudex ne conſcientiã ſuam lædat vereri debet

QVAMOBREM ſi Princeps ſeriò bonos ma-

giſtratus legere in animum induxerit, eos ad iſtã normam examinet: id eſt, quærat viros qui haud facilè alterius libidini malefacta condonent, nec conniueãt ad flagitia, vt Cato: qui litigantes patienter & attentè audiant, ſententiámque pronuncient ex æquo & bono, vt Quintius: qui criminis fidem ac veritatem acriter explorent, priuſquam de reo ſtatuant, vt Sulpitius: qui conſcientiæ iudicium & iuriſiurandi religionem lædere metuant, vt Helpidius: deniq. qui Deum metuãt, veritatem colant, auaritiam oderint, iuxta conſilium Iethronis. Hæc ſi ita faciet, Iudices lectiſſimos & iuriſdictionem optimè adminiſtratam habebit. Itaque fugiat exemplum Tiberij Cæſaris, qui ignotiſsimum quæſturæ candidatum nobiliſsimis antepoſuit, ob epotam in conuiuio, propinante ſe, vini amphoram: qui honores egregiis vini potoribus & guloſis mandabat. Iulianum etiam, cognomento Apoſtatam, ne imitetur, qui Alexandrum quemdam, turbulentum hominem & ſæuum, Syriacæ iuriſdictioni præfecit. Quúmque dicerent nonnulli indignum eſſe hominem eo munere: Scio (inquit) ſed Antiochenſibus auaris & contumelioſis huiuſmodi iudicem conuenire exiſtimo. Malè Iulianus, quum malo Præſidi corruptum populum, vt malo medico ægrotum, permitteret. Similia tamen exempla noſtra ætate, Machiauelliſtarum factionibus contigerunt: nec mirum Impios homines & Dei contemtores Apoſtatam, à quo cęteris moribus non diſſentiunt, in eo quoque imitari. Cauebit etiam Princeps ne Valentiniani Cæſaris exemplum

Suet. in Tib. cap. 42.

Amm. Marcell. li. 23. 27.

plum ſequatur, qui litigantes apud iudicem ſuſpectum & iudicium potentis inimici declinantes, aliúmque ſibi poſtulantes dari, hoc non impetrato, ad eumdem quem metuebant, licet multa prætenderent iuſta, remittebat. Quippe eiuſcemodi Principes non tantùm ſua ætate peſsimo rumore propter hæc fuere, ſed etiam apud ſcriptores infamia notantur, quòd homines indignos, ſpretis melioribus, ad honores euexerint: quos fortè euectos gradu potius mouere debuerant: ſicuti ab aliis Principibus leuiorib. de cauſſis multis abrogatus eſt magiſtratus. Auguſtum memoriæ proditum eſt legato conſulari ſucceſſorem dediſſe, vt rudi & indocto, cuius manu *ixi* pro *ipſi* ſcriptum animaduertiſſet. Veſpaſianus adoleſcentulum fragrantem vnguento, quum ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam grauiſsima increpuit, Maluiſſem allium oboluiſſes: litteráſque reuocauit. Domitianus Quæſtorium virum ſenatu mouit, quòd geſticulandi ſaltandíque ſtudio teneretur. Etſi enim alioqui vitioſiſsimus Princeps eſſet, magiſtratib. tamẽ coercendis tantùm curæ adhibuit, vt neque modeſtiores vmquam neque iuſtiores extiterint. Fabricius cenſor P. Cornelium virum conſularem ſenatu mouit, quòd decem pondo argenti facti in ſupellectile haberet, id eſt (vt nunc loquimur) vaſa pretij fortè quadraginta coronatorum. Quanta ſeueritate putamus eos animaduertiſſe in peculatus aut repetundarum reos, in nummarios iudices, aut alia quauis ratione magiſtratu abutentes (quales hodie palàm to-

Magiſtratibus abrogatum imperium leuia ob errata.

Suet. in Augusto. cap. 88. in Veſpaſ. cap. 8. in Domit. cap. 8. Florus li. 14.

lerantur in Gallia) quum tam leueis ob caussas, ob lapsum in orthographia, vnguenti odorem, ludicrum saltandi studium, paucarum argenti librarum supellectilem, homines etiam summis dignitatibus functos, honore exuerent. Quippe hæc vitia adeo leuia & parua videntur, vt ea quoque hac tempestate multi pro virtutibus amplecti non dubitent.

Temperamentum in Iuridicialib. collegiis legendis necessarium.

PORRO bonorum Iudicum delectum habere Principem, singulorum virtutes spectantem, non satis est: sed etiam in Iuridicialibus collegiis, siue Curiis condendis, quò plures simul Iuridicos adlegi necesse est, quæ vniuersi Ordinis munia, officia, facultates, esse debeant reputare eum oportet, vt ex multis iisque diuersis salubri & concordi temperamento mistum ac conflatum corpus senatus constituat. Itaque eum senatum ex diuersorum ordinum & regionum personis componet. Exempli gratia: In Parlamento (id est, Iuridiciali consessu, qui ex multis constare debet) non tantùm sedere debent aut Nobiles, aut Clerici, aut Tertij generis homines: sed mixtum & temperatum ex trium Ordinum viris esse debet. Præterea non debet componi ex eiusdem vrbis vel oppidi ciuibus, sed ex vniuersa iurisdictione seu diœcesi sumendi & deligendi Iudices. Quæ duo ex constitutionibus Regiis, quibus ita iubetur, olim in Gallia obseruabantur. Sed vt nostra nunc sunt tempora, ad superiores illas sanctiones hæc quoque posit addi: Iuridiciale συνέδριον ex solis Catholicis Romanis conflari non debere: sed Euangelicis admistis temperandum esse.

Etenim

Etenim si status Ecclesiasticus, ad tutanda sua iura & priuilegia obtinuit vt in Parlamentis Clerici sedeant (quamquam alioquin eiusdem religionis sunt cum Catholicis R. Laicis) cur id Euangelicis negabitur? Romæ quum ante Syllana tempora ad equestrem ordinem à senatu iudicia translata essent, P. Rutilius vir summæ innocentiæ, qui legat⁹ Q. Mutij procons. à publicanorũ iniuriis Asiam defenderat, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus, in exilium abiit. CCC. enim senatoribus lege Sempronia admisti DC. equites bis tantum virium in senatu & in iudiciis habebant. Senatus quum impotentiam equestris ordinis in iudiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit vt ad se iudicia transferrentur, sustinente eius caussam M. Liuio Druso tribuno pl. Is legem iudicialem tulit; vt æqua parte iudicia penes senatum & equestrem ordinem essent. Ea vtilis Reipubl. iudicata & summo consensu accepta est: Sempronia verò, quæ à C. Graccho tribuno pl. lata fuerat, vt videlicet quum CCC. senatores essent, sexcenti ex equestri ordine in curiam sublegerētur, & ipse factione in senatu superior esset: meritò vt iniqua antiquata est, nō sine pernicie Gracchi quum eam cęteráque ab se latas pertinacius defenderet. Florus li. 60. & 70. 71.

IOSAPHAT rex Iudææ, quum per omnes vrbes & oppida regni sui lectos Iudices constituisset, mandassétque vt fideliter atque integrè iudicia exercerent, in timore Domini, & absque vllo diuitiarum aut personarum respectu: Hierosoly- Paral. lib. 2. cap. 19. Ioseph. Antiq. lib 9 c. 1.

mis συνέδριον quoddam, veluti Parlamentum, instituit, compositum ex viris lectis & præcipuarum Regni familiarum principibus: qui supremæ iurisdictionis gradum tenerent, & cognoscendi de caussis appellationum à sententiis inferiorum iudicum, litiúmque sine prouocatione finiendarum, summum ius haberent. Simili temperamento Romani quondam in magistratibus creandis vsi sunt. Neque enim nobiles tantùm & patricios, sed equites quoque & plebeios ad honores promiscuè admittebant: ne pars ciuitatis à parte altera fastidiri & despici videretur: magistratúsque ipsi ex omni genere sumti & mixti nec summis nec infimis suspecti essent. Atque hæc olim fuit M. Valerij, prudentissimi senatoris & fortissimi ducis, sententia, quum persuadere vellet senatui plebem ad dignitates & Reipubl. munia admittendam esse: Vix aliud (inquit) vtilius est ad salutem Reipubl. tuendámque libertatem, quàm assumi plebem ad res gerendas: & administrationem Reipubl. ita temperari, vt nec penes solos optimates, nec solos plebeios sit, sed vtrimque mixta. Quamuis vobis non timeo ne nimia felicitate corrumpamini, qui nuper ciuitatem liberastis à diuturna tyrannide, & nondum nacti estis otium ad insultandum aliis. Sed dum posteritatem vestram cogitatione præcipio, quantásque mutationes longum æuum afferat, vereor ne quando potentiores senatores nouatis rebus imprudenti ciuitati tyrannicam dominationem inferant. Verùm si plebem ad Rempubl. admiseritis, atque fortè extiterit (existere autem posse putandum

Dion Halyc. lib. 7.

tandum

tandum est) qui velit plus posse quàm alij, & in senatu aliquam factionem parauerit, die per Tribunos dicta cogetur rationem factorum & inceptorum plebi reddere. Denique quo maiorem terrorem proposueritis legum transgressoribus & morum corruptoribus, adhibendo superbis & auaris hominibus multos obseruatores & custodes, tanto melius constitutam Rempub. habebitis.

Princeps Iudices prauos pœna, bonos præmio, afficere debet.

PORRO vbi Princeps accurata magistratuũ lectione Iuridicialem consessum composuerit, dare operam deinceps debet vt in officio maneant, vt sanctè atque innocenter se gerant, & maturè obuiam ire ipsorum vitiis ac prohibere ne corrumpantur. Id facilè consequetur, si duplicem hanc legem obseruet. Primùm si delinquentibus in magistratu imperium abroget, immò pœnas irroget pro magnitudine delicti: deinde, si munia sedulò & fideliter obeuntibus digna præmia persoluat. Imperatorum & Principum aliquot exempla antè commemorauimus, qui Iudicum scelera grauibus pœnis multarent. Ea imitari Principem decet, neque flagitia magistratuum, grauia præsertim, impunita omittere: sed in primis singularem Ludouici, cognomento Diui, sollicitudinem ac præclarum institutum assiduè intueri: qui frequentissimè Quæsitores & cõmissarios circum prouincias Regni dimittere solebat, vt de abusu Magistratuũ vitiisq. cognoscerent & pœnas exigerent. quippe fuitne vmquam tempus quo hoc remedium magis necessarium esset? Duplicem verò illam legem (de qua

paulo antè diximus) persanctè obseruabat Alexander Seuerus: nempe vt prauos Magistratus pœnis, bonos pręmiis, adficeret. Tanti enim stomachi erat in eos iudices qui furtorum fama laborarent, etiamsi damnati non essent, vt si in eos casu incideret, tanta bili corriperetur vt eloqui nihil posset. Quum quidam Septimius Arabinus ob furta infamis fortè inter senatores salutatum Principem venisset: ille exclamauit, O numina, ô Iupiter, ô Dij immortales! Arabinus nõ solùm viuit, verùm etiam in senatum venit: fortasse etiam de me sperat: tam fatuum, tam stultum, esse me iudicat. Contrà, verò Præsides prouinciarum & magistratus, quos verè non factionibus laudari compererat, Reipubl. egregiè administratæ laude & præmiis munificè ornabat, dicens, Et fures à Republ. pellendos ac pauperandos: integros redimendos ac ditandos, esse. Similis munificentiæ exempla plerique veterum Galliæ regum in magistratus & Iuris ministros edidere. Etsi enim stipendia annua hodie ipsis è publico attributa permodica videantur, eo tamen tempore quo primùm constituta sunt, satis lauta erant & ipsis alendis sufficiebãt. Minimè quidem ambiguum est, ante quinquaginta aut sexaginta annos, perinde commodè atque honorificè tolerandis sumtibus trecentos francos pares esse potuisse, quàm mille hodie sint: quippe ex eo tẽpore omnium rerum pretiis in quadruplum intentis. Itaque, quum sumtus quadruplo maiores, stipendia magistratuum nihilo quàm tunc ampliora sint, ea profectò augeri expediat, vt his

Lampr. in Alex.

præ-

præmiis inuitati, abſciſsis omnibus abuſuum & vitiorum cauſſis, munerib. Reipub. integrè fungi ſtudeant.

Hic locus admonet vt quibúſnam remediis vitia delictáque magiſtratuũ anteuerti & prohiberi poſsint, ex quorumdam ſententia, paucis expediam. Quibuſdam enim videtur illis maturè occurri poſſe ſi non perpetui ſed ad tempus, puta biennes aut triennes, magiſtratus fuerint: aut certè ambulatorij, id eſt, qui ſtatis temporibus è prouincia in prouinciam moueantur. Et quidam noſtra ætate vir doctus in ea ſententia fuit: neque huic equidem confirmandæ vel argumenta vel exempla deſunt. Etenim ſi qui Iuri dicundo præſunt imperij tempus finitum habeant, ſimulatque abierint magiſtratu, adminiſtrationis & factorum reddendæ rationi obnoxij erunt. Si ambulatorij fuerint, prouincialibus & iuriſdictioni ſuæ ſubiectis hominibus cognoſcendis, & contrahendæ cum illis familiaritati ac neceſsitudini ſpatium non habebunt. quę res ſæpe Iudices à recto atq. honeſto detorquet. Itaq. & Romanis legib. & Ludouici cognomento Diui conſtitutionibus, cautũ erat ne perpetui eſſent magiſtratus, néve eidẽ prouinciæ pręficerentur ex qua oriundi eſſent. Verùm cõtrà, quum Galliã in multas regiones ac prouincias diuiſã eſſe cogitamus, eáſque diſsimilib. moribus atq. inſtitutis, diuerſóq. alias ab aliis ſtylo forẽſi vti, vix fieri poſſe arbitramur vt diuerſæ prouinciæ & gentis hominib. iuri reddundo idonei Iudices reperiantur. Idque propter ignorantiam ſtyli forenſis & inſtituto-

Magiſtratus in Gallia nec ambulatorij, ſeu mobiles, nec temporarij eſſe debent.

rum dissimilium cuiusq. prouinciæ, quæ non nisi longo vsu & exercitatione discuntur. Adhæc quis speret vt series, & multi præterea magistratuum capaces viri, huic ex alia in aliam prouinciam migrandi molestiæ subiicere sese velint aut possint? Quippe fieri nequit quin longa peregrinatio rei ipsorum familiari detrimentum afferat. vnumquemque autem familiæ & rationum priuatarum curam gerere decet. Præterea qui publica munia capessunt, quamuis doctrina valeant, breui tamen spatio dexteritatem & peritiam agendi exercendæq. industriæ consequi nequeunt, quæ longo rerum tractandarum vsu & experientia quæritur. Itaque si magistratus temporarij essent, res tantùm inchoantibus circumageretur iurisdictionis eorum spatium, & quum vix potestatis suæ ius atq. officium introspicere cœpissent, magistratu abeuntibus noui subrogarentur, quibus idem accideret. Ita sæpius Iuri regundo tirones & noui homines quàm periti & rerum prudentes imponerentur: non sine graui Reipubl. damno. Melius ergo Antoninus Pius, qui ea constantia & sapientia erat vt septenis & nouenis annis in prouinciis bonos præsides detineret. Seuerus quoque & multi deinceps Principes Prætorij præfecturam iis qui superioribus Præfectis in consilio fuerant, vt peritioribus, mandabant. Pescennius Niger, quum videret prouincias facili administrationum mutatione subuerti, ad Marcum primùm, deinde ad Commodum scripsit, vt nulli, vel prouinciæ præsidi, vel legato, vel proconsuli, ante quinquennium succederetur: quòd

Capit. in Pio. Spart. in Nigro.

prius

prius deponerent potestatem, quàm scirent administrare: deinde ne noui ad Remp. regendam accederent: sed Assessores in quib. prouinciis assedissent, eas administrarent. Quamquã ea quoq. Magistratuum frequens mutatio tolerabilior tum erat, quàm in Gallia hodie esse possit. quippe apud Præsides prouinciarum aut Proconsules Ro. raræ priuatorum lites & caussæ disceptabantur: Magistratus ipsos in Gallia hodie de omnibus caussis cognoscere necesse est.

Posteaqvam Princeps in ditione sua, tum sanctis bonis legibus, tum lectis magistratibus, iudicia & iurisdictionis formam ordinémq. constituerit, nondum tamen officio penitus defunctum se putet. Quippe & ipsum quoque iuris reddundi laborem subire oportet. Atque hæc altera est pars consilij quod Iethro Mosi dedit. Primùm enim docuit quósnam magistratus suo tribunali inferiores legere deberet: deinde consuluit, vt difficillimas quasque caussas cognoscendi & decidendi summum sibi ius atque autoritatem seruaret. Itaque hoc etiam præstandum Principi, quod ipsius officij est: neque quidquam ferè subditis magis quàm ius atque audientiam debet, siqua sunt quæ ab ipso propriè cognosci necesse sit. Neque enim de omnibus apud inferiores magistratus commodè agi potest: sed permulta sunt quæ ipsius Principis cognitionem iudiciúmque desiderant: siue aliquem summi ordinis & fortunæ virum aut magistratum accusari necesse sit, siue de Publicanis & tributorum exactoribus querendum: siue criminis gratia exoran

Princeps ipse ius dicere debet.

da: ſiue donum, aut præmium, petendum ſit, atq. alia id genus. Itaque Princeps ipſe aut per ſe ſolus, aut cum conſilio, ius dicere ſubditis, & cauſſarum cognitiones exercere, debet. Id docet prima Regum inſtitutio, quorum poteſtas, à populo tributa, tribus potiſsimùm in rebus ſita erat: Primùm vt legum ac morum patriorum cuſtodes, ius ſubditis adminiſtrarent, ipſíque de iniuriis & cauſsis grauiſsimis cognoſcerent. Deinde, vt ſenatum cogerent, ibíque communi conſilio cum Patribus de rerum ſumma deliberarent. Tertiò, vt ſummum in bello imperium gererent. Quare Reges, quorum primum munus eſt vt ius ſubditis reddant, meritò Homerus δικασπόλους & θεμιστοπόλους vocat, id eſt, Iuris diſtributores, ſiue Iuridicos. Id quidem certè egregiis Principibus ſemper ſollenne fuit, vt ſtatis diebus ipſi ad cauſſas audiendas ſederent, & ſubditorum querimoniis & iuſtis auditis, ius illis ex æquo & bono redderent. Iulius Cæſar ius laborioſiſsimè ac ſeueriſſimè dicere conſueuerat: Legéſque ac legum pœnas, in primis Sumtuariam, exercere, vt luxus menſæ ac cultus profuſis ſumtibus exercitos coerceret. Auguſtus quoque ius ſumma diligentia dixit aſsiduè, & in noctem nonnumquam: ſi parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Claudius ipſe (etſi hebes & inconſultus eſſet) litigatoribus tamen operam dare & ius dicere ſolitus erat. Domitianus (quamquam pleriſque in rebus iniquus & improbus eſſet) ius diligenter atque induſtriè dixit: ac plerumque in foro pro tribunali extra ordinem

Dion Halyc. lib. 2. & 5.

Suet. In Cæſ. cap. 43. in Aug. cap 33. in Claudio. c. 15. in Galba. ca. 7. 8. 9. in Domitiano. cap. 8.

nem ambitiosas centumuirorum sententias resci dit:& nummariis iudicibus graues notas & pœnas imposuit. Seruius Galba, septuaginta duos annos & eo amplius natus, iuris reddendi laborem sustinuit. Traianus, Adrianus, Antonini duo, Seuerus, Alexander, & permulti alij Romani Principes, sedere ipsi iudices,& litigantes attentè audire, non erubuerunt. Immò populus hoc, vt sibi debitum, pro suo iure ab ipsis exposcebat. Itaque quum Adriano aliud agenti & prætereunti fortè occurrisset mulier, ab eóque vt se audiret contenderet: atque is sibi otium esse negasset: tum illa exclamare cœpit, Noli igitur regnare. Ille ad hanc vocem restitit,& nequaquam tenuis mulierculæ libertate offensus, libenter eam audiuit. Dion in Adriano.

Si Gallicas historias inspicere libet, hunc Iuris reddendi morem (quod vulgò Lectum Iustitiæ vocabant) frequētius à nostris Regibus quàm à Principibus Romanis vsurpatum fuisse comperiemus. Carolus magnus, prætérquam quòd Balliuis, Seneschallis eorúmque vicariis siue locum tenentibus, coercendis, multum curæ adhibebat, vt sanctè & innocenter sese gererent: etiam iubebat vt grauissimas quásque caussas, præsertim Principum procerúmque controuersias, cognitioni suæ reseruarent. Inde introduci ad se litigatores,& iusta sua exponere, iubebat: atque vbi attentè eos audierat, litem, si poterat, amico & placido arbitrio componebat: sin minus, sentētiam ex æquo & bono pronunciabat. Ludouicus, cognomento Pius, tres dies in hebdomada publicè Annal. in ann. 809. & 814. & 815.

in palatio caussis audiendis operam dabat, & ius omnibus summa æquitate reddebat. Quis igitur
» ex eo fructus consequebatur? Temporibus boni
» illius Regis (inquiunt Annales nostri) Respubl. ita egregiè administrata est, vt nemo subditorum de alterius cuiusquam iniuria quereretur. tanta omnes tum & tam secunda pace ac tranquillitate viuebant: quum alij ab aliis iniuriam abstinerent metu iudiciorum, quæ Rex ipse exercebat, & suo exemplo à ceteris magistratibus exercenda curabat. Adeò pollet potéstq. verè regia virtus Iustitia ad pacem felicémque rerum statum in regnis ac ciuitatibus fouendum. Philippus Augustus Galliæ rex, iuris quoque dicendi studiosus, subditorum caussas & querelas libenter audiebat. Itaque quum fortè ad ipsum delatum esset, Guidonem comitem Aruerniæ rapinis & manubiis sæuire in subditos suos & finitimos, magnam vim pecuniarum ab inuitis extorquentem absque Regis, summi eorum Principis, consensu: aduersus eum, caussa cognita, sententiam pronunciauit, eúmque (ex consilio Galliæ procerum) Aruerniæ ditione & iure exuit: quæ ex eo tempore coronæ & Reip. dominio attributa est. Huc etiam referre possemus Caroli Sapientis, Caroli VII. Caroli VIII. Ludouici XII. multorúmque aliorum Galliæ regum, æquitatem & industriam in iure dicendo, qui omnes subditorum querimoniis & controuersiis audientiam ordinariam præbere, & iuris copiam facere, solebant. Sed ad superiora vnum egregij Principis Ludouici, cognomento Diui, exemplum sufficiet: qui præter

Annal. in ann. 1255. & 1269. Gaguin. in D. Ludou. vita.

ceteras

ceteras regias virtutes, quas multas habuit, æquus etiam & antiquus iudex fuit. Is ergo quum nihil antiquius haberet quàm vt summa iustitia suos regeret, æquitatémque iudiciorum constitueret, primùm edixit vt bonæ & veteres Regni leges ac mores strictè obseruarentur: mulcta Bailliuis, Seneschallis, & aliis magistratibus constituta, nisi eas exactè seruandas curarent. Magistratus verò vt in officio contineret, dignitates ipse lectissimis quibusque & optimis mandabat, clam exploratis eorum virtutibus: quum vltro sese obtrudentes, vt suspectos, reiiceret. Deinde vt ἄνευ προσωποληψίας tam inopi quàm diuiti ius æquabiliter & expeditè redderent, vetuit nequid muneris nomine acciperent (extraquàm fortè esculentum aliquid, quod tamen decem solidorum pretium in hebdomadam non excederet) neu quæuis alia beneficia pro se aut suis liberis, neque à litigatoribus, neque ab vllo suæ iurisdictionis & ressorti (vt vocant) homine sumerent: vt ne illis quidem in sua illa iurisdictione & præfectura acquirere quidquam liceret. Prudens nimirum & bonus ille Rex videbat muneribus, beneficiis, & acquirendi cupidine, tamquam illecebris, Iudices & magistratus facillimè posse corrumpi: itaque vt à corruptione prohiberentur, viam illis ad corruptionem esse obstruendam. Ceterùm Iuridicos & magistratus potestate abutentes summa seueritate coercebat: quum in eo ne summis quidem viris parceret, sed illis pro merito & grauitate criminis pœnam irrogaret. Seueritatis eius argumentum exemplo vnius rei notasse sat erit,

Ludouici cognomento Diui iuris integrè dicendi laudabile exemplum.

Cucij dominus, vir nobilis, duos adolescentes Belgas, quòd in syluis suis venantes deprehendisset, in patibulum egerat. Quamobrem citatus ille ad Regem, pro eo facto similem pœnam metuens, Regis cognitionem fugere conatus est, quum Parium Franciæ iudicio sisti se fas & æquum diceret. Rex tamen eum apud se caussam dicere compulit: & capite anquirere ac damnare decreuerat, ni ab eius propinquis ac necessariis, amplissimis viris, exoratus, clemētiam quàm seueritatem maluisset. Itaque Rex Cuciano, amicorum eius rogatu, extremum supplicium remisit: eum tamen, veluti relegatum in triennium, in Sacram expeditionem aduersus Turcas & infideles ire iussit: & decem insuper millibus Parisiensium librarum multauit, qua pecunia Rex publicum pauperum hospitium Pontosiæ exstruendum locauit. Bonus ille Rex rarò, nec nisi post multam & diuturnam deliberationē, criminum gratiam faciebat: & frequenter habebat in ore locum illū Psalmi 106. (velut peculiare symbolum) *Beati qui faciunt iudicium & iustitiam in omni tempore.* Dicere quoque solebat, De noxiis supplicium non sumere, sæuitiæ magis quàm misericordiæ nomen mereri. Præter hæc veritate etiam, castitate, caritate, inter paucos insignis, Dei quoque metuens erat: denique iis & aliis præterea dotibus pollebat quæ pium ac iustum Principem decent. Id maximè declarant memorabilia illa præcepta quæ supremum diem agens Philippo Audaci filio & heredi suo tradidit: digna profectò quæ Regum & Principum Christianorum li-

minibus aureis litteris inſcribantur, vt ea perpetuò ante oculos habeant: Quando Dei patris & creatoris noſtri (inquit) ô mihi cariſsime fili, ea voluntas eſt euocare me ex hac caduca & miſera vita, vt fruar meliore: nolo abs te diſcedere quin tibi vltimam meam benedictionem impertiam, nimirum documenta & præcepta quæ bonus parens filio tradere debet: quum ſperem fore vt ſuprema hæc parentis tui verba in pectus demittas. In primis igitur mando ac præcipio tibi, fili mi, vt Dei metu nihil prius, nihil antiquius, habeas. Dei enim timor initium, immò caput ac perfectio, omnis veræ ſapientiæ eſt: ſi nomen eius verearis & colas, benedicet tibi. Secundò, vt aduerſa omnia moderatè & patienter feras, moneo te, & peccata tua Dei manu ita corrigi reputes: neu rebus ſecundis temetipſum efferas, neque ea meritis tuis, ſed merè Dei gratiæ accepta ferre memineris. Tertiò, Charitatem & beneficentiam in pauperes ſummopere tibi commendo. quæcumque beneficia in eos contuleris, ea Chriſtus ſeruator noſter vt ſibimetipſi data imputabit, & centuplo cumulatiorem gratiam referet. Præterea magnopere tibi edico atque impero, vt bonas leges & mores huius Regni ſeruandos & tuendos cures, & ſubditis ius incorruptè adminiſtres: felices ij qui Iuſtitiam omni tempore exercent. Hoc vt aſſequaris, etiam atque etiam vide vt probis magiſtratibus legendis ſummam curam & diligentiam adhibeas: vetéſque ne illi procuratoribus tuis contra ius & æquum faueant: in delinquentes & publica poteſtate abutentes ſeuerißi-

x. Præcepta quæ rex Ludouicus, cognom. Diuus, moriēs filio tradidit.

mè animaduerte. Quum enim ceteros non magis imperio quàm exemplo regere debeant, si deliquerint, grauiore pœna digni sunt. Personarum acceptionem & gratiam in iudiciis ne toleres: pauperi hactenus faueas, vt iusta sua ei exponere liceat: in iudicio nec huius nec cuiusquam fauori indulgeas. Adhæc iubeo vt bonum Consilium summa ope tibi pares, & tuo lateri adiungas matura ætate viros & ingenio sedato tranquilloque, qui arcana sibi commissa tegere possint: pacis amantes, haud auaros aut rapaces. Hæc te præstantem omnium beneuolentia & laus vltro sequetur. quippe ministrorum Principis relucens integritas, domini claritudinem etiam illustrat. Insuper veto ne à subditis tributa aut vectigalia exigas, nisi vrgens necessitas, perspicua vtilitas & iusta caussa, subegerint: alioquin dignus eris quem non pro rege sed pro tyranno habeāt. Dabis etiam operam vt tuis pacem & tranquillitatem præstes: iura & priuilegia quibus antè vsi sunt serues: néve cuiquam Principi Christiano, nisi grauissimis de caussis, bellum inferas. Postremò vide vt beneficia & sacerdotia Regni tui integris & religiosis viris conferas: non luxui aut auaritiæ obnoxiis, ne aliena peccata tua facias. Hæc mea præcepta, fili mi, si seruaueris, exemplo tuo subditis omnibus bene viuendi studium iniicies (libentissimè enim populus ad Principis exemplum mores suos componit) Deus verò etiam fidum firmúmque tibi principatum & regni tui statum præstabit. Hæc ad filium tam pia, & reliquæ vitæ consentanea, loquutus bonus ille

Rex,

Rex, paulo pòst ſpiritum Deo reddidit. Porro hæc ſalubria præcepta filius eius Philippus III. (cui poſtea Audaci cognomen ex virtute & factis fuit, quæ multis aduerſus Saracenos & alios hoſtes bellis præclara edidit) diligentiſsimè exercuit, & per omne regni tempus, proſperrimo in Galliis rerum ſtatu, pacem concordiámque fouit.

POSTREMO, nequid præclari regis Ludouici felicitati deeſſet, huius Scripturæ loci, quo propheta dicit fore vt iuſtus ſoboleſcat, accipiátque à Deo præmium numeroſæ ac diuturnæ ſtirpis, huius (inquam) loci fidem euentus affirmauit. Nam eius poſteri trecenteſimum iam annum & amplius ab eo Regnum Galliæ obtinent: immò, extra eos qui ab ipſo prognati ſunt, nulla iam Regiæ ſtirpis familia ſupereſt: quippe Valeſia domus & Borbonia ab eo originem ducunt. Vtinam hodie Dominus pro ſingulari ſua miſericordia concedat Principibus, qui ex tam ſancta radice propagati ſunt, vt luculenta hæc boni Regis proaui ſui præcepta animis inſcribant: quando & ipſe non tantùm ea Philippo filio ſuo, ſed etiam omnibus poſteris, tradita & præſcripta eſſe voluit.

XXXVI. THEOREMA.

Nobiles viri qui arces & iuriſdictiones poßident liberis Ciuitatibus inimicißimi ſunt.

Com. lib. 1. cap. 55.

GERMANIAE ciuitates & Heluetiæ pagi (inquit Machiauellus) summa pace & tranquillitate viuunt, proptereaquòd æqualitatem inter se tuentur, nec patiuntur vllos nobiles viros in sua ditione agere. Ac si qui fortè rari inter eos supersunt, eos adeo implacabili odio prosequuntur, vt casu in eorum manus delapsos inclementer interimant: quippe ab iis (vt ferunt) aperto nequitiæ ludò, omnia corrumpi & perdi. Ceterùm Nobiles (inquit) eos voco, qui suis se fructibus alunt, neque arti vlli exercendæ sese applicant. Eiuscemodi homines nusquam non perniciosi sunt, ac præsertim qui summam iurisdictionem & coercitionem in subditos obtinent, qui castella & arces munitas possident, qui vassallos & clientes habent, sibi obedientiæ & fidelitatis iureiurando obnoxios. Regnũ Neapolitanũ, Romania seu Flaminia, Lombardia, eiuscemodi hominibus abundant: & per eos factum est quominus in iis regionibus status politicus hactenus constitui posset. Ciuilis enim Rerumpublicarum status nullos certiores & capitaliores hostes habet.

Qvi

QVI apud Germanos & Heluetios vixerunt, istum scribam falsi & vanitatis coarguere pro suo iure possunt. Iis enim locis quum Nobiles multi sint, & summam iurisdictionem, & castella, & vassallos seu homines suos, habeant: non tantùm auitæ nobilitatis ac dignitatis iura obtinere sed Reipubl. quoque munia fungi, notum est: tantúmque abest vt ibi apertum nequitiæ ludum habeant, vt pro se quisque ciuitatis suæ pacem & tranquillitatem foueant: vassallísque & clientibus suis ius reddendum curent. Haud equidem negauerim in Germania, Heluetia, Gallia & passim alibi, Nobiles reperiri improbos, vitiosos ac sceleratos: sed propter vnum aut alterum non omnis in vniuersum damnari debet Nobilitas: quemadmodum eam hîc stylo confodit atque vna velut litura ex humana societate delet Machiauellus, quum dicit perniciosum esse hominum genus & statui politico natura inimicum. Enimuero sîntne tales isti quos memorat, Neapolis, Romaniæ, Lombardiæ & Romæ, Nobiles, quales hîc depingit, pro explorato certè non habeo: neque id mihi magis affirmare quàm refellere in animo est: sed eiuscemodi esse Cisalpinam nostram Nobilitatem, id verò vehementer pernego. Immò in Gallia & finitimis regionibus magistratus autoritatis protectores Nobiles, eiúsque imperij assertores & propugnatores, cernimus. Neque tamen fateri nolim, nostros Nobiles pessimè odisse eiuscemodi statum politicum, qualem suis scriptis expressit Machiauellus, id est Tyranni-

cum. Quippe nostrę historiæ sæpe testantur apud maiores nostros (potissimùm Barones, proceres cęterósque gentilitia natalium claritudine illustres) semper extitisse fortes & cordatos viros, qui sese tyrannorum opibus & violentiæ opponerent, neque eam diuturnitate coalescere per ignauiam sinerent. Masculam profectò istam hodie Gallicæ Nobilitatis viuido in pectore indolem Machiauellitis & peregrinis meritò formidolosam esse par est, qui tyrannidis suæ domicilium & sedem in Gallia collocarunt. siquidem fieri non potest (si Deus fauerit) vt hæc pestis in visceribus Galliæ diutius hæreat.

XXXVII. THEOREMA.

Nobilitas Gallica Regni statum pessumdaret, nisi eam Parlamenta metu & pœnis coercerent.

Comm. lib. 3. cap. 1.

REGNVM Galliæ (ait Machiauellus) omnium maximè regnorum legibus regitur, quarum Iuridiciales consessus (quæ Parlamenta vocantur) custodes & ministri sunt, præsertim Parisiensis. Regnum verò hactenus incolume stetit, propterea quòd Parlamenta perpetuò & inuicto animo potentiæ Nobilita-

bilitatis obuiam ire consueuerunt. Quod ni ita fieret, iampridem eius Regni conuulsa & soluta esset compages.

NON magis alienæ quàm suæ famæ melius consuluisset Machiauellus, si res Florentinas contentus attingere, in Gallicas non deerrasset: neque ignorantiæ impudētiam adiungens, omnibus palàm fecisset se in Republ. nostra hospitem, numquam scisse quónam modo ea à maioribus nostris constituta & administrata fuerit. Nam quæ, malùm, audacia est, persuadere velle regnum Galliæ pessum iturum, nisi Nobilitati Parlamenta vltro aduersa & infesta sint? Vnde hoc, aut ex quo, habet? Quid aliud est dicere, longè melius actum iri cum Regno Galliæ, si omnis semel aboleatur Nobilitas? quippe omnia versuram, nisi impotentiam eius Parlamenta legum vinculis & pœnarum metu constrictam teneant. Eam quidem fuisse Machiauelli mentem, vel hoc vnum satis argumento est, quòd ipsius hodie discipuli, quæ hîc docet reipsa in Galliis exsequuntur: ídque vnum laborant & agunt, vt omnem Nobilitatem exstinguant: quo facilius, aduersante nullo, tyrannidem illic suam statuant. Quamobrem bonas leges Reipubl. nostræ omnes subuerterunt, quibus ad hanc diem incolumis stetit: sicuti Machiauellus fatetur, & quidem verè. Neque verò id eius fraterculis ignotum. Itaque vt Regni statum funditus vertereēt, quod iampridem conantur, prius leges ipsas velut eius columnas & fundamēta, moliri & sub-

ruere aggresſi ſunt.

VERVM, vt planum faciam quàm vanum ſit hoc dogma, vnũ hoc mihi probare ſat erit quod ex noſtris Annalibus liquet: nimirum Galliæ regnum felicius ac multo melius adminiſtratum fuiſſe antequàm vlla Parlamẽta exiſterent, quàm ex quo ſunt inſtituta. Nam Pariſienſe Parlamentum (quod omnium vetuſtiſsimum eſt) Philippo Pulchro in Galliis regnante conſtitutum eſt. anno videlicet CIↃ.CC.XC.IIII. Toloſanum regnãte Carolo VII. anno, CIↃ.CCCC.XLIIII. Burdegalenſe, eiuſdem Regis temporibus. anno CIↃ.CCCC.LI. Gratianopolitanum, eodem ſub Rege (ſed Ludouici XI. filij eius, tum Delphini, autoritate, qui apud Delphinates commorabatur) anno, CIↃ.CCCC.LIII. Diuionenſe & Aquenſe, regnante Ludouico XI. Rothomagenſe, Ludouici XII. tempore. anno CIↃ.CCCC.XC.IX. Nouiſsimum omnium Britannicum in Armorica (Britanniam vulgò vocamus) regnãte Henrico II. conditum fuit. Iam (obſecro) priuſquàm horum Parlamentorum vlla audita eſſet mentio, an minus pace locuples & omnium rerum copia circũmfluens, aut bello potens, erat Regnum Galliæ quàm hodie? Quis hoc neget, niſi qui impudenter audebit omnibus hiſtoriis noſtris fidem abrogare? quæ ſummo conſenſu, Clodouei I, Caroli Martelli, Caroli Magni, Philippi Auguſti, Ludouici, cognomento Diui, & aliorum multorum Galliæ regum, temporibus Regnum Galliæ pacis bellíque artibus opibúſq. validiſsimum ac florentiſsimum fuiſſe teſtan-

Parlamentorum in Gallia inſtitutio.

Ante Parlamentorum inſtitutionẽ non minus pace & iudiciorum æquitate florebat Regnum Galliæ quàm ex quo orta ſunt.

testantur. Quum tamen eiuscemodi Parlamentorum nulladum mentio esset: tantúmque abest vt superioribus illis seculis Nobiles turbarent Regni statum, vt ipsi quoque Bailliuorum & Seneschallorum munera exercerent, & circum prouincias dimissi ius populo redderent. Siquando peregrè proficisci cogerentur, Vicarium seu locumtenentem (vt vocant) qui suam vicem obiret ipsi statuebant. Quod ad Appellationes ab ipsorum sententiis attinet, illæ in generali conuentu, quò Delecti seu Deputati Prouinciarum & præcipuarum Regni ciuitatum semel in anno coibant, loco à Rege assignato, diiudicari solebant. Atque hic quidem Conuentus veteri Gallorum lingua Parlamentum numcupabatur: verùm neque eorum qui in eo consessu sedebant Officia perpetua erant: neque vlla similitudine, aut permodica, ad hodiernam Parlamentorum formam accedebat, sed publici potius Statuum Concilij. Eò conueniebant Deputatorum alij palliati, plerique Nobiles, quos Laicos vocabant: alij togati, qui dicebãtur Clerici (quamquam postea consiliarij Clerici ij tantùm dicti sunt qui ex presbyterorum collegio erant: Laici verò, coniugati) interdum etiam Pares Franciæ, quotìes interesse libuerat. Itaque ea tempestate Nobiles, non tantùm Bailliuorum & Seneschallorum dignitatib. aucti iurisdictionẽ publicè exercebant, sed etiam vt ciuitatum & prouinciarum legati, sollenni Parlamenti concilio intererant, quæ Parium Curia quoque numcupabatur. Grauem ergo iniuriam calumniámque sycophanta iste Nobilitati

Gallicæ affigit, quæ omnibus ſeculis, etiam antè-quàm Parlamenta exorta eſſent, Iuridicialia officia exercuit, & pacem quietémque Regni pro virili parte adiuuit.

Multi hodie Nobiles litterarũ ſcientiam & veram Nobilitatem virtute partam aſpernantur.

VTINAM verò etiam hodie noſtri Nobiles non ita cupidè omnes animum ad armorum ſtudium adiungerent, ſed pars eorum Iuri & iudiciis operam daret. Romani quondam domeſticam & ciuilem fortitudinem, cuius conſiliis Pax & Iuſtitia in Republ. ſeruantur, nihilo inferiorem militari virtute exiſtimabant, qua Patriæ ſalus aduerſus vim hoſtilem defenditur. Quippe (vt ait Cicero) parui ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi. Barbari equidem (cuiuſmodi ſunt hodie Scythæ & Tartari) armis & viribus corporum foris aduerſus finitimos & hoſtes ſua tutantur: ſed nullum domi conſilium, nullam bene conſtitutam Rempubl. nullam æquam & rectam Iuris deſcriptionem, nullas litteras, artes, & ſcholas, habent. denique quantumuis bellicoſi ſint, barbari tamen & ſunt & nuncupantur. Tantùm momenti eſt ad communis vitæ cultum & publici ſtatus incolumitatem in bene conſtituta æqui iuris & iudiciorum adminiſtratione, ac viris ſimul idoneis, qui ea pari fide ac peritia exerceant. Verùm plerique hodie Nobilium, à bonis artibus vſqueadeo abhorrent, vt non tantùm litteras ipſas, velut multùm infra ſuum faſtigium iacentes, ſuperbè faſtidiant: ſed litteratos quoque omnes, tamquam viles & ſordidos, habeant deſpectui. Quod vel maximum in Nobilitate vitium eſt. Nam niſi ignorantiæ totos ſe addixiſſent, hiſtoriáſque

Cic. lib. 1. Offic.

riáſque

riáſque vel inſpicere dignarentur, Iulium Cæſarem, Auguſtũ, Tiberium, Claudium, Adrianũ, M. Antoninum, Seuerum, Macrinum, multóſque alios Romanos Principes litteris & doctrina excultos fuiſſe, immò libros quoque ſcripſiſſe, comperirent. In noſtris verò Chilpericum, Carolum Magnum, Robertum, Carolum Sapiẽtem, & nuperrimè Franciſcũ 1. doctos & eruditos vt ſua ætate, Principes habemus. Diſertè addo, vt ſua ætate. tempora enim illa, in quæ inciderunt noſtri illi Reges (excepto Franciſco) barbarie & ignorantia, tamquam ſitu & illuuie, immunda & circumfuſa tenebris, multum afuere à doctiſsimi illius ſeculi luce, quo paulo antè à me nominati Cæſares vixerunt. Sed ne hoc quidem ſolo vitio laborat Nobilitas. Quippe & in eo non leuiter peccant, quòd ſplendore ſtirpis & loci adeo ſuperbiunt, vt veram ex virtute & factis claritudinem nullo numero habeant: credántque nullis vitiis auitas imagines & vetuſtam generis nobilitatem conſpurcari poſſe. Quin potius iſti cogitant ſtemmatis & nominis ſui aliquod initium extitiſſe, eúmque, qui primus nobilitatem & gloriam familiæ ſuæ peperit, id virtute eſſe conſequutum? Quamobrem, quando Nobilitas à virtute originem ducit: non ſecus ac riuus ex puro & perlucido fonte manans, ſi cloacas & purgamentorum receptacula præterlapſus, fluentũ inquinarit, non iã limpidæ aquæ ſed cœni aut lacunæ putris nomen obtinet: ita ſi Nobilitas à virtutis ſtudio, id eſt à ſua ſcaturigine, deſciuerit, diſcedit quoq. à ſeipſa & Nobilitatis nomẽ amittit.

M. Antoninus Imper. nobilitatem virtute partam (quamquam & ipse illustrissimo genere ortus erat) tanti faciebat, vt quum plures filias haberet, non ex eorum numero qui longam generis seriem præferrent, aut qui opes nimias ostentarent, sed qui probitate morum ac modestia vitæque innocentia præcellerēt, sibi generos legeret. Cillinius quoque Mæcenas vir splendido genere natus, immò (vt inquit ille) atauis regibus editus, & Cæsari Augusto carissimus, multū plus nouæ isti & ex virtute cœptæ, quàm veteri & à patribus relictæ nobilitati tribuebat. Itaque præclara ingenia sui seculi tam impensè fouit, vt doctos viros in numero amicorum & circum se perpetuò haberet: iisq. quamquam obscuro genere ortis, familiarissimis tamen & conuictoribus vterentur. Ergo hæc eius in litteratos viros comitas & munificentia, eius memoriam noménque æternū fecit: & ex eo qui doctorum hominum studia opibus suis sustentant, Męcenates etiam hodie vocantur. Sed hoc eius iudicium, quum viros ingenuos & virtute nobiles pluris quàm multarum imaginum & veteris prosapiæ splēdore insigneis faceret, scitè expressisse hisce versibus Horatius mihi videtur:

Hor. Serm. lib. 1. Sat. 6.

Non quia Mæcenas Lydorū quidquid Hetruscos
Incoluit fineis nemo generosior est te,
Nec quòd auus tibi maternus fuit atq. paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarint:
Vt plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos: vt me libertino patre natum.
Quum referre negas, quali sit quisque parente

Natus

Natus, dum ingenuus. &c.

Quare generosi & claris natalibus homines humili genere ortos, sed qui laboribus & virtute quæsitam nobilitatē pro suo iure sibi adrogare possunt, minimè præ se aspernari debēt: verum in iis quoq. originem vnde sua cœpit nobilitas agnoscere & venerari istos æquū & decorum est. Qui verò etiam super εὐγένειαν virtute conspicui fulgent, haud vulgari illi honore sed duplici digni sunt. Nam, vt inquit Euripides, Eurip. in Hecuba.

Mira nota & insignis inter homines est
E bonis natum esse: & in maius procedit
Nobilitatis nomen apud eos qui digni sunt.

NVNC, ad iustum modum perductis hisce Cōmentariis, vela colligo: & omnes Gallos Nobiles ceterósq. publici Rei Gallicæ boni amantes, in quorū manus labor iste noster venerit, hortor atq. obtestor, vt quæcumq. aduersus Machiauelli θεομαχίαν, & cetera eius non minus vana quàm impia dogmata, in iis à me scripta sunt, attentè ac sedulò considerent. Neq. hoc illis studiū planè sterile aut fructus expers erit. Hinc mecū agnoscent, quàm noxia, quàm pestilens & impia, sit huius impuri Canis doctrina: qui omnia summæ Nequitiæ præcepta exempláq. consumsit, vt nouum nescio quod nobis Tyrannicæ artis monstrum, ex omni vitiorum colluuie mistum & cōflatum, excuderet. Deinde, vbi hæc pernouerint, haud dubito quin dignam se, dignam maioribus suis, cogitationem suscipiant, vt Machiauellum cū suis scriptis, atq. omnibus qui magno Regni ac Reipub. detrimento, eius doctrinā sequuntur

& defendunt, Gallia extrudant atq. exterminent. Si libuisset excutere omnem Machiauelli officinam & singula eius dogmata persequi, exaggerari magna accessione rerum tenue hoc σύνταγμα poterat. Quippe multa præterea alia etiã fœdiora & magis horrenda peragit: cuiusmodi hæc sunt, quibus artibus occultæ fraudes & coniurationes moliendæ, quibúsnã modis exsequendæ sint, seu veneno seu gladio grassari libeat. & reliqua eiusdem notæ. Sed à rerũ tam nefandarum, quas nimio plus quàm par esset hominibus cognitas, æterna obliuione exstinctas & obrutas cuperem, commemoratione haud inuitus abhorrui: ac doctrinæ istius præcipua quædam capita tractasse satis habui, quæ in lucem protrahi palámq. refelli intererat.

TE verò Deus & Pater omnipotens, per Dominum ac seruatorem nostrum Iesum Christum oro obsecróque vt Ecclesiam tuam & Electos à pestifera tot errorum contagione serues, quas Satan inter homines per idonea instrumenta hodie spargit: nobis verò etiam des vt in sana doctrinæ fide quam ex sacrosancto Verbo tuo didicimus, perseueremus. Deinde ea prudentia instruas, vt & discernamus fallacia ingenia, spiritus mendaces & impostores, & in veritatis tuæ obsequio cõstanter ad extremum maneamus. Donec ea nos tandem ad immortalem vitam & beatam quietém perducat, quam nobis D.N. Iesus Christus sanguine suo peperit.

Amen.

ELENCHVS, SIVE INDEX, RERVM memorabilium, quæ in his aduersus Machiauellum Commentariis sparsim tractantur.

Hæc nota, pr. præfationem primi Comment. denotat.

bella

Machia-

FINIS

ELENCHVS SCRIPTORVM Græcorum, Latinorum, & Gallorum, è quorum libris historia & alia nonnulla illustrandis hisce in Machiauellum Commentariis petita & excerpta sunt.

Ammianus Marcellinus.
Annales Galliæ.
Aristoteles.
Bellaius.
Biblia.
Capitolinus.
Cicero.
Comminæus.
Dion.
Dionysius Halycarnasseus.
Euripides.
Florus.
Frossardus.
Gaguinus.
Herodianus.
Homerus.
Horatius.
Iosephus.
Ius Ciuile & Canonicum.
Lampridius.
Molinæus.
Monstreletus.
Munsterus.
Paponius.
Paulus Æmilius.
Plato.
Platina.
Plinius Iunior.
Plutarchus.
Pomponius Lætus.
Procopius.
Sabellicus.
Sallustius.
Sleidanus.
Sophocles.
Spartianus.
Suetonius.
Tacitus.
Thucydides.
Titus Liuius.
Trebellius Pollio.
Vopiscus.
Xenophon.